
DOCTRINA CHRISTIANA DE SACROSANCTIS ECCLESIÆ SACRAMENTIS AB...







DOCTRINA
CHRISTIANA DE SACROSANCTIS
ECCLESIAE SACRAMENTIS
AB HETERODOXORUM ERRORIBUS VINDICATA

IN TRES TOMOS DISTRIBUTA

A U C T O R E

ALBERTO PAPPIANI

IN COLLEGIO FLORENTINO SCHOLARUM PIARUM
S. THEOLOGIAE MAGISTRO EXAMINATORE SYNODALI
ET SOCIETATIS DOGMATICORUM PRAESIDE

TOMUS II. PARS ALTERA

IN QUA AGITUR

DE SACRAMENTO MATRIMONII

ACCEDUNT

BENEDICTI XIV. PP. MAXIMI



ENCYCLICÆ LITTERÆ DE MATRIMONIO CONSCIENTIÆ
& quædam aliæ
Varietati casuum Matrimonialium accomodatæ.

Della Libreria del Convento de' PP. Minimi di Firenze posto l'anno 1779



FLORENTIÆ MDCCLXXII.

IN TYPOGRAPHIA DOMINICI MARZI, ET SOCIORUM.

Trasitum Adprobatione.

IOANNI . MEOLI

VIRO . PIETATE . RELIGIONIS . STVDIO
HVMANITATE . ET . PRVDENTIA . SPECTATISSIMO
AEQVITATIS . ET . IVSTITIAE . LAVDE
MORVM . DENIQVE . INTEGRITATE . COMMENDANDO
IVRIS . VERO . LEGVM . QVE . SCIENTIA
NVLLI . NEQVE . ANTEACTI . NEQVE . SVI . TEMPORIS . SECVNDO
QVARE . DATIS . IN . PRINCIPE . ETRVRIAE . VRBE
PLVRIBVS . SVMMAE . IVRIS . PRVDENTIAE . ARGVMENTIS

A . FRANCISCO . I.

AETERNI . NOMINIS . ET . MEMORIAE
ROM . IMPERATORE . SEMPER . AVGVSTO
CLARISSIMI . EIVSDEM . VRBIS . MAGISTRATVS
AVDITOR . VT . VOCANT . RENVNCIATVS . EST
ACADEMIA . THEOLOGICO - DOGMATICA . FLORENTINA
QVAE . SIBI . TANTI . VIRI . AVCTORITATEM
PRO . CONSILIO . ET . VOTO . IMPLORATAM
TOTIES . PROFVISSE . EXPERTA . EST
ALBERTI . PAPPIANI . CVI . QVIDQVID . EST
DEBITVM . ACCEPTVM . QVE . REFERT
TRACTATVM . DE . SACRAMENTO . MATRIMONII
VTPOTE . AD . VTRVMQVE . FORVM . SPECTANTEM
D. C.



DOCTRINA CHRISTIANA

DE SACRAMENTIS AB HETERODOXORUM ERRORIBUS VINDICATA.

TRACTATUS VII.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

PUblici Boni caussa Christiano populo Sacramentum hoc fuisse traditum a Christo Domino, non ad reparandum tantum, & conservandum hominum genus (siquidem Deo Auctore, & in Paradiso ad hunc effectum institutum fuisse, præter Scholasticos asserere videtur Augustinus lib 14. de Civit. Dei cap. 12. & Bonifacius VIII. in cap. unico de Voto, & Voti redempt. in 6.) sed ad constituendam progeniem Sanctam, quæ in Justitiæ semitis ambularet, nullus dubito inficiabitur. Suis tamen Calumniatoribus, & Hæreticis oppugnatoribus neque caruit, neque nunc caret, aliis aliter hoc tam Sanctum Maris, & Fœminæ Consortium, pro suo quisque sensu, prophane tractantibus. Ut in Pecudibus, ceterisque Animalibus solet contingere, quæ lubinde pro ut moventur, altero derelicto ad alterum ineunt, ita Viros suis Uxoribus sociari nonnulli jactabant impudentissime, & apud illos Repudia, Nuptiarumque divortia, vel nihili fiebant, vel levi de caussa fieri non improbabant, nec adhuc improbant. Alii simul dari plures concedebant, & adhuc concedunt Uxores. Alii unas duntaxat, & primas admittentes Nuptias, easdem repetitas post Conjugis mortem damnabant, & crimen esse contendebant. Alii nihil Divini, & nihil Gratiæ credentes Matrimonio inesse, illud a Sacramentorum numero constantissime ablegabant. Alii Cœlibatum Matrimonio præferebant, alii Cœlibatu reprobato, Connubia sine discrimine cunctis imperabant. Alii demum omnem Virorum cum Fœminis congressum, non aliter detestati sunt, quam si cum Dæmonibus pessimis coiretur, indeque a Nuptiis ita fuerunt avversi, ut illos dicerent opus Diaboli explere, qui Matrimonium contraherent, & inter ea peccata Sacra Connubia reposuerunt, quibus homo sordidissime coinquinatur. Deliria hæc sunt quis non videt, & insomnia Somniantium, ut merito dixeris singulos evanuisse in cogitationibus suis. Hoc quippe Sacramentum, *magnum est in Christo, & in Ecclesia, quo sanctificatur vir infidelis per Mulierem fidelem, & Mulier infidelis per virum fidelem. Hoc honorabile conjugium, thorus immaculatus,* in quo non solum *salvatur Mulier per Filiorum Generationem, sed fas est unicuique possidere vas suum in Sanctificatione, & honore,* per quod Conjuges benedictionem consequuntur in filios, nec habet in eos Dæmonium potestatem, nisi ita Conjugium suscipiant, ut Deum a se, & a sua mente excutiant, & suæ libidini vacent, sicut equus, & mulus, in quibus non est intellectus. Sacramento itaque Matrimonii ab ipso Deo instituto in signum unionis Divinæ Naturæ, & humanæ in Persona sui Filii, conjunctionisque ipsius Christi, & Ecclesiæ, reverentia, & honestas maxima certe debetur, nec inter innania referenda sunt ea, quæ Nobis injun-

git Mater Ecclesia, vel tamquam dispositiones ad illud, vel tamquam requisita, ut sancte, caste, & valide contrahatur, quæ singula huic nostro Tractatui de Matrimonio, materiam suppeditabunt, & ad scribendum ordinem, & ad disserendum contra Hæreticos Argumentum. Sit itaque

CAPUT I.

QUID, ET QUOTUPLEX SIT MATRIMONIUM, ET CUR HOC NOMINE NUNCUPETUR.

§. I. *Exponuntur ea, quæ cuilibet Matrimonio communia sunt.*

Matrimonii multiplex est acceptio ex multiplici ejus consideratione, nam considerari potest, vel ut contractus Civilis, & tamquam Novæ Legis Sacramentum, idque præcipue oritur ex diverso hominum statu in Lege Naturæ, in Lege scripta, in Lege Evangelica. Lex Naturæ conservationem, & propagationem generis humani exigebat. Hinc factum est, quod primis Parentibus Deus imperavit, ut crescerent, & multiplicarent, & terram replerent. Lex scripta solemnitates huic contractui addidit, sine quibus irrita declararentur hujusmodi Conjugia, cum ex illis maxime pendeat Reipublicæ ordo, & tranquillitas. Lex Evangelica Conjuges gratia exornat, ut illorum Connubium sit *honorabile, & Thorus immaculatus*, ut Moguntini Patres in sua Synodo definiverunt A. 1549. cap. 36. Juxta hanc variam acceptionem diversimode Matrimonium definitur: siquidem primo modo Matrimonium dicitur: *Maris, & fœminæ conjunctio instituta ad suscipiendam prolem, & ad illam educandam, & promovendam ad perfectum statum hominis*. Secundo modo definitur Matrimonium *Civilis Contractus proveniens ex mutuo consensu Maris, & fœminæ, qui ad invicem sibi promittunt propriorum Corporum traditionem perpetuam, & in eadem jus ac reciprocum dominium ad effectum generandi filios, & debite educandi*. Tertio modo definitur, *signum sensibile Gratiæ collatæ Viro, & Mulieri legitimo modo copulatis ad perpetuam vitæ consuetudinem mutuo peragendam*. Ex quibus definitionibus satis liquet, quod in quocumque statu Matrimonium spectetur, oportet Parentes vinculo quodam indissolubili colligari (in quo vinculo potissima ponitur Matrimonii ratio, hoc est ipsius Matrimonii Contractus, ut ajunt, *in Facto esse*, permanens, ut ipsamet obligatio Matrimonii, Contractus *in Fieri* nuncupatur) ut etiam pateat discrimen illud, quod cernitur inter Animantium Brutorum, & Hominum conjunctiones, in quibus Parentum cura non multo tempore requiritur, nam si animalia ex illis genita sibi ad nutrimentum quærendum, & vitanda noxia sufficiunt, non oportuit perpetuo nexu eadem sociari; homines vero cum non tantum secundum corpus, verum etiam secundum animam educationem requirant, Matrimoniis eorumdem consultum esse debuit, ut Parentes perpetuæ Societatis vinculo colligarentur, & in hoc fœdere, non solum Naturæ Lege, verum etiam Divina institutione confirmarentur. Hujus rei umbram in prima Animantium origine nobis Deus reliquit, qui cum animalia Bruta creavit, masculos, & fœminas seorsim eduxit, hominem vero solum

ſolum fecit, & mulierem non aliunde, quam ex ejus latere formavit, ut in humano Genere hujus arctiſſimæ conjunctionis nobis relinqueret argumentum Adæ ipſi perſpicuum, qui Divinæ conſcius Operationis, a ſuo Somno excitatus prophetico ſpiritu exclamavit: *hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea: quam ob rem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una*, ut innueret, quod quale vinculum inter ipſum, & Evam Deo volente fuerat inſtitutum, tale deinceps in Matrimoniis ſingulis extitiſſet; ut revera ab Evangelica Lege fuiſſe imperatum didicimus in illa Chriſti Domini Sententia, quæ Matth. 19. legitur: *Quod ergo Deus conjunxit homo non ſeparet*, ita ut merito affirmari poſſit hoc vinculo Matrimonium perfici, ſaltem perfectione primaria, quæ ex mutuo, & firmiſſimo Contrahentium conſenſu reſultat, qui veram habet Matrimonii rationem.

II. Dum primariam Matrimonii perfectionem aſſerimus, alteram inquiſitioni noſtræ ſubjicimus, quæ ſecundaria appellatur, ſeu acceſſoria, ſine qua Matrimonium exiſtit quidem, ſed finem ſuum non aſſequitur, nimirum prolis generationem, quæ corporum commixtionem ſupponit: Hanc itaque non pertinere ad eſſentiam Matrimonii damnatus Wiclefi error in Conſtantienſi Concilio Seſſ. VIII. convincit: dicebat ille, *Matrimonium eſt legitima copulatio, qua ſecundum Dei Legem licet ſine crimine filios procreare*. Contrarium definiverunt laudati Concilii Patres, quibus concinit Eugenius IV. in Concilio Florentino, & Synodus Tridentina in can. 6. Seſſ. XXIV. Præiverat Alexander III. in cap. *commiſſum* 16. de Sponſalibus, Auguſtinus in lib. 1. de Nuptiis, & Concupiſcen. cap. 15. & Leo Magnus in Epiſt. 92. cap. 4 ſi illius verba fideliter citentur, hoc eſt ſuppreſſa negativa, quæ textui inſeritur a Gratiano 27. q. 2. cap. 17. ut colligitur ex Scopo S. Doctoris, qui ſic Divinitus inſtitutam eſſe, ait nuptialem Societatem, *ut præter ſexuum commixtionem haberet in ſe Chriſti, & Eccleſia Sacramentum*, quod non præſeferebat Concubinatus, quem in laudata Epiſtola perſtringebat, quia commixtio fornicaria, vel adultera, utpote ſolvenda, illum repræſentare non poteſt. Hoc autem melius intelligitur ante Corporum commixtionem, quia non tantum indiſſolubilis eſt Chriſti cum Eccleſia conjunctio per naturam, quæ a tali conjunctione exprimitur, ſed etiam per Eccleſiæ dilectionem.

III. Hoc autem, ut melius intelligatur mentis aciem convertamus ad illam duplicem Chriſti unionem, quæ per Matrimonium ſignificatur. Prima ex his unionibus cernitur in conjunctione Chriſti cum Eccleſia, quam ut Sponſam ſuam diligit. Altera inſpicitur, quando eidem Sponſæ ſuæ Eccleſiæ in utero Virginis per Incarnationis Myſterium, quaſi ſecundum Carnem voluit copulari. Primam ex his unionibus Matrimonium repræſentat propter hoc, quod vir, & uxor ita animo conjunguntur, ut alter alteri adhæreat. Poſteriorem vero repræſentant Corpora Conjugum, cum ita conjunguntur, ut dici poſſit, quod ſint duo in Carne una. Porro ad veritatem Matrimonii non requiritur, quod utraque hæc unio repræſentetur, ſed prior exigitur, quæ ſi deſit, vel illegitime fiat, quacumque poſita ſexuum commixtione non habet in ſe Chriſti, & Eccleſiæ Sacramentum, quod S. Leo in laudata Epiſtola ſcripſit, & nonniſi perperam talis commixtio Matrimonium appellatur: e contra vero ſemper hoc nomine nuncupabitur, ubi hæc interceſſerit, etſi poſterior unio excludatur. Bene igitur ex his concludimus, quod talis unio ſit

sit secundaria, & accessoria Matrimonii perfectio, & quod non pertineat ad illius essentiam, ut neque pertinet usus rei per contractum acquisitæ ad essentiam Contractus, ne aliquis temere fateatur, quod Matrimonium contrahentes eodem contextu, quo contrahunt debeant copulari, aut saltem nullitatis accusentur, vel Matrimonia senum, & sterilium, vel tot Matrimonia hac conditione celebrata, ut a carnali opere Conjuges abstinerent, quod oporteret asserere, tum de Matrimonio Adæ in Paradiso ante lapsum, tum de Matrimonio Virginis cum S. Joseph contra apertissima Scripturæ Sacræ Testimonia, & PP. Ecclesiæ firmissimam Traditionem, quæ semper docuit Joseph vere fuisse Christi Patrem, non carnali generatione, sed Conjugii veritate.

IV. Potest his addi, & tertia perfectio, quam tum demum obtinet Matrimonium, cum Proles, quæ proprius est, & precipuus Matrimonii finis, suscepta fuerit, propter hunc enim finem Matrimonium ab initio fuit a Deo institutum = *Masculum, & fœminam creavit eos, benedixitque illis Deus, & ait: crescite, & multiplicamini, & replete terram.*

V. Infertur ex his celebris illa distinctio Matrimonii in Matrimonium ratum, & Matrimonium consummatum, in priori respectu habetur solus consensus legitimus verbis, aut signis externis expressus per actum transeuntem. Sub posteriori complectimur Matrimonia illa, in quibus post desponsationem copula dignoscitur intervenisse Carnalis. In illo tota essentia Sacramenti consistit, ut diximus, utpote qui actus ille transiens sit institutus, & elevatus tamquam medium ad conferendam gratiam, non autem in posteriori, unde sequitur, quod quoties Conjuges Matrimonialem actum exercent non recipiunt novam gratiam sanctificantem ex Opere Operato, neque novæ gratiæ aumentum, ut clarus est textus in cap. *Connubia* 32. q. 2. ubi dicitur: *Connubia legitima carent quidem peccato, non tamen tempore illo, quo conjugales actus geruntur præsentia S. Spiritus dabitur, etiam si Propheta esse videatur, qui Officiis generationis obsequitur*, & hujus ratio est, quia Copula carnalis non repræsentat conjunctionem Christi cum Ecclesia practico modo, sed solummodo speculativo, in ipso vero Contractu habetur talis repræsentatio, hoc est quando Conjuges contrahunt repræsentant hanc Christi conjunctionem proter hoc, quia tunc Conjugum animi ad invicem colligantur, & jus reciprocum in eorum corpora tradunt indissolubile: videlicet statim vir acquirit dominium, & potestatem in corpus mulieris, & Mulier obtinet idem dominium in corpus viri, ut scribit Apostolus in 1. ad Corint. 7. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir, similiter autem, & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*, ad exclusionem cujuslibet illicitæ traditionis corporum, sive in Adulterio, sive in Fornicatione &c. Hactenus explicata pertinent ad naturam, & perfectiones illas, quæ Matrimonio attribuuntur, quatenus spectari potest in quolibet statu Legis naturæ, vel Legis scriptæ, vel Legis Gratiæ. Nunc addendum est id, quod soli convenit Matrimonio Christianorum, ut hujus Matrimonii naturam, & differentias a reliquis cognoscamus.

§. II. *Matrimonium in Lege Gratiæ verum esse Sacramentum asseritur.*

VI. Ceteris Matrimonii perfectionibus illam adjungimus, quæ Matrimonium

nium Christianorum cuilibet alteri anteponit propter excellentiam, & dignitatem Sacramenti, ad quod Christus Sacramentorum Auctor illud evexit. Hunc titulum Acatholici Matrimonio deberi omninò negant, aut saltem verbo tenus concedunt, Catholici e contra omnes affirmant, licet Magister Sententiarum in IV. d. 26. & ibi Durandus velint Matrimonium dici Sacramentum non *univoce*, quod gratiam conferat modo ab aliis Sacramentis diverso. Momenta, quibus nostra assertio probatur, Scriptura abunde suppeditat, & consensus Universalis Ecclesiæ, imò ipsa ratio, quæ in Matrimonio dum celebratur ea reperit, quæ Novæ Legis Sacramenta perficiunt, *Materiam* scilicet, *Formam*, & *Ministrum*, ut patebit ex infra dicendis, & cujuslibet alterius Sacramenti effectum in illo distinguit, nimirum operationem illius rei, quam practice significat, scilicet unionem Christi cum Ecclesia, ita ut simul producat gratiam, qua Conjuges sint vere hujusce ineffabilis unionis imago, cum Deo per gratiam, ac interse ipsos per Charitatem, ut mutuo se diligant, quemadmodum Christus, & Ecclesia: ad quem effectum respiciens Apostolus in sua I. ad Titum c. 2. scripsit: *Salvabitur autem mulier per filiorum generationem, si permanserint in fide, & dilectione, & sanctificatione cum sobrietate*, ut ostenderet quatuor illa Dona spiritualia *Fidelitatis, Dilectionis, & Sanctificationis*, & *Sobrietatis*, quæ fideles per Matrimonium acquirunt. Opportunior vero ad rem nostram est alter textus Apostoli in cap. 5 Epist. ad Ephes. ubi de Matrimonio agens, apertissime illud nuncupat Sacramentum, & magnum Sacramentum: *Sacramentum hoc*, inquit, *Magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*. Vocans Apostolus Matrimonium *Sacramentum*, statim dignoscitur Matrimonium esse signum sensibile rei Sacræ, quæ est prima nota cujuslibet Sacramenti, & id correspondet illi effectui, qui ex Matrimonio oritur, quo mediante homo relinquit Patrem suum, & Matrem, ut adhæreat Uxori suæ; unde merito dicitur *Signum Magnum*, quia per hoc repræsentatur Filius Dei, qui e sinu Patris, ac Patre quasi relicto in Terras descendit, ut Ecclesiæ conjungeretur. Nec alium sensum textus Apostoli exposcit, quidquid dicant nonnulli Hæretici, tum quia in laudato textu tantum de humano Conjugio loquitur Apostolus, tum etiam quia textus Græcus non legit *in Christo, & in Ecclesia*, sed *in Christum, & Ecclesiam*, ut legunt Tertullianus lib. de Anima c. 11. & Augustinus in Psalmo 127. per quem loquendi modum intelligimus Christum, & Ecclesiam esse terminum illius misticæ Conjunctionis nunquam in Conjugio Adæ prufiguratæ (ut aliqui perperam sunt arbitrati) quia Adam non potuit Parentes relinquere, quos non habuit, sed in omni legitimo Conjugio inter fideles contracto. Ita pariter cum Apostolus addidit *Magnum in Christo, & in Ecclesia*, quid aliud voluit, nisi quod sit a Christo, qui solus est Auctor Sacramentorum, Matrimonium elevatum ad statum Sacramenti, ut esset novo, ac magnifico modo Signum ejusdem rei Sacræ, videlicet ut significaret admirabilem Unionem Christi jam factam cum Ecclesia, quam vetera Matrimonia tantummodo præfigurabant? Et id revera Apostolum intendisse ex posterioribus illius verbis convincitur: *Viri diligite Uxores vestras sicut Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, ut exhiberet sibi gloriosam, quia membra sumus corporis ejus de carne ejus, & de ossibus ejus*, post factam scilicet Unionem ejus, cum Ecclesia, quæ est corpus ejus, cui Oseæ 2. promiserat se eam sibi desponsaturum in sempiternum; quod si demum addidit *in Christo, & in Ec-*

cle-

clesia non abs re affirmabimus Matrimonium Christianorum esse signum practicum, & efficax gratiæ, cujus Christus est Auctor, non vero Signum inefficax, & vacuum propter meritum passionis Christi in illud derivatum, cujus caussa naturalis Conjugum amor perficitur, indissolubilis unitas confirmatur, iidemque Conjuges sanctificantur; si tamen dispositi Matrimonium contrahant, quæ sunt illa tria, quæ ad demonstrandam veritatem Sacramentorum Novæ Legis communi Theologorum dictato requiruntur nimirum, ut sint Signum rei Sacræ, Signum a Christo Domino institutum, & Signum largiens gratiam. Argumentum Apostoli adeo clarum est, ut concordiam postulaverit in omnibus Ecclesiæ PP. qui per singula Sæcula floruerunt, neque ab ipsis dissensit Synodus CST. A. 1647. neque Jeremias Patriarcha CST. & Michael Cerularius, cum nunquam Latinis exprobraverint quod Matrimonium in Sacramentorum numero ponerent. Heterodoxi itaque soli, ut Caussæ suæ deperditæ patrocinarentur, huc & illuc abeuntes in tutelam adsciverunt, tum Theologos, tum illos Canonici Juris Interpretes, qui per Matrimonium conferri gratiam negarunt. Antequam vero his male feriatis hominibus respondeamus, paullulum immorabimur in origine institutionis hujus Sacramenti.

VII. Communis est Patrum sententia Christum sanctificasse Conjugium, & gratiam Nuptiis præparasse, ut aditus hominum in hanc vitam benediceretur, cum invitatus venit ad Nuptias, & ipsis benedixit. Doctrinam hanc tradiderunt Ephesini Concilii PP. ante Anathematismos, præluxerant Patres Concilii Telensis, Epiphanius, Augustinus, Maximus, Damascenus, & idem legitur in Censura Græcorum Schismaticorum cap. 7. his verbis: *propterea & ipse Christus benedixit Nuptiis, ut non sine cœlesti benedictione ortus nostri principia jaciantur*, (addere etiam possumus; ut quod in natura vitio subest, per gratiæ medicinam sanetur). Non inficiamur, quod alii aliam hujus Institutionis originem tradiderint, & quod alii hanc doctrinam ex Scripturis haberi non posse affirmaverint, nihilominus ut certam, & Catholicam profitentur, ex Traditione derivatam, propter hoc, quod Matrimonium inter Sacramenta Ecclesiæ proprie dicta recenseatur, quæ sanctificant, & gratiam conferunt suscipientibus, & probari potest ex cap. *ad abolendam* extra *de Hereticis*, ex c. *cum in Ecclesiæ corpora* de Simonia, ex Synodo Constantiensi in Bulla Martini V. ex Florentina in Decreto pro Armenis, & demum ex Tridentino Sess. XXIV. ubi Matrimonium dicitur in lege Evangelica Veteribus Connubiis per Christum gratia præstare.

VIII. His itaque prænotatis, parum proficiunt Acatholici, si Magistrum Sententiarum, & illius interpretem Durandum in suum traxerint errorem, ac si Theologi illi intellexerint, aut quasi absolute negaverint ad conferendam gratiam plus valere Sacramentum Matrimonii, quam Continentiam; aut si nos provocaverint ad illos Juris Canonici Interpretes, qui in suis Glossis ad caput *honorantur* 32. q. 2. ad c. *quidquid* 1. q. 1. ad c. *Alma mater* de Sentent. Ecomm. in 6. negantes cum Catholicis gratiam posse pecunia possideri, contrarium sequi oportere inquiunt, in præsenti suppositione Matrimonialis Contractus, in quo promittitur, & exigitur dos; vel si addiderint nunquam in Scriptura legi aliquid gratiæ Dei acquiri ab eo, qui Uxorem ducit, e contra vero in Scriptura, & Patribus legi, *quod ii, qui in Carne sunt* (hoc est qui Nuptiis copulantur) *Deo placere non possunt*. ut scripsit Siricius Papa ad Himerium Tarraconensem, parum inquam proficiunt; Id vero ut demonstretur.

IX.

IX. Animadvertimus quod nondum veritate hac definita per auctoritatem Ecclesiæ, Theologi in hac controversia in diversas abiere opiniones, ita ut ipse Præceptor Angelicus, cum D. Bonaventura, Scoto, & aliis, qui Catholicum Dogma propugnarunt, nostram hanc sententiam probabiliorem appellaverint, contrariam vero non erroneam, sed probabilem judicaverint, cui nomen dederunt tum Doctores laudati in argumento Adversariorum, tum Guillelmus Peraldus in Summa Vitiorum, & illo antiquior Jacobus de Vitriaco in suo Opere Occidentalis historiæ cap. 36. Post definitam vero ab Ecclesia Sententiam, nullus nisi Hæreticus contrarium docuit, nam reliqui omnes tum Theologi, tum Canonistæ Matrimonium gratiam continere, & ipsam digne suscipientibus conferre dixerunt. Id sufficere posset ad reprimendam Acatholicorum audaciam, quia vero nolumus se posse gloriari ex Theologis nostris aliquos reperisse, qui a recto tramite deviaverint, ideo cum D. Thoma Magistrum Sententiarum a tali nota vindicamus, asserendo non illud eum sensisse quod ipsi putant. Magister Sententiarum nemine discrepante Matrimonium inter Sacramenta Novæ Legis recenset, & ubi agit in 1. Distinct. de horum differentia a Sacramentis Legis Veteris, aperte inquit, quod illa conferunt gratiam, non ista, & hanc notam in definitione Sacramenti supponit, dum illud definit *esse signum Gratiæ, ejusdemque caussam*. In Dist. vero 26. specialiter de Sacramento Matrimonii sub fine dicit: *Conjugium esse signum Spiritualis Conjunctionis, & Affectionis animorum, qua inter se Conjuges uniri debent*, ut nos superius notavimus, *efficax sane, ut in ceteris novæ Legis Sacramentis*. Ex hoc igitur quod in 2. Distinct. doceat Conjugium esse *In remedium tantum*, quis non videt, tunc loqui Magistrum de principali fine, & effectu hujus Sacramenti? Hoc eruitur ex comparatione, quam ponit cum aliis Sacramentis, Confirmatione scilicet, & Eucharistia, & Ordine, quæ cum ait instituta fuisse *ut gratiam tantum adjutricem conferrent*, nullus profecto audet asserere illum male sensisse de horum Sacramentorum natura, quasi limitaret eorum effectum, sed innuere voluit Sacramenta quædam fuisse principaliter instituta ad juvandum in bono, ut Eucharistia, Confirmatio, & Ordo, quædam ad peccata delenda, aut vitanda ut Baptismus, Pœnitentia, Unctio Infirmorum, & Matrimonium, quædam ad utrumque effectum, ut Baptismus. Nihil ergo a Magistro contra communem Ecclesiæ sententiam in eo loco disputatum est, sed recte sensit cum aliis Theologis. Perperam vero auditur, ex his datis inferri Sacramentum Matrimonii plus valere, quam Continentiam. Non enim ex rei excellentia petitur Sacramenti dignitas, sed ex Dei institutione, qui operatur quæcunque vult, & quomodo vult operatur: unde cum in ejus voluntate fuerit, quod in quibus elementis voluerit, ipse sua Sacramenta sanciret, ita placuit eidem elevare Matrimonium ad statum Sacramenti, non vero Continentiam; qua de re Sacramentum hoc Continentia præcellit quantum ad rationem Divini Mysterii, & gratiæ conferendæ virtutem, non vero attenta ratione status, in quo homines collocat, nam ultro fatemur meliorem esse Virginitatem, & certa ratione cum Augustino lib. de Virginit. c. 39. & Sanctarum Scripturarum auctoritate, nec peccatum esse Nuptias invenimus, nec eas bono, vel Virginalis Continentiæ, vel etiam Vidualis æquamus, verum dicimus, quod si continens propter Deum Nuptias humanas contempsisset, plus gratiæ apud Deum invenisset, quam sit illa, quæ per Sacramentum Matrimonii datur.

X.

X. Quod spectat ad Juris Canonici Interpretes quid de Matrimonio ipsi senserint videri potest in toto titulo de Sponsalibus, & Matrimonio, nec illa ratio nos movet, cui tamquam ad Aram confugiunt Doctrinæ Sacramentorum hostes acerrimi, nam ut bene notat S. Thomas in 2. 2. q. 100. a. 2. & in 4. d. 25. q. 3. a. 2. quæstiuncula 1. *Duo in Matrimonio concurrunt, Contractus scilicet, & Sacramentum, ita ut hoc Sacramentum fundatum sit in Contractu, & ideo omnia essentialia ad validitatem Contractus Matrimonialis sunt de essentia Sacramenti Matrimonii. Dos in eo datur ob onera ex eodem Contractu emanantia, non autem ob Sacramentum, seu dona spiritualia, & gratiam Sacramenti, eo modo quo Calix consecratus recte pretio venditur sine Consecrationis injuria*. Futilis igitur est Novatorum argumentatio ex Canonistis petita, qui cum uno ore defendant Matrimonium esse Sacramentum, fateri debent sub hoc respectu nihil dari, vel posse recipi sine labe Simoniæ, quapropter momentum allatum non potest huic Sacramento gratiam detrahere.

XI. Magis vero cicutiunt Novatores dum argumento negativo putant nobis imponere. Aperta sane ex Scripturis, & evidens hujus Doctrinæ probatio haberi non potest, puta ex illis verbis Apostoli ad Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est*; nam objici posset Sacramenti nomen sæpe alibi in Scriptura legi, ubi tamen non intelligitur annexa gratiæ promissio, ut Daniel. 1. Tobiæ 12. Ad Coloss. 1. ad Timot. 1. 2. Apocal. 1. & 7. & in ipsa ad Ephes. Epistola c. 1. & 3. sive ex illis verbis Matt. 19. *quod Deus conjunxit homo non separet*. Erat enim in primo statu tale vinculum inter Conjuges, ac deinceps fuit usque ad Christum, quo tamen tempore nondum gratiam conferebat. Sive ex aliis in 1. ad Corinth. 7. *Unusquisque donum suum habet ex Deo, unus quidem sic, alius autem sic*: aut ex illis in 1. ad Tessalon. 4. ubi Apostolus viros hortatur ut abstineant se a fornicatione, & vas suum possideant in Sanctificatione, nam Virginitas, & Conjugalis Castitas semper fuit Dei Donum, etiam ante Christi adventum, & semper debuerunt Conjuges honeste vivere, de iis enim, qui secus agunt scriptum est: *qui in Carne sunt, Deo placere non possunt*; nec tamen semper Matrimonium contulit sanctificationis gratiam, quamquam potuerit Apostolus in ejusmodi locis respicere ad Gratiam Sacramenti. Verum quid inde? Si legitima hæc illatio sit, hoc erit omne negandum, quod tacuit Scripturæ Codex, atque adeo mirum in modum Symbolum fidei nostræ arctabitur. Matrimonium igitur credimus esse Sacramentum, seu signum Gratiæ efficax, quia dogma illud ab Antiquis PP. a Conciliis Oecumenicis, & omnium Ecclesiarum consensione accepimus, quia in hanc Confessionem nobiscum Græci omnes, & Orientales conspirant, & conspirarunt multo ante quam Lutherus, & Calvinus exorti essent, & data occasione qualibet confirmarunt, ut videre est apud Gabrielem Philadelphiæ Metropolitam in Tractatu de Sacramentis, apud Maletium Piza Patriarcham Alexandrinum, Coresium, Gregorium Protosincellum in Epitome Divinorum Mysteriorum, & alios. In adstruendis Fidei dogmatibus, ut bene, sapienterque admonet Vincentius Lirinen. Commonit. c. 3. sequi debemus universitatem, antiquitatem, consensionem, quia peculiaris quorumdam opinio vocem, & sensum Ecclesiæ repræsentare non potest; neque privati alicujus Doctoris de hac re silentium, licet maxime auctoritatis, qui Ecclesiæ Sacramenta recensendo Matrimonium prætermittat, communi Sen-

Sententiæ detrahit, quia nemo judicat privati hominis silentium universalis Ecclesiæ Fidei detrimentum aliquod allaturum. Dixi *universalis Ecclesiæ*, nam omnes ubivis sunt Sectæ, Christianorum Nuptias pro vero Sacramento habent, ut ex omnibus generatim Euchologiis manifestum est, quod si de Matrimonio perperam aliqui senserunt, caussa fuit multorum negligentia, qui gravissimas quæstiones non ex sensu Ecclesiæ, aut Patrum, & Conciliorum definitionibus, sed frivolis ratiunculis absolventes, obscurarunt aliquatenus antiquam Traditionem, & pessimam in Scholis consuetudinem invexerunt de rebus certissimis probabiliter disputandi. Hoc unum notatione dignum arbitramur huic Sacramento peculiare esse, ut gratiam, quam continet non ita expresse, neque immediate significet, sicut illam significant alia Sacramenta, sed hoc unum operetur, ut Conjuges prolem susceptam pia sollicitudine regenerandam offerant Christo, ut Ecclesiæ membrum effecta Christo copuletur, & ita facit, ut quodammodo Christus, & Ecclesia sibi mutuo conjungantur ad prolis genitæ regenerationem, quod notatum volumus, ut Novatores, ex hoc quod Matrimonium non efficit materialem Christi conjunctionem cum Ecclesia, ad quam significandam est institutum, propterea ipsi denegant veram Sacramenti naturam, quam firmiter retinebit, etiam si Ecclesia mutare possit Personas Matrimonium suscepturas, dum videlicet gradus propinquitatis extendit, aut contrahit, hoc enim totum non cadit supra Matrimonium, quatenus est Sacramentum, sed quatenus est Contractus, qui ut valide celebretur ponit Ecclesia conditiones pro consensu in eundem, quæ si deficiant, Contractum esse nullum ait, & ita indirecte afficit Sacramentum, ut contingit in Matrimonio Clandestino.

XII. Infertur ex his Matrimonium in Lege naturæ aut scripta, ac etiam apud Infideles, præter naturam Contractus non induisse naturam Sacramenti, cujus illationis potissima ratio est, quod Sacramenta nullum alium præter Christum habent auctorem. Ita Concilium Trident. in Can. 1. Sess. VI. & in Can. 3. Sess. XXIV. neque iis conferuntur, qui non sunt Baptizati, cum Baptismus dicatur janua omnium Sacramentorum, quod fundamentum suppeditant textus in cap. *quia ex sola* 24. q. 1. in cap. *extra Catholicam* 1. q. 1. & in cap. *plerumque* §. *Hinc est* 2. q. 7. unde quod dicitur de Divina Benedictione: *Crescite, & multiplicamini &c.* quæ legitur Genes. 1. 22. contrarium non probat, tum quia non omnis Benedictio est Sacramentum, tum etiam quia etiam quadrupedibus, volatilibus, & aquatilibus animantibus Deus benedixit dicens *Crescite &c.* Hominibus vero post lapsum iterum datum fuit Matrimonium, quemadmodum & infidelibus, uti medium licitum, & honestum ad sedandam concupiscentiam, ut ab illicitis abstinerent. Quod si aliquando hujusmodi Matrimonia audiuntur appellari Sacramenta, ut in cap. *veniens* de Presbytero non baptizato, in cap. *Gaudemus* de Divortiis, in c. ultimo de Transactionibus, & S. Augustinus expresse doceat in lib. de bono Conjugali c. 18. *Sacramentum Matrimonii esse omnibus Gentibus commune*, in hisce locis Sacramenti nomen lato modo sumptum, quatenus scilicet sonat idem ac mysterium, asserimus, quia valet aliquo modo significare unionem Christi cum Ecclesia, non quia vero conferat gratiam, propter quam Matrimonia Christianorum præstare Connubiis Veterum dixerunt PP. Tridentini in supra laudata Sess. XXIV. Et revera in toto Veteri Testamento nulla legitur facta Matrimonii institutio, sed tantum restrictio quædam quo ad Personas con-

trahentes, ut Levitici 18. imo potius ex ipsa colligitur quod Matrimonium nequidem signum tunc erat, neque erat eo tempore gratia tam necessaria in Matrimonio, quam est nostro tempore, eo quia Deo permittente licita erat, Polygamia, & Repudium, & poterant homines illius temporis pluralitate Uxorum, & Repudii Libello occurrere illis difficultatibus, ob quas nostro tempore gratia requiritur: qua de re Augustinus diversis verbis docet in libro de Fide, & Operibus c.7. & de bono Conjugali c. 14. Matrimonium fuisse ab initio mundi, & nunc etiam esse apud Infideles Contractum Civilem, & in officium naturæ datum, idemque ab initio suæ institutionis, ut ait S. Leo Epist. 92. ad Rusticum (hoc est a Christo) habuisse Christi, & Ecclesiæ Sacramentum.

XIII. Infertur 2. neque Matrimonium in Infidelitate contractum fieri Sacramentum, si aut ambo Conjuges Baptismum suscipiant, aut alter illorum, neque si Infidelis cum Fideli conjungatur, cum essentia hujus Sacramenti consistat, ut diximus, in mutuo expresso consensu utriusque Conjugis, qui consensus cum sit quid transiens, & actu non existat quando Infideles Conjuges baptizantur, concurrente Baptismo non concurrit physice Matrimonii materia, forma, & intentio, quod requireretur ut hujusmodi Matrimonium in illo momento induere posset naturam Sacramenti; imo non solum non concurrit materia, forma, & intentio, sed neque fingi potest quod concurrat per renovationem præsentis consensus, quia hic amplius non est in libertate Conjugum, qua libertate se ipsos privarunt tempore celebrati contractus, quo etiam dederunt sibi potestatem suorum corporum. Quia vero etiam peculiare est hujus consensus, qui sit aptus ad essentiam Sacramenti, ut si sit unius tantum Conjugis non sufficiat ad hunc effectum, nam Christus Dominus constituit hoc Sacramentum in solo contractu integro, qui talis evadit quando illum ineunt duo Baptizati, bene concluditur quod si unus tantum ex contrahentibus sit Baptismate initiatus, sortiri non debet naturam Sacramenti hic contractus, nam unum est in ambobus conjugibus Matrimonium, non aliud, & aliud. Dubitatur ab aliquibus utrum pariter sit Sacramentum Matrimonium contractum per Procuratorem, vel per Epistolam, & ratio hujus dubii petitur a natura Sacramentorum, quæ requirunt præsentiam, tum Ministri, tum suscipientis, ut Minister applicet formam ad materiam in subjecto præsente: Verum cum alii afferant hoc esse peculiare huic Sacramento ut possit fieri inter absentes, eo quod illius essentia soli contractui innitatur, qui si valide fiat, licet sint absentes qui contrahunt, sustinetur: hinc in praxi suadetur ut Conjuges ipsi coram ratificent contractum, ut certi sint de perfecto Sacramento, & de effectibus ejus, si per Procuratorem Matrimonium contraxerunt.

XIV. Infertur ultimo quam impie debacchati sint antiquiores Hæretici contra bonitatem, & sanctitatem Nuptiarum, quas ab ipsa mundi origine fuisse institutas vidimus, a Deo in Lege Mosaica confirmatas, in Lege Gratiæ decreto novo sancitas, & Universalis Ecclesiæ consensione probatas contra Marcionitas, & Manichæos. Neque contrarium traditur ab Apostolo in 1. ad Corinth. Epistola c. 7. *Dico autem Nuptis, & Viduis bonum est illis si sic permaneant sicut & ego, quod si non se continent, nubant, melius est enim nubere quam uri*, ac si accipiendus esset sensus Apostoli ut illum interpretatur Tertullianus: *quomodo melius est uno oculo, quam duobus carere; si tamen a compara-*

paratione discedas, non erit melius unum oculum habens, quia nec bonum: dicimus enim ineptam, & a vero alienam esse quam attulit Tertullianus Testimonii Apostolici explicationem, nulliusque pretii esse auctoritatem ex libro ejus de Exhortatione Castitatis petitam, cum liber hic de numero eorum sit, quos contra Doctrinam Catholicam scripsit cum ad partes Montanistarum desertor Ecclesiæ deflexisset. Non ita vero Nuptias esse bonas dicimus, ut concupiscentiam malam non esse affirmemus. Pelagiani Carnis concupiscentiam tamquam nullum vitium, sed naturale esset bonum laudabant: Manichæi eam non tamquam evidens vitium, sed tanquam naturam ab æternitate malam vituperabant; Catholica Ecclesia inquit Augustinus lib. 2. contra Epistolam Pelagii c. 2. utrosque redarguit Manichæis dicens *non natura, sed vitium est*: Pelagianis dicens *non a Patre sed ex mundo est, ut eum velut malam valetudinem sanari utrique permittant, definendo illi tamquam insanabilem credere, isti tamquam laudabilem prædicare.* Nec mirum est quod ita sentirent Manichæi, & Pelagiani, movebantur enim singuli ex falsis principiis. Nuptias contendebant malas esse Manichæi, quod illas refunderent in malum Deum, Pelagiani negabant peccatum Originale, & hoc sublato ne convenirent cum Manichæis, & Nuptias, & Concupiscentiam bono, & vero Deo tribuerunt, atque adeo utrumque bonum esse dixerunt. Utrique ergo veritatem contaminarunt. Contrariam quomodocumque Doctrinam illi, quam defendit Jovinianus, tuemur cum dicimus Virginitatem, aut Continentiam pro Deo susceptam esse Nuptiis meliorem, quidquid blaterent Lutherus, & Calvinus impiæ doctrinæ assertores, tum quia idem Apostolus in eadem Epistola, & servandæ Virginitatis consilium tradit, & se ipsum hujus propositi præbet exemplum: *Volo*, inquit, *omnes vos esse sicut me ipsum*. Sentit ergo Virginitatem Connubio esse meliorem, nisi dicatur imprudens, quod consulat id, quod non putat esse præstantius. Egregie ad rem hanc S. Hieronymus adversus Jovinianum lib. 1. cap. 1. perpendens Parabolam seminantis, quam Christus Dominus tradidit Matth. 13. hæc scripsit: *Centenarius, & sexagesimus, & trigesimus fructus, quamquam de una terra, & de una semente nascatur, tamen multum differt in numero. Triginta referuntur ad Nuptias... Sexaginta ad viduas... porro centesimus numerus... exprimit Virginitatis Coronam*. Hujusmodi igitur status pro Deo susceptus, non solum ex Scriptura, verum etiam ex Patribus copiosiorem habet proventum Sanctitatis, & meriti, & in eo gradus altior felicitatis acquiritur. Igitur Scripturarum interpres maxime attendere debet quando minora majoribus exæquantur. Inferioris comparatio superioris injuria est. Hæc S. Hieronymus l. c. *Scimus in domo magna non solum esse vasa aurea, & argentea sed & lignea, & fictilia... Non ignoramus honorabiles Nuptias, & torum immaculatum, legimus primam Dei sententiam: Crescite, & multiplicamini, & replete terram, sed ita Nuptias recipimus, ut Virginitatem quæ de Nuptiis nascitur præferamus. Numquid argentum non erit argentum, si aurum argento pretiosius est, aut arboris, & segetis contumelia est si radici, & foliis, culmo & aristis poma præferantur? Ut poma ex arbore, frumentum a stipula, ita Virginitas e Nuptiis...* Cæterum non est despiciendus Angelicus Præceptor qui 2.2. q. 152. a. 4. ad 2. ita scribit: *licet Virginitas sit melior quam continentia Conjugalis, potest tamen Conjugatus melior esse quam Virgo duplici ratione: primo quidem ex parte ipsius Castitatis, si scilicet ille, qui est Conjugatus habet animum magis paratum*

ad Virginitatem servandam; si oporteret, quam ille, qui est actu Virgo: Unde S. Augustinus Virginem instituens lib.2. de Bono Conjugali cap.22. jubet ut dicat. *Ego quidem non sum melior quam Abraham, sed melior est Castitas Cælibum, quam Castitas Nuptiarum, quod enim ego nunc ago, melius Abraham, & alii antiqui Sancti egissent, si tunc agendum esset, quod autem illi egerunt sic ego non agerem, & si nunc agendum esset*. 2. *quia forte ille, qui non est Virgo habet excellentiorem virtutem*: *unde* idem S. Augustinus in lib. de Sancta Virginitate cap. 44. inquit, *scit Virgo quamvis sollicita quæ sunt Domini, quomodo placeat Domino, ne forte propter aliquem sibi incognitam mentis infirmitatem nondum sit matura martyrio, illa vero mulier, cui se præferre gestiebat jam possit bibere Calicem Dominicæ humilitatis?* Constat igitur non esse contemnendam Virginitatem, ut Nuptiæ laudentur, neque laudanda e contra est Virginitas, ut Nuptiæ spernantur, aut ita Nuptiæ laudari non debent, ut easdem aliqui Virginitati, & Continentiæ, vel anteponant, vel æquent, sed concludendum est Virginitatem Matrimonio esse excellentiorem, & merito Anathema dictum esse a PP. Concilii Trid. Sess. XXIV. cap. 10. cuicunque dixerit: *Statum Conjugalem anteponendum esse statui Virginitatis, vel Cælibatui, & non esse melius ac beatius manere in Virginitate, aut Cælibatu, quam jungi Matrimonio*. Sed de his hactenus.

§. III. *Matrimonium licet variis nominibus propter varia mysteria fuerit nuncupatum, hoc sibi peculiare nomen retinuit ob majorem ejus significationem*.

XV. Præclare Augustinus in lib. 19. contra Manichæos c. 26. Matrimonium sic denominari ait, quod fœmina ob id potissimum nubere debeat ut Mater fiat, sive ut Aurelius Gellius in lib.12. c. 6. Noctium Atticarum existimat a Matris nomine non adhuc obtento, sed cum ipso statim adipiscendo: unde videtur a Matre Matrimonium dictum esse, ea fere ratione quod major Matris quam Patris in liberorum procreatione habeatur ratio, quod hæc certa sit; sicut & Jus Civile judicat a Matre servos, vel liberos esse filios, ut notat Boscherus in Tractatu de Nuptiis in principio, aut demum quia infans magis Materno indigeat solatio, quam Paterno, sibi enim ante partum est onerosus, ut Gregorius IX. in c. *ex litteris* extra de Convers. Infidel. in partu est dolorosus, & post partum laboriosus fuisse cognoscitur, quam rationem perpendens ait: *ex hoc, legitima conjunctio maris, & fæminæ magis Matrimonium quam Patrimonium nuncupatur*, quod Patrimonium a Patre dicitur tum propter industriam viri, per quem augetur, tum quia in regimine domus potiores partes natura Viro tribuit, majorem facultatum copiam ad Connubii societatem afferre solet, ut filii decenter collocentur.

Antiquissimum etiam est nomen *Connubii*, sive Nuptiarum, ut exprimatur Matrimonium ex more antiquissimo puellarum, quæ conjungendæ Maritis velo caput solebant obnubere in signum pudoris. Hujus facti narrationem habemus in cap. 24. 64. & sequent. libri Genesis, ubi legitur quod cum Rebecca veniret ad Nuptias adpropinquans domui cum Isaacum in campo vidisset, ex Camelo descendit, & velo caput suum obnubuit. *Rebecca conspecto Isaac*, sunt ipsa verba Scripturæ, *descendit de Camelo, & ait ad Puerum, qui est ille homo, qui venit per agrum in occursum nobis? dixitque ei, ipse est Dominus meus, at illa tollens cito pallium operuit se*, in quem locum

cum ita scribit S. Ambrosius lib. 1. de Abraham c. 9. *Nec illud otiosum est, quod cum veniret Rebecca vidit Isaac deambulantem, & cum interrogasset quis esset, cognito quod ipse esset, cui duceretur uxor, descendit, & caput suum obnubere cœpit, docens verecundiam Nuptiis praire debere*, inde enim & Nuptiæ dictæ, quod pudoris gratia puellæ se obnuberent, vel ut S. Isidorus ait lib. 2. de Offic. c. 19. ut noverint se semper maritis suis subditas, & humiles esse debere, & hujus moris neque desunt apud Ethnicos exempla, imo Ecclesia ipsa eundem servavit, & servat, quæ Conjuges tegit cum nuptiæ benedicuntur. Additum est his nominibus etiam nomen *Conjugii* quia Matrimonium ineuntes idem jugum subeant portandum usque ad interitum, videlicet labores gravissimos, molestias, curas, sollicitudines, quas quotidiano experimento viri, & uxores comprobant, juxta illud Apostoli 1. ad Cor. 7. *Tribulationem tamen Carnis habebunt hujusmodi*: Effutiebant hinc Marcionitæ Nuptias miseriæ, damnationis, ac impietatis esse plenas, ex opposito Tertullianus contendit lib. 1. ad Uxorem c. 9. magnam esse Nuptiarum felicitatem, nec posse impietatis jure redargui: *Unde sufficiam*, ajebat, *ad enarrandam felicitatem Matrimonii, quod Ecclesia conciliat, confirmat oblatio, obsignatum Angeli renunciant... quale jugum Fidelium duorum unius spei, unius voti, unius disciplinæ, unius servitutis? Ambo fratres, ambo conservi, nulla spiritus, nulla carnis discretio..., simul orant, simul jejunia transigunt... In Ecclesia Dei pariter, in Connubio Dei pariter... talia Christus videns gaudet, his pacem suam mittit, ubi duo, ibi & ipse, ibi & malus non est*. Hujus oneris compassione Christus in Nuptiis quas sua præsentia dignatus est Aquam convertit in Vinum, nimirum significans ad hoc se venisse, ut ærumnas, ac miserias culpa primi hominis in Nuptias invectas, ipse secundus homo aboleret, atque in benedictionem verteret, nam per Aquas in Scripturis tribulationes intelligi solent, unde illud: *quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam* Psal. 68. Vinum autem a Deo creatum esse ut lætificet cor hominis alibi idem Psalmista testatur Ps. 143. & hoc tunc contingit cum hæc incommoda partiuntur inter se Vir, & Mulier, & hinc elucet individua utriusque societas, quæ *Coniugii*. & aliquando *Consortii* haud incongrue nomen habet, *L. si donationem C. de Nuptiis*. si vir, & mulier ita conectuntur, ut appareat arctissima Corporum, animorum, facultatumque facta communio. *Coronarum* etiam nomine Matrimonium notatum, significatumque fuisse in Sacris, Profanisque Auctoribus invenimus, imo, & in Antiquis Canonibus, qui cum prohibent secundas Nuptias benedicere, inquiunt: *bigamus non coronetur*. Hujus Coronæ, quæ Viri, & Mulieris Capitibus imponebatur in fine benedictionis Nuptiarum meminerunt Græcorum, & Latinorum Euchologia, Latini, & Græci PP. Tertullianus in lib. de Corona Militis cap. 13. Chrysostomus Hom. 2. in Epist. 1. ad Timoth. ex quibus eruitur Cæremoniam hanc, & appellationem esse antiquissimam, & utrique Ecclesiæ Occidentali, & Orientali communem. Ceterum singulis hisce denominationibus celebrior prima extitit, & reliquis omnibus prævaluit, videlicet nomen Matrimonii, cujus naturam ut perspectam habeamus, illud sic definimus Tridenti Concilii Doctrinæ inhærentes, ut sit *Viri, & Mulieris maritalis Conjunctio inter Legitimas personas individuam vitæ consuetudinem retinens*. Cum dicitur *conjunctio Maritalis* illa species obbligationis ponitur, quæ propria est finis Nuptiarum. Cum dicitur *Viri, & Mulieris* ostenditur Polygamia a Nuptiis exclusa. Cum dici-

dicitur *inter personas legitimas* indicantur Divinæ, & humanæ Leges, quæ certas personas rejiciunt tanquam incapaces ad Matrimonii fœdera ineunda: demum cum dicitur *individuam vitæ societatem retinens*, exponitur quod in hoc indivisibili vinculo essentia Matrimonii, & ratio formalis consistit. Non desunt alii Theologi, qui aliam tradunt definitionem Matrimonii. Inter ceteros Hugo a S. Victore Matrimonium definit: *quod est duarum personarum idonearum, legitimus de conjunctione consensus*, alii vero inquiunt: *est consortium communis vitæ, & communicatio Divini, & humani juris*, in quarum alterutra nulla fit mentio mutuæ obligationis, ita ut merito quis posset ambigere, utrum revera *caussa formalis*, sive essentia Matrimonii in hac mutua obligatione consistat. Sed ambiguitas omnis tollitur a D. Thoma Supplem. q. 44. a. 3. in corpore, qui tria in Matrimonio considerans, scilicet caussam ipsius, essentiam, & effectus, secundum hæc tria se invenisse inquit tres definitiones de Matrimonio datas, ita ut in prima videatur definitum Matrimonium quo ad ejus essentiam, in secunda quoad ejus caussam, in tertia quoad effectum ad quem ordinatur Matrimonium, scilicet vitam communem in rebus domesticis, & quia omnis communicatio aliqua lege ordinatur, ideo ponitur Jus Divinum, & humanum, cui mutua viri, & mulieris communicatio nititur. Igitur in superiori definitione traditur definitio essentialis, in duabus reliquis, definitiones, seu descriptiones habentur, quæ caussæ formali Matrimonii non adversantur, hoc est obligationi, vinculo, & nexui mutuo, qui ex consensu interno, & pactione externa inter virum, & mulierem resultat. Diximus ex *consensu interno*, nam gravis quæstio est an sustineri posset validitas Matrimonii, si Contrahentes interno hoc consensu carerent, licet exterius contrarium non appareret.

XVI. Validitatem Nuptiarum a Consensu dependere, qui verbis, aut signis exterioribus exprimatur prælucente Scriptura Theologi omnes asseruerunt, idemque firmarunt Ecclesiæ Decreta in cap. *Tuas* de Sponsa duorum in cap. *cum apud* de Sponsalibus, in cap. *cum locum* eod. tit. & naturalis ratio probat, non aliter quam mutuo contrahentium consensu potestatem mutuam corporum transferri posse in Conjuges, nec posse aliquem per vim adigi ad jugum Matrimonii subeundum. Sed utrum necessario oporteat esse internum, hoc est animo non reluctante, diversa sunt Theologorum judicia. Aliqui affirmant, aliqui negant. *Solus consensus*, ait Nicolaus I. *facit Matrimonium... Solus si defuerit, cetera etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur: quæcumque verba intervenerint*, & in laudato cap. *Tua nos* sic loquitur Innocentius III. *si propositum, & consensus Matrimonii non sit in animo, nihil fit, quia ut dictum est, voluntas est, quæ Matrimonium facit*. S. Thomas in 4. d. 27. q. 1. a. 2. quæstiunc. 4. *Expressio* inquit *verborum sine interiori consensu Matrimonium non facit*, & in responsione ad 2. *Si desit consensus mentalis ex parte unius, ex neutra parte est Matrimonium*. Idem probat natura consensus, qui cum propria voluntatis operatio sit, necessario interna debet esse.

Sententiam oppositam Magister Sententiarum tuetur in 4. d. 27. ubi scribit: *Si verbis explicant Sponsi, quod tamen corde non volunt, si non sit coactio ibi, vel dolus, obligatio illa verborum, quibus consentiunt Matrimonium facit*. Theologi vero illi pauci, qui Magistrum sequuntur rationem addunt, quia sic contrahentes Nuptias, referunt fructum ex propria injustitia con-

contra illud tritum assertum *quod dolus , & fraus nemini patrocinatur* , dubia , & incerta redderentur Matrimonia singula , Conjuges quoque incerti essent de prole suscepta, esset ne legitima, aut nefario concubitu genita &c.

Non videntur vero adeo efficacia momenta hæc Auctoribus primæ Sententiæ, imo nec satis congruentia , quia nihil horum verificaretur . Non patrocinium ex fraude Conjugis delinquentis, nam hoc ipso, quod verba consensum exprimentia serio , & in debitis circumstantiis pronunciaverit, tum Canonicæ , tum Leges Civiles ab inita pactione resilire eosdem prohibent , & ad novas Nuptias convolare , & propterea si non certitudine Physica , morali profecto certitudine , quæ sumit ab humano testimonio firmitatem, Conjux innocens in suo Matrimonio conquiesceret . Non incertitudo prolis, nam certe esset proles ex ipso suscepta illa certitudine , qua major in humanis haberi non potest . Non ita vero argumentari liceret pro asserenda validitate Sacramenti , siquidem cum hæc supponat validitatem contractus Matrimonialis tamquam ejus fundamentum , in facta suppositione, defectu interni consensus nullus esset contractus , & propterea nullum quoque Sacramentum. Alicui igitur videbitur inferri posse ex hac hypothesi contrahentem sine interno consensu esse constitutum in fatali necessitate peccandi, si Mariti officium exercere , aut innocenti parti , quod juste petet denegabit. Peccabit pro facto , sed non ex fatali necessitate, quam avvertere in sua potestate habet, mutando perversam voluntatem, si ad se reversus, quem antea cohibuerat, voluntatis consensum, admoveat, ut caussa materialis Matrimonii subsistat, & verum sit quod legitimæ Personæ mutuam obligationem consensu reciproco contraxerunt . Non est autem necesse ut consensus iste expresse feratur in copulam carnalem , alioquin inter B. Virginem , & S. Joseph non fuisset verum Conjugium , sed sufficit consensus in conjugalem vitæ societatem , quæ includit consensum cohabitationis , quatenus sine ea non potest illa Conjugalis societas contineri , nisi vel caussa Religionis , vel alia ratio saltem quo ad hanc conjuges ipsos separare permittat . Wiclefo numquam concedemus solum internum consensum , nullo signo externo declaratum , ad conciliandum inter duos Matrimonium sufficere , nam oporteret etiam concedere inter homines locis sejunctissimos , mutuum consensum prorsus ignorantes, matrimonia intercedere , quod affirmare , imo & somniare est absurdissimum; siquidem humano modo res tanti momenti agenda est, quod fieri non potest, nisi per signa exteriora , qualia hominum naturæ congruunt, sive postea hæc sint verba , sive sint nutus , sive aliud quodpiam hunc consensum declarans, qui geritur mente clausus , quia tunc mutuo notificatur .

C A P U T II.

DE MINISTRO SACRAMENTI MATRIMONII , DE EJUS MATERIA , ET FORMA .

I. CUm in Matrimonio duo spectentur , Contractus scilicet , & Sacramentum , nisi prius Theologi convenerint in examinæ hujus gravissimæ quæstionis, utrum in Matrimoniis fidelium separari possit Contractus a Sacramen-

mento, neque concordia Opinionum habebitur in re de qua disputamus. Cum itaque diffideant in prima, necesse est, quod neque in altera dirimenda controversia conveniant, qua de re prudenter Benedictus IV. in suo laudatissimo Opere de Synodo Diœcesana de re tanti momenti agens in libro VIII. cap. 12. n. 9. cum utriusque sententiæ solidiora fundamenta innuisset, persuasum voluit Episcopis *utramque Opinionem esse probabilem, suosque habere magnæ Auctoritatis Patronos, atque inde non decere discerent, ut ipsi Judicis partes assumerent, quæstionemque definirent, de qua Ecclesia nihil hactenus pronunciavit, sed Theologorum Disputationi permisit. Acturi vero in Synodis de Matrimonio proponerent quidem, explicarentque doctrinam a Concilio Florentino, & Tridentino de hujusmodi Sacramento diserte traditam; sed caverent, ne aut Parochum, aut ipsos contrahentes ejusdem Ministros appellarent*: Sit ergo.

§. I. *Censura vacat Theologorum sententia, sive solus Sacerdos Legitimus Matrimonii Minister dicatur, sive dicatur hoc munus ad Contrahentes pertinere.*

II. Ne Catholicam regulam a Concilio Florentino propositam, & a Doctissimo Pontifice Benedicto XIV. deseramus, prima fronte exponimus verba Eugenii IV. quæ leguntur in Instructione pro Armenis circa numerum Sacramentorum: *Septimum est*, inquit Eugenius, *Sacramentum Matrimonii, quod est signum conjunctionis Christi, & Ecclesiæ secundum Apostolum. Caussa efficiens Matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus*. Ut patet unicuique Summus Pontifex hic non agit de Matrimonio, quod non egrediatur naturam puri Contractus, quam non ignorabant Armeni, sed agit de illo Matrimonio, quod signum est conjunctionis Christi, & Ecclesiæ, ut tale est Matrimonium, quod dicitur Sacramentum. Necesse igitur erat, quod hujus Sacramenti caussam efficientem exponeret, non secus ac caussam antea exposuerat efficientem in reliquis Sacramentis. Novum, & Armenis inauditum non potuit exponere, cum hoc non suppeditent Pontifici Sacræ litteræ, nec constans, & antiqua Traditio. Mutuum ergo consensum hanc caussam dixit, quæ in Traditione habetur, & ex Scriptura eruitur, qui consensus cum per verba de præsenti regulariter exprimatur, nam aliquando datur per Procuratorem, ut supra notatum est, aliquando per ipsos Parentes, per Epistolam, per nutus, aut aliquod aliud signum de illis, per quæ Nuptiæ convalidantur, ideo hanc vocem *regulariter* Pontifex usurpavit, ut clarum fieret quomodo hoc Sacramentum consuevit in Ecclesia administrari. Oportet igitur ex Concilio Florentino concludere ipsos contrahentes esse Sacramenti Ministros, non Sacerdotes, quia soli contrahentes formam materiæ adjungunt, quod est præcipuum Ministri Opus, dum Sacramentum aliquod conferri debet.

III. Nec aliud elicitur ex Concilii Tridentini doctrina, quæ legitur in Decreto de Matrimonio exarato in Sessione XXIV. Tria sunt, quæ notarunt Patres in hoc decreto 1. Christum approbantem Conjugium in statu Innocentiæ institutum 2. Christum eidem Conjugio largientem gratiam 3. Novæ Legis Matrimonium veteribus Matrimoniis gratia præstare, & nihil ultra addiderunt, ut Matrimonium Legis gratiæ, quo ad ritum a veteribus Matrimoniis differret, in Materia scilicet, Forma, & Ministro. Igitur, qui tunc fuerunt

runt Ministri Matrimonii, nunc quoque iidem erunt, cum non sit mutata ejusdem essentia, sed sit superaddita tantum Sacramenti natura per Christum hoc est caussa gratiæ, quam vetera Matrimonia non conferebant, quia Sacramenta non erant.

IV. Nec minus urget ratio a Bellarmino petita ex indissolubilitate Matrimonii, quæ tota pendet a natura Sacramenti juxta illud Matth. 19. *quod Deus conjunxit homo non separet*. Hoc enim ipso, quod Sacerdotes debent esse Sacramenti Matrimonii Ministri, si casu contingat, quod non accedat Sacerdos dum Matrimonium contrahitur, ut revera contingit in locis illis, ubi celebrantur Matrimonia non servata forma a Cincilio Tridentino præscripta, aut Parochus coram adsit, sed nihil dicat, aut dissentiat, imo protestetur in contrarium, sine culpa hoc Matrimonium solvi poterit, & vir alteri mulieri, & e contra mulier alteri viro poterit commisceri, & ita Matrimonia multiplicari, vel solvi. Matrimonii vinculum esse rem Sacramenti docuit Augustinus in libro de bono Conjugali cap. 7. & inde caussa traditur cur Matrimonia Infidelium etiam legitima, & consummata solvi possunt per conversionem alterius Conjugis 1. Cor. 7. Contrarium autem observatur ubicumque locorum celebrantur Matrimonia in Ecclesia Christi, quæ si fuerint consummata, omnis occluditur caussa eorum solutioni. Oportet igitur confiteri Matrimonium quodlibet in Ecclesia Christi initum sine forma a Sacerdote prolata esse veri nominis Sacramentum, in hoc distinctum a reliquis, quia aliqua Sacramenta ex peculiaribus aliis caussis requirunt, quod suscipientes a ministrantibus distinguantur, ut in illis ratio signi salvetur, quæ salvatur optime in Sacramento Matrimonii ratione novæ significationis a Deo institutæ, videlicet spiritualis unionis Christi cum Ecclesia, & cum anima uniuscujusque per gratiam, & charitatem, quam repræsentat externa viri, & uxoris societas.

V. Et re quidem vera Christus Dominus non novum Symbolum instituit, sed humanum, usitatumque contractum ad Sacramenti dignitatem evexit, attribuens illi contractui novam significationem, & gratiæ promissionem, & hanc Dominicam Traditionem Concilium Tridentinum loco supra cit. explicavit, non vero essentialia Matrimonii mutavit, inter quæ illud est, ut ipsi se Contrahentes ligent, neque opus habent tertia persona, a qua ligentur, & ut cum absentibus per Procuratorem contractum facere, si velint, queant; quod in aliis Sacramentis locum non habet, quia repugnat eorum naturæ, & proprietati, & ratio non admittit, ut quis se ipsum regeneret, aut abiens absentem lavet, aut alius lavetur pro alio, si exemplum ponatur in Sacramento Baptismi, & quod alius se ipsum absolvat, aut absolvat absentem, se ipsum ordinet, confirmet, inungat, aut absentes ordinet, & inungat, si loquamur de Sacramento Pœnitentiæ, & Ordinis, & sic de ceteris; unde merito in his Cristus voluit, ut extranei Ministri Opus requireretur, & præsentia suscipientium eadem Sacramenta. Unicum est Eucharistiæ Sacramentum, in quo aliquid simile observatur Sacramento Matrimonii, nam in Eucharistia idem Sacerdos est Minister conficiens Sacramentum, & illud suscipiens, quod statutum est in cap. *Relatum*, & in cap. *Peracta* de Consecr. dist. 2. in quibus Textibus dicitur, quod Sacerdotes, qui eam conficiunt tenentur eam suscipere, & Sacrilegio Sacerdotes obstringuntur si non suscipiunt, ut dicitur in cap. *Comperimus* dist. ead. Ex quo videtur vanitas illationis illorum Theologorum, qui hoc ipso, quod audiunt Sacramenti nomen, statim arguunt suscipientes Sacramentum de-

debere esse distinctos a Ministro idem Sacramentum conficiente. Cum itaque contrarium pateat in exemplo allato Sacramenti Eucharistiæ, qui locus erit ambigendi, quod idem non possit etiam contingere in conferente Sacramentum Matrimonii?

VI. Inquient fortasse aliqui hoc repugnare Doctrinæ Apostoli, qui in 1. ad Cor. 5. *Sic*, ait, *nos existimet homo, ut Ministros Christi, & dispensatores Mysteriorum Dei*; ita ut solæ Personæ Ecclesiæ addictæ, hoc munere fungi possint administrandi, ut Sacramenta reliqua, ita etiam, & Matrimonium, ut eruitur, ex cap. *cum in Ecclesia* de Simonia, in quo prohibetur aliquid temporale accipere in benedictione Nuptiarum sub pœna Simoniæ, & ex cap. *Tribus gradibus* dist. 2. quo cavetur, ut mulieres Sacramenta administrent, & apertius ex Trident. Concilio loco supra citato ubi decernitur, quod *Parochus viro, & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto dicat: Ego vos conjungo in Matrimonium in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* verum nullius roboris hæc momenta dignoscuntur. Non primum, quia contrarium cernitur in Sacramento Baptismi si administrari oporteat urgente casu necessitatis, in quo casu non arcetur Laicus sive sit Vir, sive Mulier ab administratione Baptismi; ita pariter non repugnabit Sacramentum Matrimonii a Laicis ministrari, quia sic requirit natura hujus Sacramenti, ut supra probatum est. Non secundum, nam textus, qui citatur in cap. *cum Ecclesia* tantum agit de benedictione, quæ cum sit res spiritualis, & rei spirituali annexa, si quid temporale exigatur Simoniæ vitium inducitur. Non tertium, nam in citato textu agitur de Eucharistia, & Actionibus illis, quæ ad hoc Sacramentum pertinent, & propterea merito arcentur mulieres ab hujusmodi ministeriis. Non quartum denique, nam ipsi Tridentini PP. de sola benedictione loquuntur, ad quam referuntur laudata verba, quæ juxta diversitatem Regionum, & Ritualium jubent custodiri, quod sufficit, ut intelligatur eadem verba non continere formam Sacramenti Matrimonii, & non esse de necessitate, nam etiamsi a Parocho omittantur, Matrimonium subsistit, & perfecte completur, ut disertis verbis docet Angelicus dist. 26. q. 2. a. 2. ad 1. qui tantum abest, quod credat constitui Sacramentum Matrimonii per verba Sacerdotis, quod potius vult illud ornari debere benedictione Sacerdotali, quia est Sacramentum, & ut innotescat Caussas Matrimoniales ad Ecclesiam pertinere.

VII. In universa qua late patet antiquitate unicus reperitur Romanus Pontifex Evaristus, qui Matrimonia celebrata sine Sacerdote appellavit Adulteria, Contubernia, Stupra, & Fornicationes potius, quam legitima Conjugia. Hujus Pontificis sententia legitur in Decreto Gratiani 30. q. 5. cap. *aliter* in quo Canone præcipuum habent Adversarii argumentum, ut suæ caussæ patrocinentur. Ceterum ex ipso contextu Pontificii Decreti per se patet Evaristum prohibere fieri Clandestina Conjugia, non vero ibi agere de Matrimonio, ut Sacramentum est, sed quatenus contrahitur sine solemnitatibus substantialibus, & substantiali forma a Legibus præscripta, hoc est, ut ipse ait, *nisi ab his, qui super ipsam fœminam dominationem habere videntur, & a quibus custoditur, uxor petatur, & a parentibus, & propinquioribus sponsetur, & legibus dotetur, & suo tempore sacerdotaliter, ut mos est cum precibus, & oblationibus a Sacerdote benedicatur, & a Paranynphis, ut consuetudo docet custodita, & sociata a proximis congruo tempore petita, legibus detur,*

tur, ac solemniter accipiatur, & biduo, vel triduo Orationibus vacent, & castitatem custodiant, quibus circumstantiis concurrentibus, *legitima scitote*, ait, *esse connubia, aliter vero præsumpta, non Conjugia, sed Adulteria, vel contubernia, vel stupra, aut fornicationes potius, nisi voluntas propria suffragaverit, & vota succurrerint legitima*. Præterquamquod si bene notentur illa verba, *ut mos est, ut consuetudo docet*, interjecta textui cum agitur de precibus, & oblationibus a Sacerdote peragendis, & de paranymphorum custodia &c. quis non videt antiquitus benedictionem fuisse usurpatam, ut ceremonialem quemdam ritum, non vero tamquam constitutivum Matrimonii, alioquin etiam cetera, quæ subsequuntur in textu: oblationes, paranymphi, parentes, tridualis continentia induerent naturam constitutivi, quod nullus asseruit, nec asseruerunt ipsi Patres Tridentini, qui Clandestina Matrimonia rata, & vera Matrimonia agnoverunt, hoc ipso, quod voluntas propria Conjugum suffragaverit, & legitima vota succurrerint, ut ipse Evaristus talia Matrimonia, licet Clandestina, tamen legitima affirmavit. Præsto igitur est in Decretali Evaristi argumentum, quo confirmatur assertio hactenus demonstrata, & plenius confirmanda in examine alterius opinionis, quæ a Melchiore Cano lib. 8. de Locis Theolog. c. 5. defenditur hac mente, ut nolit esse Sacramenta inter fideles Matrimonia contracta, quæ a Ministro Ecclesiastico Sacris, & solemnibus verbis non celebrantur. Sit igitur.

§. II. *Materia Sacramenti Matrimonii sunt Corpora Contrahentium mutuo tradita, vel tradenda. Forma vero sunt verba, vel alia signa externa æquivalentia, quibus exprimitur internus consensus eorumdem Corporum mutuæ traditionis, & translationis*.

VIII. Sanctus Thomas in 4. dist. 26. q. 2. agens de forma, & materia Sacramenti Matrimonii nobiscum sentit. Ad 1. inquit: *Verba quibus Matrimonialis consensus exprimitur sunt forma hujus Sacramenti*: & ad 2. *Sacramentum Matrimonii*, ait, *perficitur per actum ejus, qui Sacramento illo utitur, sicut pœnitentia*. Pœnitentiam loco exempli ponit S. Doctor, quia inquit: *sicut Pœnitentia non habet aliam Materiam nisi ipsos actus sensui subjectos, qui sunt loco materialis elementi* (nam juxta Hugonem libro de Sacramentis parte 9. cap. 1. Sacramentum est materiale elementum) *ita est de Matrimonio*. Verum ut omnis ambiguitas tollatur, quæ posset irrepere ex modo loquendi S. Doctoris opportune notatur Analogia illa, quæ reperitur inter Sacramentum Matrimonii, Eucharistiæ, & Pœnitentiæ. Dum comparatur Eucharistia Matrimonio non secus in illa ac in isto duplex Sacramenti status cognoscitur. In primo statu videtur Sacramentum in fieri, in altero Sacramentum in facto esse: juxta primam considerationem verba Conjugum exprimentia consensum pertinent ad formam, ut verba consecratoria sunt forma Eucharistiæ, corpora vero concurrunt, ut materia circa quam, ut panis, & vinum sunt materia Eucharistiæ. Porro hoc Sacramentum cum factum est species remanent consecratæ, quæ sunt Symbola spiritualis manducationis, ut externa Conjugum societas, & conjunctio est Symbolum illius, quia est repræsentiva indissolubilis unionis Christi, & Ecclesiæ. In secunda Analogia, ut Actus Pœnitentis perficiunt materiam Pœnitentiæ, ita Actus Conjugum perficiunt materiam Matrimonii: quia vero nulli alii Actus sunt

præter verba, quæ Conjuges ipsos determinant ad retinendam individuam vitæ consuetudinem per mutuam suorum Corporum traditionem, quam illa verba, quæ eorumdem internum consensum exprimunt eorumdem Corporum mutuæ traditionis: hinc est, quod sub hac duplici consideratione Verba Conjugum quatenus tradunt corpora, sive corpora ipsa contrahentium mutuo tradita, vel tradenda per D. Thomam sunt materia Sacramenti Matrimonii; verba eadem, vel alia signa externa æquivalentia, quibus exprimitur internus consensus eorumdem corporum mutuæ traditionis, & translationis sunt ejusdem Sacramenti forma, quod erat nostræ assertionis assumptum.

IX. Quod spectat ad materiam confirmat sententiam Ecclesiæ lex in certis constitutis gradibus Affinitatis, & Consanguinitatis, intra quos nuptiæ prohibentur, non aliter ac Ecclesia ipsa prohibet in certa aqua, aut liquore confici Sacramentum Baptismi, aut Calicem consecrari, aut consecrari panem nisi sit triticeus, quæ leges statim ostendunt aquam, vinum ex vitæ, & panem ex tritico esse veram materiam Sacramenti Baptismi, & Eucharistiæ, nec certas Personas Sacris Ordinibus initiari, quia soli homines masculi, Baptizati, & nullo impedimento irretiti sunt materia Sacrarum Ordinationum; cur non ergo & Corpora Conjugum non erunt materia Sacramenti Matrimonii, dum illud legitime contrahatur, si salva sint omnia. quæ a Lege, vel naturali, vel Ecclesiastica præcipiuntur? eo vel maxime, quod Christus Dominus, ut sæpe diximus in nullo penitus immutavit Matrimonii contractum, cum illud elevavit ad statum Sacramenti, unde nil prohibet, quod in tali contractu materia ipsa retineat rationem tum materiæ remotæ, quam præseferunt corpora contrahentium, tum proximæ, quæ cernitur in traditione eorumdem, quemadmodum neque prohibet, quod in ipso Sacramento conditio materiæ, & Ministri ex diverso respectu salvetur, Contrahentis nimirum, qui se gerit tamquam Minister, & rei contractæ, quæ est ipsa corporum mutua translatio, & traditio.

X. Verum præsentis inquisitionis tota difficultas in definienda materia non versatur, quam licet alii alio modo explicent, tamen non recedunt plurimum ab explicata doctrina, difficultas est major in retinenda forma statuta, quam plerique volunt consistere in verbis his a Sacerdote prolatis, cum nuptias benedicit: *Ego conjungo vos in Matrimonium* non attendentes, quod Concilium Tridentinum non jubet absolute Parochum uti his verbis, *sed his, vel aliis juxta receptum uniuscujusque Provinciæ ritum*. Si hæc verba habuissent Tridentini PP. pro forma essentiali, nunquam eorum usum reliquissent arbitratui Provinciarum, sed illis uti determinate jussissent. Non latet profecto liberum esse Provinciis in formis accidentalibus suos ritus habere, nunquam vero eisdem concessum fuit in formis essentialibus, quas semper Ecclesia prohibuit, etiam per æquivalentia verba usurpare. Id profecto patet ex Concilio Florentino, quod eandem materiam, & formam Sacramentorum, etiam quoad verba determinata præscripsit omnibus Provinciis, saltem pro Ecclesia Latina, multiplex enim varietas obstabat dignitati Sacramentorum, & fundamentis Religionis Christianæ. Præterea quomodo Tridentini PP. arbitrari poterant in his verbis: *Ego vos conjungo* haberi formam essentialem Sacramenti Matrimonii, si eosdem non latebat in omnibus fere Ecclesiæ Provinciis laudata verba non haberi pro forma essentiali, ut Pallavicinus scripsit in

in sua hist. Concilii lib. 20. cap. 4. n. 1. imo noverant in aliquibus adhiberi quædam verba omnino diversa etiam quoad sensum. In Rituali Ecclesiæ Constantiensis ita legitur: *Matrimonium per vos contractum secundum ordinem Matris Ecclesiæ ego auctoritate, qua hac in parte fungor, ratifico, confirmo, & benedico in Nomine Patris &c.* Refert Dominicus Soto in quibusdam Hispaniæ Provinciis hanc adhiberi formulam: *Ego vos sponso, & Sacramentum confirmo*; & in aliis istam: *quod Deus conjunxit homo non separet*. Concilium ergo Tridentinum cum hujusmodi formas approbat, & suam decernit, non decernit, & approbat, quod essentia matrimonii in illis consistat, sed jam Conjuges in facie Ecclesiæ conjungit, quatenus efficit, ut habeantur in jure pro legitime conjunctis. Neque fas est aliter in hac re sentire postquam Concilium Matrimonia Clandestina pronunciavit vera, & rata. Nonne Matrimonium ratum est secundum jura Sacramentum? hoc declaravit Innocentius III. in capite *quanto* de Divortiis extra: *Etsi*, inquit, *Matrimonium verum inter infideles existat, non est tamen ratum, inter fideles autem verum, & ratum existit, quia Sacramentum fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ratum efficit Conjugii Sacramentum*. His adde, quod S. C. Concilii Trident. die 2. Mart. 1580. declaravit hæc verba: *Ego vos conjungo* non pertinere ad substantiam Matrimonii, *idemque valere etiam si verba prolata sint tantum a Contrahentibus, & non a Parocho, dumodo adsit præsentia Parochi*. Præterea eadem S. C. accedente declaratione S. Pii V. ut refert Fagnanus in capite *is qui fidem* de Sponsalibus n. 14. convalescere, ait, Matrimonium invalide contractum coram Parocho, & Testibus præter impedimentum occultum gravis metus, si postea accedat consensus spontaneus utriusque partis absque præsentia Parochi; Et valde incongruum est respondere S. C. & Summi Pontificis mentem inspexisse solum validitatem Contractus Civilis, & omisisse, quod requiritur ad rationem Sacramenti Conjugatis summe necessarii. Ad hæc idem Sanctissimus Pontifex Pius V. teste Fagnano loco citato declaravit convalescere absque præsentia Parochi Matrimonium contractum per verba de præsenti coram Parocho, & testibus sub conditione de futuro, adimpleta conditione. Quomodo autem id fieri posset si verba laudata: *Ego vos conjungo* prolata a Parocho essent forma Sacramenti? Forma debet proferri dum perficitur Sacramentum. Demum praxis S. Pœnitentieriæ, cum committit Confessario facultatem dispensandi super Matrimonio inito cum impedimento occulto Affinitatis ex fornicatione, apponit hanc clausulam = *Confessarius cum taliter Conjugatis de nullitate primi consensus certioratis dispenset, ut Matrimonium secreto inter se contrahere valeant*. Igitur quia turpe esset asserere S. Pœnitentieriam non esse sollicitam de procuranda validitate Contractus Matrimonialis in ea parte, qua Sacramentum est, necessario sequitur sæpe repetita verba: *Ego vos conjungo* non continere formam tanti Sacramenti, sed esse verba non conficientium, sed solemnizantium Matrimonia, ut in Clementina *Religiosis* appellantur ii, qui Matrimonio assistunt tamquam Ministri, non Matrimonii, sed solemnitatum, & Sacrorum rituum, quibus Matrimonia juxta Ecclesiæ leges celebrantur, quæ ubi fuerint contemptæ, easdem contennentes appellantur contemptores Solemnizationis Matrimonii, quos peccare mortaliter Martinus V. definivit in fine Concilii Constantiensis.

XI.

XI. Singula huc usque asserta videntur non bene cohærere cum iis, quæ Concilium Florentinum in Decreto Unionis exposuit, Sacramentum videlicet tribus perfici materia, forma, & intentione Ministri, nam ex iis, quæ diximus sequitur, quod idem Consensus, est materia, & forma, & minister efficiens, & est eadem materia remota, contra illud etiam quod observatur in reliquis Sacramentis, in quibus materia distinguitur realiter a forma, & Minister efficiens a materia remota. Non negamus profecto in Sacramento Matrimonii illud verificari, quod non verificatur in aliis Sacramentis; quia solum Matrimonium speciale habet quod sit Contractus, cui convenit ut materia, & forma realiter non distinguantur, quia Consensus idem sub diverso respectu est materia & forma; Ex eadem natura Contractus oritur quod idem possit esse caussa efficiens, & materia remota Contractus. Exemplum ponitur in eo, qui se vendit Servum. Admittitur ergo Doctrina Florentini Concilii, quod dixit Sacramentum tribus perfici, sed observamus, quod non dixit hæc tria in omnibus Sacramentis realiter inveniri distincta; quemadmodum observamus non debere huic Sacramento congruere reliqua plura, quæ inveniuntur, vel affirmantur de reliquis Sacramentis, quia in illis omnibus nunquam concurrit natura, & ratio contractus. Ne vero aliquis arbitretur singulas nostras Assertiones adversari Auctoritatibus SS. Patrum.

XII. Observamus tandem nullas posse Adversarios nostros in medium proferre SS. PP. auctoritates, in quibus dicatur Conjunctionem Matrimonii per hæc verba *Vos Conjungo*, aut his æquivalentia, esse aut continere benedictionem Nuptiarum, cum hæc sola sit secundum ipsos Adversarios benedictio essentialis, cæteræ accidentales. Quod si aliquis Patrum ex Sacra Benedictione voluit aliquo modo probare Matrimonium esse Sacramentum, non dissentimus ab illo; quia hoc ipso, quod celebratur in loco sacro, cum benedictione sacra a Ministris sacris impetrata, infertur legitime Matrimonium non esse contractum mere civilem, sed Sacramentum, quemadmodum inferri potest etiam Sacerdotem Ministrum esse ejusdem Sacramenti dummodo dicta a Patribus intelligantur non de Ministro, & forma Sacramenti quoad substantiam, sed de Ministro, & forma solemnitatis. *Matrimonium* inquit S. Thomas in 4. d. 1. q. 1. a. 3. ad 5. *secundum quod est in Officium naturæ, & Pœnitentia secundum quod est Virtus, non habet aliquam formam verborum, sed secundum quod utrumque est Sacramentum in dispensatione Ministrorum existens, utrumque habet aliqua verba, sicut in Matrimonio sunt verba exprimentia consensum, & iterum benedictiones ab Ecclesia instituta*, ubi aperte S. Doctor affert pro forma essentiali verba exprimentia consensum, & benedictionem Sacerdotis pro Cæremonia seu forma accidentali, quippe quæ non sit a Christo, sed ab Ecclesia instituta.

CAPUT III.

DE MATRIMONII UNITATE.

I. REm difficilem aggredimur cum disputare proponimus de Matrimonii Unitate, propterea quod hic ingredi oporteat in arcana naturæ impervia sæpe, si non omnibus, iis certe, qui præconceptis allecti opinionibus na-

naturæ Principia, Leges, & Conclusiones ita pervertunt, ut nec ab imperitissimis ipsis audirentur ea, quæ ipsi solent confidentissime] pronunciare. Si itaque dirimenda ex illorum marte esset hæc Controversia, aliqui eorum Svirato faverent, Polygamiam tuerentur alii, neque deessent qui Bigamiæ successivæ bellum indicerent, & alii qui pro Repudio certarent. Utinam nunquam saperent ii, qui tam inepte sapiunt, & non depravatis moribus judicarent, sed integra ratione uterentur, & Religioni obtemperarent. Nos itaque rejectis singulis illis Propositionibus, quas vanæ Philosophiæ clientela, antesignani Hæreticorum tradiderunt, ponimus

§. I. *Biviratus, & Polygamia Juri naturali, Divino, & positivo repugnant, & fuerunt duæ res semper illicitæ.*

II. Jus naturale Divinum est quod Deus auctor naturæ præscribit, Jus Divinum positivum est quod Divina auctoritate introductum est. Id quod Deus auctor naturæ præscribit primario naturæ fini consentaneum, invariabile, & immutabile est, & hujusmodi sunt prima naturæ principia, secus vero si sit consentaneum fini secundo, attentis enim locorum, temporum, aliisque conditionibus, aliquam dispensationem admittit; ita ne deufraudaretur natura fine suo præcipuo, necessaria fuit in ipsa mundi origine dispensatio Divina ut Fratres cum Sororibus conjungerentur. Jus Divinum positivum in Veteris, & Novi Testamenti paginis continetur. His breviter præsuppositis statim dignoscitur, quare Juri Divino naturali, & positivo Biviratus repugnet. Hanc licentiam Plato concessit in sua Republica Mulieribus, ut possent pluribus Viris conjungi. Verum ab Ethnicis ipsis Philosophis arguitur, & refellitur. Inquiebat enim Aristoteles lib. 2. Politicorum: *si non in ceteris tantum rebus, sed & in usu mulierum communio locum haberet, susdes omnia miscerentur, nec jam posset quisquam. aut propriam sobolem, aut cognationem agnoscere, atque adeo in tanta Confusione, cum nemo Patrem, Fratres, Sorores secerneret incestibus, parricidiis, omni denique criminum generi fræna laxarentur*, unde evidens est perniciosissimum fuisse Platonis Consilium, idemque repugnare cum primis præceptis Legis naturæ, & tam primario quam secundario ejusdem naturæ fini, videlicet prolis generationi, & congruæ ejusdem educationi.

III. Non minus contra Biviratum quam contra Polygamiam simultaneam conclamarunt Aristoteles, aliique Philosophi, quod natura duce illam esse Reipublicæ perniciosam agnoverint, utpote quæ adversam æqualitati, quam virum inter, & mulierem natura constituit: Fidei, & Justitiæ Conjugali adversam, & perfectæ communioni, quæ in optimo familiæ regimine desideratur: Zelotipiæ, ac discordiarum effectricem, ut probat D. Augustinus in libro de bono Conjugali contra Jovinianum cap. 17. ut de Uxoribus Abraam Sara, & Agar scriptum est Genes. 16. de Lia, & Rachele Genes. 39 de Anna, & Phenenna 1. Reg. 1. Prudenter ergo Polygamiam probrum esse a natura docuit S. Thom. in 4. dist. 33. q. 1. a. 11. & Ethnici Magistratus infamia illos notabant, qui plures simul uxores ducerent, nec tantum flagitium inultum esse sinebant, qui Reipublicæ præsidebant, & qui apud illos naturalis justitiæ fuerunt observantiores, nunquam sibi permiserunt pluralitatem uxorum: qua de re bene ponitur nostra assertio, quæ rejicit Biviratum, & Polygamiam

tam-

tamquam turpissimas incontinentiæ species naturali juri omnino repugnantes, ut modo probabimus easdem etiam repugnare juri Divino positivo.

IV. Textus est clarus in cap. 2. Genes. v. 24. *Relinquet homo Patrem suum, & Matrem, & adhærebit Uxori suæ*: item in cap. 19. Matth. v. 4. *Non legistis quia qui fecit hominem ab initio Masculum, & Fœminam fecit eos, & dixit; propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit Uxori suæ, & erunt duo in carne una*. Quod in his textibus veritas nostræ Propositionis contineatur testatur Chrisostomus homil. 63. in Matth. his verbis. *Jussit quod unus uni conjungatur, nam si voluisset alteram etiam duci uxorem, uni viro creato multas conformasset mulieres. Audi quomodo dicit: qui fecit a principio masculum, & fœminam*. Concordat D. Hieronymus in eumdem locum Matthæi ubi ait: *Hoc in exordio Genesis scriptum est, dicendo masculum, & fœminam, non enim ait masculum, & fœminas, sed masculum, & fœminam, ut unius Conjugis consortia necterentur, & dixit adhærebit uxori suæ, non uxoribus*, ita pariter Theophilactus his verbis: *Ostendit Opus, & Legislatorem ejus, qui nos a principio formavit esse monogamiam, ab initio enim Deus unum conjunxit Deus uni, atque ita non oportet unum virum conjungi multis*, & hanc interpretationem legimus apud Ambrosium, Prosperum, Tertullianum, & alios.

V. Non minus efficax argumentum petitur ex cap. 6. Genesis v. 19. ubi legitur: *ingredieris in Arcam tu, & Filii tui, Uxor tua, & Uxores filiorum tuorum, & ex cunctis Animantibus universæ Carnis binos induces in Arcam, ut vivant tecum masculini sexus, & fœminini*. Si ergo eamdem legem, quam Divina Sapientia præscripsit initio generis hominum, eandem in gruente diluvio custodit, ut unus, & una ex omnibus speciebus Animalium inducatur in Arcam, certe Deus significavit unam tantum Uxorem licitam esse, & plures esse prohibitas, quem loquendi modum cum servet Apostolus tum in cap. 5. ad Ephes. v. 33, & cap. 7. & in cap. 2. Epist. ad Rom. & in 1. ad Cor. 7. ubi Uxores, & Mariti nunquam ponuntur in plurali numero, sed semper in singulari, certissimum est argumentum quod positivæ Divinæ Legi Polygamia adversatur. Juxta hunc sensum Scripturarum ipsi Nicæni Patres in can. 24. dixerunt *Divinam ordinationem esse, neminem debere duas uxores ducere*, idemque postea asseruit Innocentius III. in cap. *Gaudemus* de Divortiis, & dum Concilium Tridentinum Doctrinam exponens Matrimonii post recitata verba Scripturæ, *& erunt duo in Carne una*, subdit: *Christum apertius docuisse Matrimonii vinculo duos tantummodo copulari, & conjungi*, significare voluit initio quidem id etiam traditum divinitus fuisse, sed minus aperte; ideo vero addidit *minus aperte* cum dissimulari non possint exempla Sanctorum Patriarcharum, aliorumque justorum hominum, qui plures Uxores acceperunt, de quibus suspicari non debemus, quod Divinam, & naturalem legem tam manifesto crimine violaverint, atque in hujusmodi facto usque ad extremum vitæ perseveraverint, quod est præcipuum argumentum cui innititur illorum sententia, qui constanter affirmant Polygamiam, qua vir unus plures simul Uxores in thori consortium recipit, non repugnare Legi Naturali, & Divinæ.

VI. Verum non tantum hæc exempla reponunt Adversarii, habent etiam in quo glorientur Augustinum, habent Theodoretum, & habent quomodo definitive idem probent ex positivæ Scripturæ decreto, Augustinus itaque hæc

hæc scribit in libro 22. contra Faustum cap. 47. *Quando mos erat crimen non erat, & nunc propterea crimen est, quia mos non est. Alia enim sunt peccata contra naturam alia contra mores, alia contra præcepta, quæ cum ita sint quid tandem criminis est, quod de pluribus simul habitis Uxoribus objicitur S. Viro Jacob? Si naturam consules? non lasciviendi, sed gigniendi caussa illis mulieribus utebantur. Si morem? illo tempore, atque in illis terris hoc factitabant. Si præceptum? nulla lege prohibebantur. Nunc vero cur crimen est, si quis hoc faciat, nisi quia, & moribus, & legibus hoc non licet?* Eamdem rationem affert Theodoretus q. 67. in Genes. nisi quod de more non loquitur, quem tamen extitisse colligitur ex verbis his quæ leguntur Deuteronomii cap. 43. *Si habuerit homo duas Uxores unam dilectam, & alteram odiosam, genueritque ex eis liberos, & fuerit filius odiosæ primogenitus, volueritque substantiam inter filios dividere, non poterit filium dilectæ facere primogenitum, & præferre filio odiosæ.* Consuetudo igitur penes Judæos invaluerat se pluribus Uxoribus commisceri, nec certe contraria essentiæ Matrimonii, quæ consistit in mutua traditione corporum quantum ad usum conjugalem necessarium fæcundationi Uxoris, quo fine præcisæ attento, non repugnat quod vir etiam alteri se tradat, cum unus vir, ut ait S. Thoma 2. 1. q. 59. a. 1. in corpore sufficiat pluribus Uxoribus fœcundandis, & educandis filiis ex eis natis. Sufficerent profecto etiam Argumenta hæc Adversariis, nisi contrarium naturæ Leges præscriberent. Ut igitur quantum veleant dignoscatur, sit

§. II. *Pluralitas Uxorum Deo dispensante aliquando licita fuit.* Hæc sententia traditur a D. Thoma in Supplem. Partis III. q. 65. a. 2. in corpore, & hoc ratiocinio demonstratur.

VII, *Pluralitas Uxorum esse dicitur contra Legem naturæ, non quantum ad prima præcepta ejus, sed quantum ad secunda, quæ quasi Conclusiones a primis præceptis derivantur, sed quia actus humanus variari oportet secundum diversas conditiones personarum, & temporum, & aliarum circumstantiarum, ideo Conclusiones prædictæ a primis Legis naturæ præceptis non procedunt, ut semper efficaciam habentes, sed in majori parte, talis est enim tota materia moralis, ut patet per Philosophum in libris Ethicorum, & ideo ubi eorum efficacia deficit, licite ea prætermitti possunt, sed quia non est facile determinare hujusmodi varietates, ideo illi, ex cujus auctoritate Lex efficaciam habet, reservatur ut licentiam præbeat Legem prætermittendi in illis casibus, ad quos Legis efficacia non extendere se debet, & talis licentia dispensatio dicitur. Lex autem de unitate Uxoris non est humanitus, sed divinitus instituta, nec unquam verbo, aut literis tradita, sed cordi impressa, sicut & alia, quæ ad Legem naturæ qualitercunque pertinent, & ideo in hoc a solo Deo dispensatio fieri poterit per inspirationem internam, quæ quidem principaliter Patribus Sanctis facta est, & per eorum exempla ad alios derivata est, eo tempore quo oportebat prædictum naturæ præceptum prætermitti, ut major esset multiplicatio prolis ad cultum Dei educandæ: semper enim principalior finis magis observandus est, quam secundarius: unde cum bonum prolis sit principalis Matrimonii finis, ubi prolis multiplicatio necessaria erat debuit negligi ad tempus impedimentum, quod posset in secundariis finibus evenire, ad quod removendum præcipuum prohibens pluralitatem Uxorum ordinatur.* Tota igitur difficultas in

eo posita est, ut & dispensatio probetur, & veritas caussæ, cui hæc dispensatio tribuitur, demonstretur.

VIII. Ad primum itaque communiter respondent Theologi Epocham hujus Dispensationis non præteriisse Diluvium, nam in tota illa historia, quæ præcedit Diluvii tempora Lamech de Stirpe Cain unicus & solus legitur, qui Uxorum pluralitatem invexit. *Mathusalem genuit Lamech* (Gen. 4. 19.) *qui accepit duas Uxores, nomen uni Ada, & nomen alteri Sella*, quem libidine impellente Gentiles imitati sunt, & reprehenditur ab omnibus tanquam transgressor Legis Matrimonii, ut constat ex cap. *Annon* 24 q. 3. & ex cap. *quomodo* 31. q. 1. Quandonam vero facta sit non conveniunt. Aliqui enim arbitrantur hujus Dispensationis originem ab Abrahamo repetendam, alii vero eamdem repetunt a Noe, & per ipsum posteris suis communicatam, quia tunc urgebat necessitas multiplicandi genus humanum, cujus supererant tantum Animæ octo, & ætas hominum non erat adeo longæva, ut sufficeret ad hoc opus. Hanc autem dispensationem non externa aliqua Scriptura, aut locutione contigisse, sed interna inspiratione, in confesso est apud illos Ecclesiæ Patres, qui super hoc argumento scripserunt; quorum auctoritatem maximi faciendam esse satis probat Materiæ gravitas, & singulare sanctitatis testimonium, quod Scriptura Patriarchis illis ubique perhibet, nam & Matth 8. Electi recumbunt cum Abraham, Isac, & Jacob in Regno Cœlorum. Lucæ 16. Lazarus ab Angelis deportatur in Sinum Abrahæ. 2. Reg. 12. Deus ipse dicit Davidi: *Dedi Uxores Domini tui in sinum tuum*. Et 2. Paralip. 24. Jojada Summus Sacerdos, idemque laudatissimus, accepit Joas Regi duas Uxores, cum tamen ex verbo Dei certum sit Adulteros Regnum Dei non possessuros.

IX. Nec refragantur huic opinioni tum laudatus Innocentius III. in cit. cap. *Gaudemus*, neque illi Juris Canonici interpretes, qui nullibi tanquam de commisso facinore tam gloriosissimos viros reprehendunt, qui licet Polygamiam in se spectatam juri naturali repugnare doceant, & prohibitam esse ut in §. Superiore probavimus, quia paci domesticæ adversatur, & juri quod habet mulier in mariti corpus; inquiunt tamen desinere contra jus pugnare cum speciali Dei dispensatione permittitur, vel ad fidelem populum propagandum, vel ad aliquid futurum significandum juxta Apostolum ad Galatas 4. v. 22. qui singulare suppeditat argumentum pro asserenda veritate hujusce dispensationis, quando ratio exposita a D. Thoma, & a D. Augustino in lib. de Bono Conjug. cap. 17. tradita non sufficiat, ut videtur iis non sufficere, qui observant filios a talibus Parentibus natos non pertinuisse semper ad fidelem Populum, ut probant evidentissime in filiis qui ex Agar, & Cethura Uxoribus Abrahæ prodierunt: nam hi sunt illi filii in quibus Apostolus repetit occulti cujusdam mysterii prænunciam figurationem; quæ sane perperam exposcitur in Adamo, ejusque Posteris usque ad Noe, quia Deus in eo voluit præscribere formam Matrimonii perpetuam, qualem natura postulabat, ne posteri ejus putarent Polygamiam ab ipsa naturæ institutione profectam cum multarum uxorum virum primum hominum fuisse vidissent, aut proximos ejus filios, & Nepotes. Attento itaque Conditore ipsius naturæ propter allatas caussas dispensante, conqueri de sua violatione natura non potuit. Deus enim in præsenti casu mutavit materiam Legis, quatenus ut supremus Corporum Dominus divisit in plures integram potestatem supra corpus viri,

quam-

quam una mulier habebat, & decernens cultum suum esse propagandum per prolium multiplicationem, voluit uni viro plures jungi mulieres, quia principalior finis Matrimonii magis est observandus, quam secundarius, negligendo ad tempus impedimentum quod posset in secundariis finibus evenire, & inde factus est mos ille, de quo Augustinus in §. Superiori citatus loquebatur, etiam in iis, qui non erant de populo Dei, cujus occasione Jacob a Labano Idolatra in terra Gentilium Mesopotamia plures accepit uxores, & piissima Ester Mardochæo consentiente, & Hebræorum natione exultante, passa fuit se jungi in matrimonium Regi Ethnico Assuero, adhuc vivente Vasthi Uxore, & Esau, qui non pertinebat ad populum Dei plures simul duxit Uxores, idque nullibi legimus illi versum fuisse vitio ob inculpabilem, quæ tunc ibi vigebat consuetudinem, neque a Scriptura reprobatam, quæ nullibi vocat adulteras illas mulieres, & contra Dei legem viris copulatas (ut Deus Davidem semel adulterum increpavit, graviter & punivit) imo vocat illas Uxores.

X. Mirari autem nullus debet, si aliquando etiam a Scriptura eædem Uxores appellantur Concubinæ. Talis enim denominatio in Sacra Historia Uxores illas designat, quæ ad plenum jus Conjugale admissæ non fuerant, & quarum filii pari loco cum filiis aliarum non habebantur, nec hæredes describebantur, & non alia conditione nubebant, nisi ut filios parerent, & in servili plerumque conditione jacebant, nec matres familias dicebantur, neque in omnibus bonis, & honoribus communicabant, & hanc fuisse sortem Agar, & Ismael ejus filii Scriptura docet, quod animadvertere oportet ad veram intelligentiam Patrum, qui si aliquando videntur asserere hujusmodi mulieres non fuisse veras Uxores, illorum dicta interpretari debemus quantum ad plenam juris Uxorii possessionem, non vero absolute, ut constat legenti Genesim 16. 23. 30. 35. Quod si quid aliud intendat eorum aliquis, ut S. Leo Epistola 2. alias 92. ad Rusticum, qui videtur asserere Agar non fuisse veram Uxorem Abrahæ, vel in hoc est deferendus, vel dicendum est ipsum loqui habita ratione disciplinæ, quæ jam suo tempore invaluerat, quæ a nuptiis valide contrahendi illos, aut illas arcebat, quæ juris sui non erant, utpote quæ stricte dicto servitio mancipatæ, *Nisi forte* (sunt verba S. Doctoris) *serva illa mulier ingenua facta, & dotata, legitime, & publicis Nuptiis honestata esse videatur.* Ceterum etiam apud PP. Concilii Toletani 1. Concubinæ consideratæ fuerunt tamquam legitimæ Uxores, ut exponit Gratianus in dist. 34. cap. *is qui*, in quo dixerunt Patres non esse repellendos a Communione illos, qui una muliere contenti essent, sive esset Uxor, sive Concubina, hoc est Uxor privatim ducta sine legalibus instrumentis, alioquin debuissent illi Patres ad Communionem admittere hominem fornicarie viventem, quod est absurdissimum. Possent fortasse ex PP. alia opponi, sed quia minimi momenti sunt, illa omittimus, cum ad scopum hujus Conclusionis non pertineant, sed alterius, qui attendendus est ne a Controversia divagemur: quod si ad controversiam revera pertinere videantur, oportebit callide animadvertere, in quibus circumstantiis Patres illa scripserint, & contra quos iidem scriberent; nam si aliquis ex. gr. nobis opponat Augustinum Adulterii crimen Abrahæ a Manichæis objectum excusare, quod non impetu libidinis, sed gratia prolis, idque cogente uxore fecerit, quia crederet Polygamiam nulla Divina dispensatione Patribus fuisse concessam, insistendum erit cum Ad-

versario, ut statum teneat Controversiæ, in qua versabatur tunc Augustinus cum Manichæis, qui cum inimici Nuptiarum essent, & adversi facto Patriarcharum, non opus illi fuit ea iterum referre, quæ scripserat in libro 22. contra Faustum cap. 22. & in lib. 16. de Civit. Dei cap. 16. ut ostenderet veritatem Conjugii Abrahæ cum Agar, ne audaciores Manichæos redderet, sed prudenter existimavit debere laudatæ rationi inhærere, *ut si vellent non falsæ atque adumbratæ, sed veræ, ac solidæ pudicitiæ capere sanitatem, Divinæ Scripturæ tamquam libris medicinalibus crederent: non frustra tam magnum honorem Sanctitatis tributum quibusdam viris, etiam plures uxores habentibus, nisi quia fieri potest, ut Imperator carnis animus tanta temperantiæ potestate præpolleat, ut genitalis delectationis motum insitum naturæ mortalium leges impositas non permittat excedere*: Ita pariter si alter opponat Ambrosium asserentem in cap. 4. libri quem scripsit de Abraham, si opponat inquam Abrahamum de suo facto Pœnitentiam egisse, & quod filii de ancilla suscepti Pater non fuerit, quia non erat legitimo susceptus conjugio, oportet adversario ostendere S. Ambrosium non ex propria, sed ex aliorum mente per concessionem dixisse, neque tunc fuisse sollicitum in vindicando Abrahamum ab Adulterio, quod ad Cathecumenos loqueretur, quos opere pretium erat a pellicatu vehementissime deterrere, quibusque exemplum Abrahæ poterat excusationem offerre libidinis, si ab omni crimine purus dictus fuisset; quemadmodum e converso, ut Pœnitentia Abrahæ, & venia a Deo impetrata Cathecumenos ipsos firmiores redderet, in spe divinæ misericordiæ, & veniæ obtinendæ, si secuti Abraham delinquentem, eumdem imitarentur Pœnitentem. Hæc sunt verba S. Doctoris: *ut cognoscas quoniam non superioris cujusdam naturæ ac substantiæ fuit Abraham, sed unus e numero, & fragilitate universorum hominum .... Propositus est ad imitandum tibi, ut & tu advertas, quod si peccatis renunties, possis emereri Domini misericordiam*. Constat igitur revera PP. Ecclesiæ non infrequenter aliqua proferre, quæ nisi caute legantur offendiculo sunt incautis, & hac arte suis erroribus præsidium quærunt Hæretici, ut imponant simplicibus, quod egit Calvinus, qui Manichæos secutus tetram hanc Calumniam, quam cum Catholicis omnibus detestamur, Abrahæ affinxit, aliisque Patriarchis, quod Adulteri fuerint, & Legis naturalis violatores, hac in re deterrior Luthero, qui eosdem ab omni spurcitiæ suspicione vindicavit. Ex his satis patet vis argumenti propositi ad calcem superioris §. & quod pluralitas uxorum Deo dispensante aliquando licita fuit.

§. III. *Christus in Evangelica Lege Matrimonium in Viri, & Mulieris unitate constituit.*

XI. Omnem in Nova Lege Polygamiæ concessionem esse sublatam, & cum veritate Evangelii eamdem constare non posse, & ne repudiata quidem propter fornicationem uxore, quandiu illa vixerit licere aliam ducere, una est Ecclesiæ PP. Scriptorumque vox, qui per 1700. & amplius annos intricatissimas de Matrimonio Controversias scripserunt. Hanc Christus concessionem veteri Populo factam abrogavit, cum Matth. 19. & Marci 10. duos tantum in Matrimonio conjungi voluit: *erant duo in carne una*, & cum Lucæ 16. Novæ Legis auctor, & Naturæ Reparator ait: *quicunque dimiserit uxorem suam, & aliam*

& aliam duxerit Mœchatur. Ex verbis igitur Christi Domini Mœchatur, qui vivente dimissa aliam ducit? Multo magis Mœchabitur, qui priore retenta aliam duxerit: Ergo superinducta mulier in neutro casu ejusdem Viri esse poterit uxor. Ergo Evangelica Lex Polygamiam reddit illicitam, & omninò irritam, vel attentatam.

XII. Nec aliud Christi præco Paulus insinuat in 1. ad Corinth. 7. ubi virum, & uxorem pares constituit in jure. Non licet autem uxori pluribus viris se conjungere, nisi dormierit vir ejus, quia tunc *libera est a Lege viri, cui vult nubat*; ergo neque viro licebit uxoribus pluribus copulari, sed unus vir unam tantum mulierem habebit in uxorem.

XIII. Nec Adulterium uxoris hanc Christi legem immutat, quod illi asserunt, qui Christi verba Matth. 19. *Quicunque dimiserit Uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit Mœchatur*, hoc indicare contendunt. Si alios Evangelistas, a quibus hoc idem narratum est consuluissent profecto didicissent ambigere: *Quid si enim secundum Matthæum* (verba sunt Augustini de Adulterinis Conjugiis lib. 1. cap. 1.) *non quidem, quod ad hanc rem pertinet dictum est totum, sed ita pars dicta est ut intelligeretur a parte totum, quod tanquam explanantes Marcus, & Lucas, ut clareret plena sententia totum dicere maluerunt*. Cum itaque primum non dubitantes verum esse, quod apud Matth. legitur: *quicumque dimiserit uxorem suam præter caussam fornicationis, & aliam duxerit Mœchatur, quæsierimus utrum tantum iste mœchetur ducendo alteram uxorem, qui præter caussam fornicationis priorem dimiserit, an omnis, qui dimissa uxore alteram duxerit, ut ibi sit etiam ille, qui fornicantem dimiserit? Nonne secundum Marcum respondebitur nobis, quid quæritis utrum ille sit mœchus, & ille non sit: quicunque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit adulterium committit Nonne etiam secundum Lucam dicetur nobis quid ambigitis utrum ille, qui propter caussam fornicationis uxorem dimiserit, & aliam duxerit non mœchetur. Omnis, qui dimittit uxorem suam, & ducit alteram mœchatur, ac per hoc quantum fas non est, ut Evangelistas quamvis disertis verbis de una re loquentes ab uno sensu eademque sententia disentire dicamus, restat, ut Matthæum intelligamus a parte totum significare voluisse: eumdem tamen tenuisse sententiam, ut dimittens uxorem, & alteram ducens quidem mœchetur, idest qui præter fornicationem dimiserit, quidam vero non mœchetur, idest qui præter fornicationem dimiserit. Sed omnis, qui dimittit uxorem suam, & ducit alteram mœchari minime dubitetur; nam & illud, quod etiam secundum Lucam sequitur, qui dimissam a viro ducit mœchatur quomodo est verum? quomodo mœchatur? nisi quia illa quam duxit eo vivente, a quo dimissa est adhuc uxor aliena est. Si enim jam suæ non alienæ miscetur uxori, utique non mœchatur, mœchatur autem; aliena est ergo cui miscetur. Porro si aliena est, hoc est ejus, a quo dimissa est? etiam si propter fornicationis caussam dimissa est nondum dimittentis uxor esse cessavit, si autem illius esse cessavit, jam hujus est cui nupsit, & si hujus est, non mœchus judicandus est, sed maritus. Sed quia non eum maritum dicit Scriptura, sed mœchum, adhuc illa illius est, a quo etiam caussa fornicationis abjecta est. & ideo quamcumque etiam ipse illa dimissa ducit uxorem, quia cum alieno marito concumbit adultera est; unde autem fieri potest, ut adulter etiam ipse non sit, cum constet adulterare, quam duxit?*

XIV.

XIV. In lege veteri dimissæ uxores per libellum Repudii desinebant esse uxores, & inde poterant Viri ad nova vota transire ex indulgentia Legis, ut patet ex Deuteronomii loco citato in fine 1. §. at in Lege nova, Christus Dominus totam veterem legem transferendo, modo Hebræis id amplius non permittitur, sed Conjugum quilibet in suo Matrimonio perseverat, licet ab invicem separentur, quomodo igitur hanc facultatem sibi arrogabit homo Christianus? Mœchabitur utique si se alteri junxerit, etiam cum se a fornicante disjunxerit. Hoc ab Apostolicis usque temporibus Ecclesia tenuit, observavitque tamquam a Christo præscriptum Matrimonium in perfecta unitate consistere, nec posse sine Adulterii crimine duplicari. Hoc confirmavit perpetua Christiani Populi observatio nullo prolato in contrarium exemplo. Nam Lotharium cum sua Pellice excommunicavit Nicolaus Papa I. capite *An non* 24. q. 3. & quæ de Valentiniano seniore narrantur a Socrate lib. 4. cap. 2. fabulosa tradit Baronius ad annum 370. quod a nullo illius ætatis Scriptore memorentur, quamvis aut de Polygamia scripserit, ut Hieronymus, & Orosius, aut cetera, quæ ad Valentinianum spectabant suis historiis commendaverit, ut Sozomenus, Theodoretus, Zozimus, Ammianus, aliique, eo vel maxime, quod Damasus, qui tunc Catholicæ Ecclesiæ præerat non legitur, quod fuerit hortatus Imperatorem, ut relicta Justina uni Severæ adhæreret, aut quod obstiterit iniquo Decreto, quo Disciplina Christiana penitus solvebatur. Constantius Imperator, & in sequentibus ætatibus Lutherus polygamiam simultaneam propugnarunt. Illum plurimas Conjuges habuisse, & inter eas præcipue Eusebiam testatur Aurelius Victor. Hic dixit non prohiberi jure Divino, adeo ut possit quilibet Christianus plures uxores simul habere, ut notat Sabelles de S. Inquisitione Tom. 2. lib. 3. cap. 18. n. 114. & revera Lutherus Auctor fuit Landgravio Hassiæ, ut vivente adhuc, nec repudiata priore Conjuge alteri nuberet ejus infirmitatis prætextu, sed impudentissimam hanc doctrinam damnarunt Tridentini PP. in can. 2. Sessionis XXIV. de Matrimonio: *Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla lege divina esse prohibitum, Anathema sit.* Stant igitur pro nostra Assertione Scriptura, stant Patres, & Ecclesiæ praxis, quæ venientem ad Christum ab Infidelitate, si plures habeat uxores vult, ut dimissis ceteris eam solam retineat, quæ reliquas in Matrimonio præcessit, nec ei permittit posse ullam nisi veram uxorem habere cap. *gaudemus* de Divort. & postremo stat ratio Sacramenti, qua significatur conjunctio Christi cum una Ecclesia.

XV. Invaluit quidem aliquando prava illa Consuetudo, quæ viro repudiata ob Adulterium uxore, nubere alteri permittebat, non item uxori a viro adultero separatæ. Hujus consuetudinis meminit Basilius in Epistola ad Amphilochium can. 9. propter quam peccatum in eo agnoscit, qui in ea hypothesi ducit alteram, sed venia dignum, & Matrimonium verum esse ait. Ita pariter Auctor Commentariorum in Epistolas S. Pauli inter Opera S. Ambrosii editorum in cap. 7. Epist. 1. ad Cor. eidem consuetudini inhærens *Viro*, ait, *licet ducere uxorem, si dimiserit uxorem peccantem, quia non ita lege constringitur vir sicut mulier, caput enim mulieris vir est.* Laudatur item Gregorius II. in Epistola 13. ad Bonifacium ita scribens: *Proposuisti, quod si mulier infirmitate correpta non valuerit, quid ejus faciat jugalis? Bonum esset si sic permaneret, ut abstinentia vacaret, sed quia hoc magnorum est, ille,*

qui

qui se non poterit continere nubat magis, non tamen subsidii opem substrahat ab illa, quam infirmitas præpedit, & non detestabilis culpa excludit. Laudatur etiam inter Theologos Cajetanus, qui in suis Commentariis in cap. 10. Marci notat non dixisse Christum: *qui aliam duxerit mœchatur, sed qui aliam duxerit mœchatur super eam. ac si alterum ex his voluerit nos docere, vel secundum illud Conjugium vocari Adulterium improprie ad injuriam prioris uxoris, vel proprie vocari Adulterium, quia ducitur tunc alia uxor invita priore quæ injuste dimissa est, at retenta, & consentiente priore, non esse Adulterium si ducatur alia.* Et ut cetera omittam laudatur postremo vetus quoddam Pœnitentiale Romanum tit. 3. de Fornicatione, & Incestu diversi generis, & ætatis cap. 20. cujus hæc sunt verba: *Contigit tibi, ut uxor tua te conscio, & hortante cum alio viro, illa autem nolente Adulterium perpetraret. Si fecisti? 40. dies in pane, & aqua pœniteas, & septem annos, unum ex his in pane, & aqua, & nunquam sis sine pœnitentia. Si autem uxor tua hoc probare potuerit, quod tua culpa, & tuo jussu se renuente, & luctante adulterata sit, si se continere non potest nubat cui voluerit tantum in Domino, tu autem sine uxoria spe in perpetuo maneas; Illa autem si consentiens fuerit ex dum jejunet, quæ tibi proposita sunt, & sine spe conjugii maneat illa.*

XVI. Mirabitur certe aliquis audiens hæc reponi gravissima testimonia; verum Origenem audiet dicentem priscos illos Episcopos contra Scripturam permisisse dimissis Conjugibus adulteris, aliis nubere ob graviora mala vitanda; sed tamen non approbarunt. *Scio quosdam*, inquit, tract. 7. in Matth. *qui præsunt Ecclesiis extra Scripturam permisisse aliquem nubere, viro priori vivente, & contra Scripturam fecerunt quidem dicentem: Mulier ligata est quanto tempore vivit vir ejus; item vivente viro vocabitur adultera, si nupta fuerit alteri viro. Non tamen omnino sine caussa hoc permiserunt. Forsitan enim propter hujusmodi infirmitatem incontinentium hominum pejorum comparatione, quæ mala sunt permiserunt adversus ea, quæ ab initio fuerunt scripta. Dico autem vobis quoniam quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob caussam fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur.* Constat ergo argumentum efficax non haberi ex laudatis auctoritatibus, in quibus legitur præjudicata quædam opinio illorum temporum de re, quæ aliter se habebat secundum sententiam Salvatoris, & quæ rectæ rationi adversabatur, ut ipse S. Basilius confitetur in cit. Epist. can. 21. *Istorum quidem ratio minime est facilis*, inquit, *consuetudo autem sic invaluit, quæ adulterantes viros, & in fornicationibus versantes jubet a mulieribus retineri &c. Si vir, qui ab uxore discessit, accessit ad aliam, est & ipse adulter, quoniam fecit eam adulterari; & quæ ei cohabitat est adultera, eo quod alienum virum ad se traduxit.* Patet igitur ex modo loquendi S. Doctoris se non probare pravissimum morem, sed historice eumdem aperire, quem ipse fatetur contrarium fuisse verbo Dei. Neque Auctor Commentariorum in Epistolas S. Pauli suam sententiam exponit, sed Legem Juliam Romanam, secundum quam mulier non habebat jus accusandi maritum adulterii; quemadmodum vir jus habebat accusandi mulierem; eaque dimissa alteram ducendi L. Publico C. ad L. Juliam. De Adult. & Stupr. Si ergo audiatur S. Ambrosius absolute asserit viro non licere, quod mulieri non licet. *Nemo sibi blandiatur*, sic ille in lib. 1. de Abraham cap. 4. *de Legibus hominum, omne stuprum adulterium est, nec viro licet, quod mulieri non li-*

licet. Eadem a viro, quæ ab uxore debetur castimonia. Quidquid in eam, quæ non sit legitima uxor commissum fuerit, adulterii damnatur crimine, & cap. 7. *Vinctus es uxori*, ait, *noli quærere solutionem, quia non licet tibi uxore vivente uxorem ducere. Nam & aliam quærere cum habes tuam crimen est Adulterii hoc gravius, quod putas peccato tuo auctoritatem Lege quærendam*. Et libro 8. in Lucam exponens locum illum: Omnis qui dimittit uxorem suam, & ducit alteram mœchatur, ait: *Dimittis ergo uxorem quasi jure sine crimine, & putas id tibi licere, quia Lex humana non prohibet, sed Divina prohibet. Qui hominibus obsequeris Deum verere, aut legem Domini, cui obsequuntur etiam, qui Leges ferunt. Quæ Deus conjunxit homo non separet; sed non solum hic cæleste præceptum, sed quoddam etiam opus Dei solvitur. Pateris ne, oro, liberos tuos vivente te esse sub vitrico, aut incolumi Matre degere sub Noverca? Pone si nubat. Necessitatis illius tuum crimen est, & Conjugium, quod putas, adulterium est. Quid enim refert utrum id aperta criminis Confessione, an Mariti specie adulter admittas? Nisi quod gravius est legem criminis fecisse, quam furtum?* Hactenus verus Ambrosius, qui nostræ assertioni patrocinatur. Nec refragatur eidem Gregorius II. alioquin Centuriatores Magdeburgenses aliquid hinc elicere potuissent, quo erroris nota Gregorium aspergerent. Videtur igitur agi in illa Decretali de Muliere viro impotente, quæ nulquam vera fuerat uxor cum Impotentia jure naturali Matrimonium dirimat. Subsidium vero, quod post Nuptias præcipitur dari primæ Mulieri ostendit, quod pauper esset illa Mulier, nec propter infirmitates victum sibi posset comparare. Ad Pœnitentiale Romanum respondetur in supposito casu permitti insonti, ut nubat cui voluerit post obitum Conjugis. Praxis enim Ecclesiæ tunc illum prohibebat a Nuptiis, qui atrox aliquod crimen commisisset, ne vel ipse delicatius viveret, vel ex ejus Stirpe infecta, filii ejusdem criminis suspicione notabiles procrearentur. Hanc pœnam contra Parricidas sancivit Concilium Moguntinum sub Rabano canone 20. Adversus incestuosos eamdem tulerunt Vormeriense can. 4. & Triburiense canone 44. Contra Adulteros legitur lata hæc pœna in canone *hi vero* 30. q. 7. & ita intelligendus est textus in capite *concubuisti* eadem caussa, & quæstione. Quæ omnia sufficiunt, ut nihil nos moveat Cajetani animadversio in locum supra laudatum ex Marci 10. quia nullus Interpretum aliter Marcum intelligit quam ceteros Evangelistas intelligat, qui simpliciter mœchari eum pronunciant, cum revera in homine uxorato idem sit mœchari, & mœchari super uxorem, sive justa, sive injusta sit dimissio, sive prima uxor consentiat, sive dissentiat, nam in neutra Lege sive Naturæ, sive Scripta hic consensus fuit necessarius, ut docent exempla Polygamiæ Jacob, & Davidis, & neque hoc tempore Legis Evangelicæ sufficit hujusmodi consensus ad alteram superinducendam uxorem, quamvis dissociatum videatur esse Conjugium.

§. IV. *Secundæ Nuptiæ, aut ulteriores Jure Divino non probantur illicitæ; neque irritandas esse prætextu Divini Juris contra Acatholicos asserimus.*

XVII. Montanistis, & Novatianis Hæreticis secundæ Nuptiæ displicuerunt, easdem propterea reprobarunt contra apertam Apostoli Sententiam in 1. ad

ad Cor. 7. & in 1. ad Timot. 5. *Dico autem non nuptis*, ita Apostolus in laudatis locis, *& viduis bonum est illis si sic permanserint, sicut & ego, quod si non se continent nubant. Volo juniores* (viduas) *nubere, filios procreare Matres familias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia*. Qui clarius adhuc in Epist. ad Romanos cap. 7. hæc scribens: *quæ sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi, si autem mortuus fuerit vir ejus soluta est a lege viri, igitur vivente viro vocabitur adultera si fuerit cum alio viro, si autem mortuus fuerit vir ejus liberata est a lege viri, ut non sit adultera si fuerit cum alio viro* ita Polygamiæ successivæ patrocinatur, ut renovare Nuptias non sit infringere jus Divinum, quod tamen aut obaudire nolunt, aut fœdissime corrumpunt Monogamiæ defensores Heretici. Neque verendum est in Veteri Testamento hujus moris exempla non reperiri, nam ibi legitur quod Moyses Judæo cuilibet præcepit sive Virgo esset, sive Viduus, sive Conjugatus in Matrimonium ducere mulierem, quam Frater absque liberis moriens reliquerat, & Abraham mortua Sara, licet centennario major, Ceturam in Uxorem accepit, quod factum perpendens Augustinus in lib. 16. de Civ. Dei c. 34. opportune ad rem nostram inquit, *quid si hoc provvisum est contra Hæreticos futuros secundarum adversarios Nuptiarum, & in ipso Patre multarum gentium post mortem Conjugis, iterum conjungari demonstraretur non esse peccatum*, quod demonstraverunt postea etiam Patres Concilii Nicæni primi in can. 8. his verbis *Eos qui se Catharos, idest puros nominant, si aliquando ad Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam redierint, præ omnibus scripto profiteri oportet quod consentiant, & sequantur dogmata Ecclesiæ Catholicæ, & Apostolicæ, idest quod & cum bigamis communicent &c.* qui ex eo quod novas nuptias inierint damnandi non sunt; cum in his nihil reperiatur, quod sit fini Matrimonii contrarium, aut naturæ ejus adversum, ut repugnare ostendimus Polygamiam simultaneam. Certe consulenti antiquos Canones, & Patres, videri poterit secundas, & ulteriores Nuptias quasi flagitiosas fuisse damnatas, vel quia Pœnitentiæ publicæ subjacerent eos, qui pluries nupserant, vel quia nuptias sæpe iteratas sentirent veras esse fornicationes; vel quia mulieres secundo, aut tertio matrimonio copulatas prostitutas vocabant, & dicebant digamos non futuros de regno Dei, non esse de Ecclesia, quæ non solum hujusmodi Nuptias non coronat, sed præterea Deum precatur, ut illis ignoscat, qui secundo Matrimonio copulantur. Imo & consulenti Apostolicas Sententias videri poterit, quod si has nuptias permisit Apostolus, Tertulliano, & Hieronymo consentientibus, vel illis tantum permisit, qui ante susceptum Baptismum in viduitatem inciderunt, vel illas non tamquam rem bonam permisit, sed tanquam rem minus malam.

XVII. Frustra vero hæc objiciuntur. Nam quod attinet ad antiquos Canones, nemo ignorat Disciplinæ severitatem illorum temporum, quæ non ideo instituta, & usurpata fuit, quod secundæ, & ulteriores Nuptiæ malæ censerentur, sed ut frænum injicerent incontinentiæ, quæ ad secundas, & ulteriores Nuptias ut plurimum impulit. Hinc secundum Matrimonium non esse bonum dixerunt Patres quidam, non quia sit illicitum, sed quia caret illo honore significationis, qui est in primis Nuptiis, ut sit una unius, sicut est in Christo, & Ecclesia, spectaruntque inquit S. Thomas in 4. d. 42. q. 3. a. 1. ad 1. & 2. *caussam, quæ aliquando solet ad secundas nuptias incitare, scilicet concupiscentiam*. Præterea si Neocæsarienses PP. secundas Nuptias esse fla-

flagitia dicebant, quæ istius species pœnitentiæ foret castigare adulteros; iisdemque hoc ipso tempore adulterii continuationem permittere. Si ergo Nuptias intactas relinquunt, ut easdem intactas reliquit Laodicænum Concilium can. 1. & Latina Ecclesia nunquam irritas, vel illicitas declaravit, non ergo eas quasi flagitiosas condemnant, hinc constat per hyperbolem, & sensu improprio *fucatum, speciosumque adulterium* potius, & *castigatam fornicationem* quam Conjugium Athenagoram, & Basilium secundas Nuptias appellavisse, quod effrænis libidinis argumenta essent, & quamdam indecori speciem præseferrent, ut fideles intemperantis libinis exprobratione ab hujusmodi nuptiis deterrerent, & hortarentur ad servandam continentiam. Ita pariter cum audimus Hieronymum mulierem multinubam, veluti prostitutam increpare, illum loqui per exagerationem Rhetoricam compertum est omnibus, qui non ignorant ea quæ scripsit contra Montanum, & Tertullianum in Epist. 54. ad Marcellam, & in Apologia ad Pammachium, & in Epist. ad Ageruchiam: *Non damnari in Ecclesia Digamiam, imo nec Trigamiam . . . etiam num libera voce proclamo ita licere quinto, sexto, & ultra quomodo & secundo marito nubere*, qui tamen si in cap. 8. lib. 1. contra Jovinianum easdem Nuptias dixit reddere hominem indignum Corporis Christi, hoc pariter dixit propter concupiscentiam, & pravam libidinem, quæ similium Nuptiarum incentivum esse videtur, non propter ipsas.

XIX. Nunc explicamus quomodo Origenes homil. 17. in Lucam scripsit *Digamos de Ecclesia non esse, nec eosdem partem habere in Regno Dei* cum scribat S. Epiphanius Hæres. 48. & 49. *Ecclesia ad Monogamiam fideles hortatur, semperque hortata est. Si qui vero ex infirmitate sæpius Nuptias iterarunt, non propterea ab ejus Societate præcisi sunt*. Oportet igitur animadvertere Origenem distinguere Regnum Dei a vita æterna, per vitam æternam salutem ipsam intelligit, & Regnum Dei dicit Ecclesiam triumphantem, & gloriosam, ad quam pertinent primitivi. Digamis concedit vitam æternam in Christi nomine, eosdem tamen excludit a Regno Dei, quod concedit iis, vel qui Virginitatem servarunt, vel Matrimonio contenti fuerunt, qui cœtum primitivorum componunt, utpote qui gradu majori felicitatis fruentur, illi vero minori. Igitur propter defectum perfectionis Digamos de Regno Dei non futuros dicit, & ita pariter neque de Ecclesia, quæ ideo subtrahit secundis Nuptiis benedictionem, quia ut notat Angelicus 3. p. q. 63. ad 2. *quamvis secundum Matrimonium in se consideratum sit perfectum Sacramentum, tamen consideratum in ordine ad primum habet aliquid de defectu Sacramenti, quia non habet plenam significationem, cum non sit una unius, sicut est in Matrimonio Christi, & Ecclesiæ*: vult tamen S. Doctor hoc esse intelligendum quando secundæ Nuptiæ sunt secundæ, & ex parte viri, & ex parte mulieris, vel ex parte mulieris tantum. Si enim virgo contrahat cum viro, qui habuit aliam Uxorem nihilominus Nuptiæ benedicuntur. Salvatur enim aliquo modo significatio etiam in ordine ad primas Nuptias, quia Christus, etsi unam Ecclesiam sponsam habeat, habet tamen plures Personas desponsatas in una Ecclesia.

XX. Quod additur de precibus, quæ in Euchologiis Græcorum ponuntur, & recitantur in secundis Nuptiis, satis est illas legere, ut intelligat unusquisque utrum talis deprecatio fiat propter peccatum Nuptiarum, aut potius propter peccatum Nubentium, non quia nubunt, sed quia effrænis in-

con-

continentia, quæ ad nubendum impellit peccatum est. Profecto Sacerdos Dei minister inter cetera precatur, ut Deus det illis charitatem reciprocam, pacis & concordiæ spiritum, ipsumque regnum Cœleste, quæ non postularet si iidem essent in perpetuo concubinatu victuri propter nefarium contractum, Videt igitur utraque Ecclesia secundas, & ulteriores Nuptias juri Divino non esse contrarias. Sed modo progredimur ad interpretationem verborum Apostoli, quæ solidi nihil habet, absurditatis vero, & impietatis plenissima est.

XXI. Quærimus igitur ab Adversariis quomodo probent Apostolum in Epistola ad Corinth. locutum fuisse tantummodo de infidelibus viduis; quibus Baptismo initiatis concedendum esset Matrimonia iterare; & non etiam de iis, qui suscepto Baptismo Maritis orbarentur, *quod si dormierit vir ejus*, inquit Apstolus *liberata est, cui vult nubat*... *Volo juniores* (viduas) *nubere*. Verbum *si dormierit* futuri est temporis, & proinde ad illas spectat mulieres, vel de illis viduis Apostolus loquitur, quibus jam Christianis, viduitas obtigerit. Singula vero verba adeo generalia sunt, ut restrictionem non patiantur ad ullam Baptismi, vel accepti, vel non accepti conditionem, & ita sentiunt Catholici omnes interpretes verborum Apostoli, Patres, & Ecclesia, quæ verbo, & facto retinuit sententiam Apostoli, & secundas, & tertias, & ulteriores Nuptias probavit. Solus Tertullianus in hæresim Montani prolapsus hanc coarctatam explicationem invexit, ut textum Apostoli eluderet; ceterum ipse cum scriberet adhuc Catholicus ad Uxorem in libro 2. capite 1. non dissentit ab aliis. Consilium agnovit in Apostoli verbis, quod viduæ novas non inirent Nuptias, præceptum vero si nubant, ut in Domino nubant, Connubia videlicet cum infidelibus non miscendo. Et hinc eruitur quam contumeliosum mendacium illud sit, quod addebatur, Apostolum permisisse Nuptias tamquam minus malum; nam si quis vult nubere debet juxta Apostolum nubere tantum in Domino. Numquid in Domino fit, quod contra Dominum fit? quod legem ejus evertit? Ergo denuo nubere malum non est, si in Domino, ut jubet Apostolus, Matrimonium contrahatur. Non ergo, ut rem malam permittit Apostolus Bigamiam, sed ut rem minus bonam, quia non est paris excellentiæ bonum nubere in Domino, & viduitatem servare. Hoc idem sensisse Hieronymum in loco, qui ab Adversariis citatur ex Epistola ad Saturam aperte constat, nam cum scripsisset: *Hoc non vult Apostolus, sed cogitur velle, ut labentibus per incontinentiam in barathrum stupri, Digamia manum porrigat*, pergit statim. *Ideo adolescentula vidua, quæ non se potest continere, vel non vult, maritum potius accipiat, quam Diabolum*, & infra. *Ita secundum Apostolus indulget maritum, & tertium, & si liberet, etiam vigesimum, ut sciant Viduæ non sibi viros datos, sed adulteros amputatos*. In sensu igitur S. Doctoris Digamia Peccati amputatio est, eamdemque concedens Apostolus, non rei de se malæ faciendæ, auctor fuit, & suasor, sed rei minus bonæ, quia ut docuit Eugenius IV. in Decreto pro Armenis: *Sicut Viduitati Virginitatem, ita Nuptiis castam viduitatem laude, ac merito præferendam esse censemus*.

XXII. Hic juvat animadvertere, quod dum incidimus in Patres, qui secundas nuptias damnarunt, id fecisse intelligimus, non quia voluerint damnare nuptias, sed principium, & caussam, a qua, ut plurimum procedunt, incontinentiam scilicet, & libidinem, & quia in ipsam incontinentiam vehemen-

menti impetu ferebantur, ita visi sunt ipsas quoque secundas nuptias voluisse damnare. Sic sæpe contingit in disputationibus, ut dum quis aliquem errorem vehementius impugnat, videtur in errorem oppositum impingere, ut de se ipso fatetur Augustinus disputans pro libero arbitrio, & pro gratia, & scripserunt alii contigisse D. Hieronymo, qui defendens Virginitatem contra Jovinianum culpatus fuit damnare Nuptias, quos tamen viros Sanctissimos aliunde constat semper in Doctrina, & fide universalis Ecclesiæ stetisse. Ecclesia Orientalis discrepat a Latina in quartis Nuptiis, quas Græci omninò reprobant, & si quis ad ejusmodi Conjugium progreditur, a cœtu Ecclesiastico illum excludunt, & ab ipso in Sanctam Ædem ingressu, donec in hoc Conjugio permanserit, & eum velut alienum a Republica Christianorum abdicant, & Liberi ex his procreati, per Novellam Imperatoris Basilii, cujus titulus est: *Non licere ad quartas Nuptias transire*, quæ extat in lib. 2. Juris Orientalis, pro legitimis non agnoscuntur, & pœnis pollutorum Scortationis sordibus subjiciuntur. Ecclesia vero Latina tantummodo Bigamos arcet a S. Ordinationibus, & requirit certitudinem moralem Mortis prioris Conjugis ad contrahendum secundum Matrimonium ex cap. *in præsentia* de Sponsalibus, & licet aliqui velint sufficere existimationem de morte Conjugis ex cap. *cum per bellica*, vel sufficere verisimilitudinem ex capite *quoniam* §. *porro* intelligendi sunt de existimatione, & verisimilitudine certa moraliter, quæ habetur per *certum nuntium*. Quid autem per certum nuntium intelligi debeat videtur dicendum, quod unius testis assertio non sufficiat, neque sola fama publica, quæ aliquando incertum habet Auctorem, nisi concurrant adminicula, quæ hanc mortem reddant certam moraliter; nimirum absentia longi temporis, Senectus, infirma valetudo, si vel in Acie dimicaverit &c. Validum vero, etsi illicitum esse hujusmodi Matrimonium, si contrahatur sine sufficienti probatione mortis prioris Conjugis communior est sententia DD. qui tamen notant, quod si post contractas Nuptias, & filios susceptos, primus Conjux vivus revertatur in Patriam, huic erit restituenda sua Conjux, & filii geniti cum bona fide erunt Legitimi per textum in cap. *Dominus* de secundis Nuptiis. Olim Viduæ intra annum luctus ad secundas Nuptias convolantes notabantur infamia L. 1. C. de secundis Nuptiis Novel. 22. cap. 40. sed illarum Legum asperitati indulgentia Ecclesiæ prævaluit ex Apostoli mente, ut docet Urbanus III. cap. *super illa* extra de secundis Nuptiis, idemque decrevit Innocentius III. cap. *cum secundum* tit. eod. *Non debet* (ibi) *Legalis infamiæ sustinere jacturam, quia licet post viri obitum intra tempus luctus, scilicet unius anni spatium nubat, concessa sibi tamen ab Apostolo utitur potestate: cum in his præsertim sæculares Leges non dedignentur Sacros Canones imitari*. Quod si aliæ pœnæ in Jure Canonico decretæ reperiantur, singulæ hodie sublatæ sunt, & antiquatæ. Reipublicæ tamen interest, ut non nubat Vidua quandiu potest esse dubium num conceperit ex prioris Conjugii consortio.

CAPUT

CAPUT IV.

DE MATRIMONII FIRMITATE .

I. UNitati Matrimonii optime Natura, & auctor naturæ Deus consuluit dum illi addidit inseparabilitatem. Hanc primus humani generis parens Divini Spiritus instinctu veluti jam præstabilitam asseruit, ut Tridentini PP. in Doctrina de Sacramento Matrimonii cap. 1. Sess. xxiv. tradiderunt cum dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea; quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*. Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari, & conjungi Christus Dominus evidentius docuit, cum postrema illa verba repetens addidit. *Itaque jam non sunt duo, sed una caro*, & vinculi firmitatem præscripsit inquiens. *Quod ergo Deus conjunxit homo non separet*. Dubitari ergo non potest vinculum Matrimonii fuisse semper indissolubile ab origine Mundi, & a primo Parente Adam per subsequentia Sæcula usque ad Christi adventum, qui eamdem indissolubilitatem, & perpetuitatem nexus confirmavit Marci 10. his verbis: *Quicumque dimiserit Uxorem suam, & aliam duxerit Adulterium committit super eam, & si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit mœchatur*, & aliis in locis; ita ut non sine hæretico spiritu asseratur Matrimonii vinculum esse solubile, vel non esse, ac semper non fuisse perpetuum. Vix tamen in hanc controversiam ingredimur, quod statim sese offerunt plurima quæstionum capita, quæ attenta triplici distinctione Matrimonii in Legitimum, Ratum, & Consummatum moveri solent a Theologis, ut casum aliquem inveniant, quem Indissolubilitatis lex non complectatur, occurrit etiam celebris illa distinctio propriæ, & impropriæ solutionis, quæ vel alterum ex Gonjugibus pristinæ reddit libertati, vel utrumque liberat a cohabitatione, & Officio Nuptiali, quæ singula, ut explicemus fit.

§. I. *Matrimonii semel contracti vinculum, nisi mors unius Conjugis intercesserit, penitus indissolubile esse Divinum, & Naturale jus invicte probant* .

II. Matrimonii vinculum ita firmum, & immobile esse, ut nisi mortis naturalis interventu dissolvi queat, idque de jure Divino, ostendunt cumulatissime superius relati textus, nec nova indigemus probatione, quod verum est sive Matrimonium sit Legitimum, quod Ethnicis, & Judæis commune est, sive sit Ratum, quod Baptizatorum est proprium, sive sit Consummatum quatenus est in Officium naturæ, quod commune est fidelibus, & infidelibus. *Mulier alligata est Legi quanto tempore vir ejus vivit*, inquit Apostolus 1. ad Cor. 7. *Quæ sub viro est mulier vivente viro alligata est legi, si autem mortuus fuerit vir ejus soluta est a Lege viri. Igitur vivente viro vocabitur adultera si fuerit cum alio viro, si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a Lege viri, ut non sit adultera si fuerit cum alio viro*, scripsit iterum ad Rom. 7. neque distinguit de qua specie Matrimonii loquatur. Scribit ergo de singulis, neque hoc scribit marte suo, sed ait hujus indissolubilita-

tis

tis præceptum se a Domino accepisse: *Præcipio non ego, sed Dominus uxorem a vir non discedere*. Verum ergo est, quod asseritur. Id pro Matrimoniis Infidelium confirmavit Innocentius III. in pluries laudato cap. *gaudemus*, cum jussit ut Paganus conversus ad fidem, ex pluribus uxoribus, quas in gentilitate duxerat, illam retineret, quam priorem duxerat, quamvis dimissam per repudium, & alteri viro nuptam. Pro illis vero Judæorum Scriptura ipsa loquitur, nam Deutero. 24. Mulier *polluta, & abominabilis facta coram Domino* dicitur, quæ nupserat post acceptum libellum repudii, non ob aliam profecto rationem, nisi quia starent priora Matrimonia, sive in Gentilitate, sive in Judaismo contracta cum superstites essent, vel viri, vel mulieres.

III. Plenius itaque demonstrabitur hæc nostra assertio inspecto Jure Naturæ. Illud autem statim primo menti occurrit, quod natura demonstrat natos a Parentibus indigere post procreationem eorum bona educatione. *In specie humana*, inquit S. Thomas lib. 3. contra Gent. cap. 122. *proles non indiget solum nutritione quantum ad corpus, ut in aliis Animalibus, sed etiam instructione quantum ad animam. Nam alia Animalia habent naturaliter suas prudentias, quibus sibi providere possunt, homo autem ratione vivit, quem per longi temporis experimentum ad prudentiam pervenire oportet; unde necesse est ut filii a Parentibus, quasi jam expertis instruantur, & ita eorum societatem perpetuo permanere indivisam secundum Legis Naturæ dictamen, & sic inseparabilitas Matrimonii est de Lege Naturæ.*

Ad hæc, discrimen aliquod statui debet inter Conjugia legitima, & illicitas Conjunctiones, quæ intra certos terminos utrisque possent esse communes: necesse est igitur fateri discrimen hoc constitui debere a Lege Naturæ in perpetuitate illarum, quæ solum a Scripturis commendantur, cum reliquæ omnes Conjunctiones ab eadem Scriptura damnentur ex ipsa rei natura, per quam fit proli injuria notabilis, ut idem Doctor Angelicus notat 2. 2. q. 154. a. 2. His accedit, quod natura dedit Parentibus, qui filios genuerunt thesaurizare pro ipsis, ut ait S. Thomas parte 3. q. 67. a. 1. & eosdem relinquere hæredes suarum facultatum L. *cum Avus* D. de Condit. & demonstrat L. *cum acutissimi* C. de fidei Commiss. L. *si unquam* C. de Revocand. Donat. adeo ut si Pater in suo Testamento filium præterierit, & non reliquerit hæredem, injuriosus naturæ erit, & contra legem indissolubilitatis Nuptiarum operabitur, quæ dat filiis successionem in divitiis, hoc est facultatibus, & possessionibus parentum. Postremo non solum natura requirit ut proles habeat certitudinem patris, quæ certitudo deficeret, si Matrimonium non esset indissolubile, & mulier posset a pluribus viris carnaliter cognosci; sed præterea hoc exigit lex Dei positiva propter id quod significat, nimirum indissolubilem, ac perpetuam unionem Christi cum Ecclesia.

IV. Verum inquies consulitur bono prolis, vel per sterilitatem Conjugum, vel convenientiori alia ratione, ac modo, ut nihil desit institutioni, & educationi ejusdem. In his casibus saltem non erit contraria naturæ si legem ipsius spectemus, Matrimonii solutio, quam familiarem habuerunt Gentiles, Pagani, Mahometani, aliique plures ab antiquissimis temporibus, quæ Gentes, etsi ditatæ essent lumine naturali, & secundum jus naturæ viverent, suas dimittebant uxores, alias sibi copulantes, ut Sacra, & Prophana testatur historia.

V.

V. Sed neque in his casibus innoxie talia Conjugia dissolventur; siquidem Naturæ Lex ea considerat, quæ per se rei conjuncta sunt, non quæ per accidens possunt advenire, unde semper etiam in his casibus ex ipsa rei natura sequitur injuria prolis, non secus ac nemo dixerit fornicarium concubitum excusandum a culpa, quia obviari possit eorum incommodis, quæ ex fornicatione nascuntur. Sit noverca natura cum aliquibus, ex quorum Matrimoniis prolem non suscitat. Lex certe Naturæ attendit id quod est per se, non vero id, quod est per accidens, ut non habere prolem ex Nuptiis, cum ad illam per se Nuptiæ ordinentur. Neque juvat exempla reponere, a Facto enim ad Jus non valet consequentia. Multi Matrimonia dissolverunt: ergo licet Matrimonia dissolvere? Consequentia non sequitur, repugnat enim Naturæ, quod Matrimonia fiant ad tempus, & possint dissolvi ante mortem conjugum. Præterquamquod exempla, sive facta quæ petuntur ex Sacris Literis contrariæ assertioni non favent, nam Abraham Matrimonium non solvit cum Agar Ancilla quoad vinculum, sed tantummodo quoad habitationem propter lites, quas habuit cum Sara. Sanpson non ipse remisit uxorem, sed Socer ipsius rem hanc attentavit jure naturali prohibitam, & alteri nuptui tradidit, quia illum vehementer oderat timens ejus fortitudinem. Saul pariter ira, & odio incensus in Davidem uxore sua Michol eumdem privavit, & tradidit illam in Conjugem Phalti filio Lais. Offendit jus naturale Assuerus in repudianda Vasthi uxore sua cum esset hillarior, & post nimiam potationem mero incaluisset. Hoc fecerunt etiam Romani, etsi ipsi naturale jus servare profiterentur. Sed quid mirum quod in hunc errorem inciderint, cum & his pejora patraverint, nam Idola coluerunt, & nefando crimini se dederunt, quod Legi positivæ, & naturali sciebant repugnare: & si percurrimus Auctores, qui de ferinis illorum moribus scripserunt, multa certe inveniemus ab illis factitata, quæ nec feræ ipse Belluæ fecissent. Quis inficiabitur contra jus naturale fuisse hæc facinora? Reliqua exempla ex Sinensibus, Mahometanis, & Turcis petita concedimus, sed numquid dimittebant, & dimittunt uxores, quod non congnoscerent jure naturæ esse indissolubilia Conjugia? Sciunt, sed non advertunt, quod a blanditiis luxuriæ trahantur, quæ caligine mentem hebetant, quas accusare aliquanto facilius est quam vitare. Et hæc satis convincunt Matrimonii semel contracti vinculum indissolubile esse, nec prodesse tandem contrariæ opinioni illud Juris Axioma, quo firmatur: *quod per quascumque caussas res nascitur, per easdem dissolvitur*; nam oportet, quod semel facta perpetuitatem non exigerent ratione finis, quæ ratio cum soli homini innotescat, qui in naturalia fertur per usum rationis, in quo a Brutis distinguitur, optime intelligit uno modo ipsum, & altero Bruta a natura moveri, quæ indissolubilitatem Conjugii non servant. Solus Deus naturæ Auctor in gratiam Christianæ Religionis id separat, quod ipse ante conjunxerat, quando scilicet alter ex Conjugibus ad Fidem convertitur, tunc mulier vivente adhuc viro desinit esse alligata Legi, cui se in infidelitate per Matrimonium subjecerat.

VI. Hanc Doctrinam reliquit nobis Apostolus in 1. laudata Epistola ad Cor. 7. *quod si infidelis discedit, discedat, non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi*. Eamdem Doctrinam colligit Innocentius III. in cap. *quanto* de Divortiis, ubi sic loquitur. *Si alter infidelium conjugum ad fidem Catholicam convertatur, altero, vel nullo modo, vel non sine blasphemia*

Di-

Divini nominis vel, ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente, qui relinquitur ad secunda, si voluerit; vota transibit. Et in hoc casu intelligimus, quod ait Apostolus: si infidelis &c. In his autem casibus tunc censebitur Matrimonium solutum eo instanti, quo conversus actu cum altera nubit, & non antea, sed oportet, ut prius constet legitime de voluntate Conjugis infidelis, nisi notitia esset moraliter impossibilis ob distantiam locorum, vel ob periculum vitæ, aut subversionis, in quibus casibus dispensarunt Gregorius XIII. (cujus dispensationis literas referunt Basilius Pontius lib. 7. cap. 48. n. 23. Jacobus Pignatellus Tom. 4. Consult. 93.) & Clemens VIII. Sed quid si pars infidelis pacificæ cohabitationi consentiret, licite ne pars conversa posset novum Matrimonium contrahere? Audiatur hac in re Augustinus, qui his verbis instantiæ respondet lib. 1. de Adulterinis Conjugiis ad Pollentium. *Tunc autem non expedit id, quod licitum est, quando permittitur quidem, sed usus ipsius potestatis affert aliis impedimentum salutis, non solum quia perniciosissime scandalizantur offensi, verum etiam quia cum in alia Conjugia ceciderint viventibus eis, a quibus dimittuntur adulterinis nexibus colligati, difficillime resolvuntur.* Hæc Augustinus: & Innocentius III. in cap. *Gaudemus* cit. ita scribit: *Nunquam ea vivente licite poterit aliam etiam ad fidem Christi conversus habere, nisi post conversionem ipsius illa renuat cohabitare cum ipso, aut etiam si consentiat, non tamen absque contumelia Creatoris, vel ut eum pertrahat ad peccatum mortale.* Si ergo non periclitetur fides, & Conversus cælebs non maneat, videtur quod non possit solvi vinculum Matrimonii. Si autem hic Infidelis Judæus esset, licere Converso deserere Conjugem, qui converti non vult, imo ad id teneri, clarus est textus in cap. *Judæi*, qui est 61. Concilii Toletani IV. ubi sic legitur: *Judæi, qui Christianas mulieres in Conjugio habent admoneantur ab Episcopo Civitatis ipsius, ut si cum eis permanere cupiunt Christiani efficiantur. Quod si admoniti noluerint, separentur, quia non potest infidelis in ejus permanere conjunctione, quæ jam in Christianam translata est fidem.* Sed modo examinandum est utrum Matrimonium Ratum, & Consummatum dissolvi possit, quare sit.

§. II. *Solemnis Professio Religiosa facta in Religione approbata, & Dispensatio Pontificia dirimit Matrimonium Ratum, quod si fuerit Consummatum, cum a nulla Caussa, tum præcipue a fornicario concubitu non dirimitur.*

VII. Quomodo firma esse debeant Matrimonia Christianorum, & Infidelium in superiori Paragrapho satis ostendimus. Igitur in hoc agemus de solo Matrimonio fidelium, in quo duo possunt considerari, tum id per quod Ratum denominatur, tum id per quod appellatur Consummatum, quando nimirum cum solemnitatibus ab Ecclesia præscriptis celebratum fuit, aut cum in illo attenditur nuptiale mysterium. Primum Religiosa Professio expressa, & solemniter facta dirimit. Alterum vero ita firmum est, ut ne Adulterii quidem caussa vinculum illud abrumpi possit. Professio Religiosa definitur a S. Thoma 2. 2. q. 188. a. 7. *quod sit Professio Obedientiæ, Paupertatis, & Castitatis*. Huic Professioni inesse hanc facultatem, ut dirimat Matrimonium Ratum fatentur omnes: undenam vero Professioni hoc Privilegium advenerit ignoratur. Profecto in S. Literis non invenitur, & Apostolus, qui Matrimo-

monii Regulas diligentius expressit, & de illius vinculo exactius egit hanc caussam siluit, quæ propterea repetenda est ab Apostolica Traditione, cum ab initio Ecclesiæ servatum sit, ut Matrimonium Ratum solveretur, quoad vinculum per Professionem Religiosam unius ex Conjugibus ex Auctoritate Christi Domini, & ex jure Divino notificato ab Apostolis, qui illud a Christo didicerunt, non repugnante Lege Naturæ.

VIII. Et re quidem vera nullus præter Deum potest abrogare hoc jus ne Professio solvat Matrimonium Ratum. Nam de Fide est Ratum solvi per Professionem (ita Concil. Trid. Sess. xxiv. de doctrina Sacram. Matrimonii can. 6.) Ergo hæc solubilitas est imposita ab eo, qui facere potuit eam sempiterne veram, alioquin si ab alio esset imposita, non potuisset declarari de fide, quia fidei objecta non possunt mutari, ut quod nunc est de fide post aliquod tempus non sit tale, sic autem eveniret si alius, præter Deum imposuisset solubilitatem Matrimonio Rato per Professionem, quia fuisset Creatura, quæ posset mutare Consilium, & eum tollere, & tunc non esset objectum sempiterne verum. Igitur Matrimonium Christianorum Ratum, & nondum Consummatum jure Divino derivato a Christo Domino in favorem Professionis Religiosæ potest dissolui quoad vinculum per ingressum alterius Conjugis in Religionem. Eidem principio adhæserunt quotquot ex Rom. Pontificibus super idem argumentum rescripserunt, Eusebius Papa in canone *Desponsatam* 26. q. 2. S. Leo I. in capite *cum societas* ead. cau. & q. S. Gregorius Magnus in capite *Decreta Legalia* loco citato, & evidentius Alexander III. in capite *verum* il secondo de Convers. Conjug. & in capite *Commissum* de Sponsal. Innocentius III. in cap. ex parte de Conver. Conjug. & Joannes XXIII. in Etravag. *Antiqua* de Voto, & demum Concil. Trident. loco citato his verbis: *si quis dixerit Matrimonium Ratum non consummatum per solemnem Religionis Professionem alterius Conjugum non dirimi, Anathema sit*. Et revera in Matrimonio Rato non fit una Caro, ut fit in Matrimonio Consummato: *jam non duo, sed una caro*, de quo propterea dictum est: *quod Deus conjunxit homo non separet*. At in Matrimonio Rato promittitur futurum illud tempus, in quo duo erunt in Carne una: igitur duobus adhuc manentibus poterit unum ab alio dividi, quia duo sunt, & eorum alter poterit solemniter vovere in Religione approbata, & alter poterit novis nexibus sociari non reluctante Lege Naturæ.

IX. Dixi *non reluctante Lege Naturæ*, quæ Statum Religionis utpote perfectiorem præponit Statui Conjugatorum, utpote minus perfecto, dicente Apostolo 1. Cor. 7. *qui sine uxore est sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat uxori, & divisus est*, & per hunc transitum a Matrimonio Rato ad Professionem Religiosam nulla fit injuria maneuti in Sæculo, quia hic, vel potest novas inire Nuptias, vel se Deo consecrare. In quo etiam videtur discrimen inter Matrimonium Consummatum, & Matrimonium Ratum, nam per illud, Corpus transit in plenum dominium Conjugis, & in ejus irrevocabilem possessionem, in hoc vero dominium remanet revocabile, ita ut Conjux quilibet retineat sibi possessionem sui Corporis, ut possit illud Deo dicare per fugam Sæculi, & ingressum Religionis cum Solemni Professione, quæ ab Ecclesia exigitur perfecta post tempus determinatum a jure, & hanc Matrimonii Rati dissolutionem, attenta Sacri Eloquii interpretatione, ut legitur in capite *ex Publico* de Convers. Conjug. in quo cap. bimestre conce-

ditur Conjugibus ad deliberandum de ingressu Religionis, intra quod tempus non tenentur reddere debitum petenti, quo transacto tenentur, non ita tamen, ut si etiam alter post elapsum bimestre noluerit reddere, & in Monasterio profiteri invalida sit illius Professio, & Matrimonium dissolvi nequeat, cum enim in gratiam Religiosæ Professionis omnia jura decernant Matrimonium non consummatum dissolvi; in data hypothesi etiam post 10. & 20. annos emissa vota solemnia in Religione approbata Matrimonium dirimerent, & pars manens in Sæculo posset inire novum Matrimonium, neutiquam vero hoc jure vir uti posset, qui intra bimestre violenter cognovisset uxorem, quæ deinde ad Monasterium convolasset, & se Deo dicasset per solemnem Professionem, sed expectare deberet mortem illius, quæ jure suo privari non debuit, & viri incontinentiæ prodesse cum susceptione Sacri velaminis.

X. Advertendum tamen est Professionem Religiosam non dirimere Matrimonium Ratum ratione Solemnitatis Votorum ab Ecclesia imperatæ, sed ex re ipsa, nam Professio in se spectata Spirituale Connubium est, quo homo Deo consecratur intuitu æternæ vitæ facilius obtinendæ, insistendo Consiliis Evangelicis, & juxta hunc respectum Professio Monastica non humani juris est, sed Divini. *In transitu ad Religionem*, inquit Nicolaus I. canone *scripsit* 27. q. 2. *Conjuges non homo, sed Deus ipse interna inspiratione separat Divino jure, quo Religio tamquam Spirituale Connubium instituta est.* Neque hoc Decretum Nicolai adversatur auctoritati Gregorii Magni, qui in libro 9. Epistolarum Epist. 39. scripsit: Legem humanam Religionis caussa solvisse Connubia, hæc sunt ejus verba: *Sciendum est, quia etsi hoc lex humana concessit, lex Divina tamen prohibuit, per se enim veritas dicit, quod Deus conjunxit homo non separet .... quis ergo huic cælesti Legislatori contradicat? Scimus quia scriptum est erunt duo in carne una. Si ergo vir, & uxor una caro sunt, & Religionis caussa vir dimittit uxorem, & mulier Virum in hoc mundo remanentem, vel & fortasse ad illicita migrantem, quæ est ista migratio, vel conversio, in qua una, eademque caro, & ex parte transit ad Continentiam, & ex parte remanet in corruptione?* Hactenus Magnus Gregorius, qui tamen Sententiam suam aperuit in superius citato capite *Decreta Legalia*. Sed numquid Gregorius Gregorio contrarius? Ille viderit, qui de Matrimonio Consummato in posteriori textu Gregorium loqui notaverit, cum in superiori de Rato tantum loquebatur. Et hoc certe innuunt verba a S. Doctore citata ex Scriptura: *quod Deus conjunxit*, innuunt & posteriora: *erunt duo in carne una*. Si ergo vir, & uxor una caro sunt (innuunt tandem & postrema verba) *quæ est ista migratio, vel conversio, in qua una eademque caro & ex parte transit ad continentiam &c.* ergo a continentia discesserat per Connubialem ingressum, & ex parte remanent *in corruptione*, Virginitatis ammisso decore. Quia vero etiam consummato Matrimonio Imperatorum Christianorum Leges per Religionis Professionem Matrimonia dissolvebant, ut legitur in Novella XXIII. Justiniani cap. 40. & in ejusdem Cod. tit. de Episc. & Cleric. in hunc errorem S. Pontifex invehit, illumque proscribit tamquam Legi Divinæ contrarium, non solum in laudata Epistola, verum illum jam antea proscripserat in Epist. 44. ejusdem lib. 9 his verbis: *etsi mundana lex præcipit Conversionis gratia utrolibet invito posse solvi Conjugium. Divina hoc tamen lex fieri non permittit, nec unquam permisit Ecclesia, in qua si duo Conjuges consummato Matrimonio consenserint vovere in Religione, eorum Matri-*

mo-

monium non dirimitur, sed viculum firmum retinetur, quod Legi Divinæ adversetur ab illo quærere solutionem.

XI. Nec huic Assertioni antiqua Auctoritas refragatur, nam tot is decem prioribus Ecclesiæ Sæculis hujus disciplinæ Clariss. reliquerunt exemplum Alexii, Macharii, Theclæ, Ceciliæ Gesta, quæ in singularum illarum ætatum historiis quam maxime commendantur, vel quia ipso Nuptiarum die Sponsa, intacta relicta, peregrinam, & cœlibem, & eremiticam vitam amplexi sunt, vel a Nuptiis ante concubitum revocatæ Christo Sponso Virginitatem devoverunt. At unde hi, inquiet aliquis, vel Cucullam induerunt, vel Sacrum sumpserunt Velamen, si antiquitus nulla erat, quomodo nunc habetur, approbata Religio? Quantum ad modum, liberaliter cum Adversariis agatur, concedendo illis, quod tunc nulla erat speciali Sedis Apostolicæ Diplomate confirmata Religio, nam hunc morem justis de caussis invexit Ecclesia in Lateranensi IV. Concilio sub Innocentio III. A. 1215. sed quantum ad rem ipsam negabimus, contrarium enim eruitur ex Chalcedonensi Oecumenica Synodo A. 457. celebrata, a qua in can. 16. decretum fuit *Virginem, quæ se Deo dedicavit, similiter & Monachos non licere Matrimonio conjungi, si vero hoc fecisse inventi fuerint, excommunicentur*: & S. Hieronymus apud Gratianum d. 27. c. 5. *Si nupserit virgo non peccat, non illa virgo, quæ se met Dei cultui dedicavit, harum enim si qua nupserit habebit damnationem, quia primam fidem irritam fecit*: & Justinianus in Codice lib. 5. de Episc. & Cler. *Si quis non dicam rapere, sed attentare tantum jungendi Matrimonii caussa, sacratissimas Virgines ausus fuerit, capitali pœna feriatur*. Monachatus ergo semper floruit, & cœlibatum tollere, semper idem fuit ac Monachatum auferre: æstimari igitur ex Officio, non ex habitu debet Monachus, & spernere Nuptiarum illecebras, Castitatis professione totum se Deo dicare, idem est ac Professionem Monasticam observare, quod fecerunt Venerabiles illi Viri, & præclarissimæ Fœminæ, quas laudavimus, & pleræque aliæ, quarum nomina, & gesta narrantur in Vitis Patrum, & in Anglorum Historia a V. Beda concinnata. Neque inficiamur Bonifacium VIII. primum omnium differentiam statuisse inter Votum solemne, & Votum simplex, sed non concedimus inde inferri rescissas Nuptias non fuisse primis Sæculis Voto continentiæ ante Matrimonii consumationem emmisso, quod priscis temporibus non urgerent caussæ, quæ modo urgent, ut non simplex, sed Votum solemne requiratur in Religione emmissum, ut Matrimonium Ratum, & non Consummatum solvatur, ut Deo liberius ac sanctius serviatur, quod adeo certum est, ut nullibi Doctrina hæc legatur, vel reprehensa ab Orthodoxis, vel ab Ecclesiæ Patribus reprobata, aut a Conciliis correcta, quæ tria addimus, ut nemo audeat asserere novam Disciplinam præteritis ætatibus incognitam invexisse Pontifices Divinæ Legi, & Juri Naturæ repugnantem.

Dixi, *ut non simplex, sed Votum Solemne requiratur*, quia juxta hodiernam disciplinam primum consistit in sola promissione voventis, secundum addit acceptationem per Superiorem, vel ab eo substitutum ex parte Dei, quale solum est in Professione Religiosa, & Voto Castitatis adnexo Sacris Ordinibus.

XII. Sed quæres utrum solemni Professioni sit alia superaddita caussa, quæ possit desponsatam mulierum a viro suo separare, ejusdemque Matrimonium Ratum dissolvere? Non pauci profecto sunt, imo verius maxima

Theologorum, Juristarum, & Canonistarum pars respondet summum Pontificem justa, ac rationabili caussa interveniente vinculum hujus Matrimonii solvere posse ex auctoritate sibi a Christo specialiter concessa pro bono fidelium regimine ad eorum pacem conservandam, sive dispensando super dicto Matrimonio, sive declarando in illo casu vinculum Matrimonii esse solubile. Primum hujus dispensationis exemplum repetunt ab anno 1074. quo anno Gregorius VII. dispensavit cum Godefredo Gibbero, & Principissa Mathilde, qui Godefredus ad alias Nuptias transivit Mathilde Virgine, ac innupta manente, & hoc vinculo dissoluto, plures alios Pontifices recensent, qui per sexcentos continuos annos cum aliis Conjugibus dispensarunt, & illorum Matrimonia Rata resciderunt, ut possent aliis nubere. Ut huic Dispensationi Pontificiæ vim addant, alteram dispensationem recensent sæpe a Rom. Pontificibus concessam in Voto solemni Castitatis emisso in Religiosa Professione, quam facultatem retinere Pontifices asserit D. Thomas in 4. Senten. dist. 38. q. 1. a. 4. ad 3. his verbis: *Si communis utilitas totius Ecclesiæ, aut unius Regni, vel Provinciæ exposceret, posset convenienter R. P. & in Voto Continentiæ, & in Voto Religionis dispensare.* Et ut eludant Adversariorum argumenta, quæ Romano Pontifici adimunt hanc auctoritatem, reponunt hæc argumenta respicere Consummati Matrimonii naturam, pro quo dissolvendo nulla penitus data est alicui potestas, cum hoc Matrimonium præseferat, non unionem Dei cum anima fideli, quam exhibet Matrimonium Ratum, & quæ per peccatum solvi potest, sed unionem indissolubilem Verbi Divini cum Christi humanitate, & Adversarios confundere effectum Sacramenti, scilicet indissolubilitatem Matrimonii cum effectu dispensationis, quæ a Matrimonio Rato, Deo ita volente, declarat ob urgentem caussam posse indissolubilitatem auferre; & demum reponunt Adversarios aberrare a quæstione, in qua versantur. Hujus igitur gravissimæ, & molestissimæ Controversiæ ille solus Judex erit, qui solus juris Divini declarandi potestatem habet, & hæc est fidei regula, ut loquitur textus in cap. *quoties Fidei*, in cap. *rogamus*, in cap. *a recta* 24. q. 1. cum enim potestas hæc dispensandi, non in gratiam, ac bonum præcipue privatum ipsorum Conjugum, sed in primis ipsius Ecclesiæ sit, hanc audire oportebit, quæ legem Dei, ad quam refertur Lex Naturalis, interpretatur, & cui adest ipse Spiritus S. ne erret in iis, quæ spectant fidem, & mores; & quemadmodum hæc pronunciavit nonnullos contractus esse licitos, puta Consignativos, itemqoe Sacras Immagines licite pingi, & coli in templis, etiam sine duce Scriptura, & Traditione priorum Sæculorum, nam satis illi fuit quod essent res consentaneæ Legi Naturali, cui Scriptura, & Traditio non opponuntur; ita pariter asserere potuit Organo Supremi Pastoris, Matrimonium tantum Ratum, quod est verum Sacramentum, non aliter ac verum Sacramentum est Matrimonium Consummatum, subesse dispensationi Pontificiæ, quia hujusmodi dispensatio in talibus circumstantiis congruit admodum Legi Naturali, & non adversatur Scripturæ, & Traditioni, licet in alterutra non inveniatur.

XIII. Neque a nobis laborandum est in invenienda illa caussa, eademque inquirenda justa, & gravissima, quæ movere debet Pontificem in concedenda hac dispensatione. Duodecim Caussæ recensentur a Pignatello Tom. I. Consult. 148. n. 7. & 8. non tamen inde sequitur, quod interveniente illarum qualibet teneatur Pontifex dispensare. Quæritur inter Dispensatores, ut fide-

fidelis quis inveniatur, quem certe esse præpositum familiæ suæ R. Pontificem Catholici omnes profitentur, qui propterea si respondet se non posse dispensare, ut narratur Innocentium VIII. respondisse, Adrianum pariter IV. & S. Pium V. non semel requisitos ab Oratoribus Principum suæ Fidelitatis, palmarium argumentum est, non illius impotentia, pro qua pugnant nonnulli inter Theologos, & Canonistat, qui verba Christi concedentis Petro Claves Regni Cœlorum: *Tibi dabo claves &c. Quodcumque solveris &c.* dimetiuntur ne potestatem concedant progrediendi ultra Cancellos, inter quos suam Sponsam prospiciebat Mysticus Sponsus, quorum Sententiam dum legimus, non immoramur, sed aliis examinandam relinquimus, & ad alteram Assertionis partem probandam accedimus, in qua ponitur, quod cum a nulla caussa, tum præcipue a fornicario Concubitu non dirimitur.

XIV. Apud Antiquos maxima Controversia fuit utrum Matrimonia Rata, & consummata dirimi, & rumpi possent ex aliqua caussa, hoc eruitur ex prolixis Disputationibus excitatis inter Græcos, & Latinos PP. & ex iis, quæ Latini Patres in hoc argumento scripserunt, ut prætercam Heterodoxos, Lutherum, Bucerum, Calvinum, & alios dissidentes non in asserenda earum caussarum præexistentia, sed tantum in numero. Occasionem Disputationi dederunt verba Christi Domini, qui Pharisaicæ instantiæ, quæ legitur Matth. 19. *licet ne dimittere uxorem quacunque ex caussa*, non novam Sententiam proferens, sed illa repetens, quæ Matth. 5. docuerat, sic respondit: *dico autem vobis, quia quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit mœchatur*. Qui inculcat, ac repetit sola caussa fornicationis uxores dimitti posse, Nuptias dubio procul propter Adulterium videtur solvere. Qua de re *obscurissimam* hanc, & ad *extricandum difficillimam esse* quæstionem, ait Augustinus in libro de Fide, & Operibus cap. 19. qui tamen in lib. 2. cap. 8. de Adulterin. Conjug. notavit, quod Christus legem renovans, ac confirmans de Sacro fœdere non violando nullam fecit exceptionem. Firma igitur maneat nostra assertio, quod nulla, ne Adulterii quidem caussa, Matrimonii vinculum solvi potest.

XV. Posset aliquis arbitrari hic nos actum agere, cum jam agentes de unitate Matrimonii viderimus hoc argumentum attigisse. Verum de hoc argumento ibi tantum egimus ut ostenderemus etiam caussa concurrente Adulterii non posse mulieri mulierem superaddi, licet uxor esset dimissa a Conjuge innocente, hic vero demonstramus. 1. Christi sententiam absolute Matrimonii vinculum non dirimere. 2. Et universam Ecclesiam ita semper sensisse, 3. & merito fuisse a Tridentinis PP. vindicatam quando in Canone 7. de Sacramento Matrimonii definiverunt: *Si quis dixerit Ecclesiam errare cum docuit, & docet juxta Evangelicam, & Apostolicam doctrinam propter Adulterium alterius Coniugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi, & utrumque, vel etiam innocentem, qui caussam Adulterio non dedit non posse altero Conjuge vivente aliud Matrimonium contrahere, mœcharique eum, qui dimissa adultera aliam ducit, & eam, quæ dimisso adultero alii nupserit, Anathema sit*.

XVI. Primum ostenditur ex hoc quod ipsi Adversarii non valent tempus definire quo per Adulterium alterius Conjugis Matrimonium dirimatur. Nam concedamus quod statim ac alter fidem Matrimonii adulterio violavit Sacri fœderis abruptio fiat, coguntur ostendere sine novo contractu non posse con-

conjugale officium exercere; & tamen Uxor licet caussam repudio dederit tenetur ad Conjugem innocentem illi condonantem injuriam redire, & sine novo Contractu in licito Consortio manere, quia illud quod inducitur in favorem Viri non aufert eidem jus petendi debitum; unde Uxor tenetur reddere, quia non desinit ejus Uxor appellari. Fingant igitur in Repudio desinere esse Conjugem; ergo Conjux innocens si voluerit petenti veniam culpam remittere, illi non licebit eidem adhærere, eamdemque in Matrimonio detinere, nisi novo fœdere conjungatur. Porro contrarium docet Apostolus, qui innocentem Conjugem virum vocat alterius, quæ fidem fregit, & frangenti fidem præcipit ipsi viro suo reconciliari, & hoc præstat auctoritate a Deo illi tributa. *Iis*, inquit 1. ad Cor. 7. *qui Matrimonio juncti sunt præcipio, non ego, sed Dominus, Uxorem a Viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari*, hoc est ad illum redire, præsertim si fuerit revocata, quia adhuc manet vinculum Matrimonii, ex quo ad hoc tenetur. Dicant tandem quando novum ab alterutro fœdus contractum fuerit? *Verum unde nam tanta vis fornicationis ut solvat vetera Conjugia, & societ novis, si veritas ipsa pronunciat antiqua subsistere? Quicunque Uxorem dimiserit, & aliam duxerit mœchatur*: Ergo cum dimissione ligamen perseverat, *qui dimissam duxerit*, iterum repetit, *mœchatur*, hoc est non veri consors matrimonii, sed nefarii concubitus fit reus. Absit ergo quicunque sentit oppositum, quod male accomodet hæc verba Christi sententiæ interjecta *nisi ob fornicationem*, quæ ad præcedentia: *quicumque dimiserit Uxorem* necessario referuntur, non ad sequentia, *& aliam duxerit*, ac si diceret: quicunque, solo excepto casu fornicationis, Uxorem suam repudiaverit, eaque superstite, sive fornicata fuerit, sive non, & aliam duxerit, mœchatur.

XVII. Nec satis apparet cur in hac loquendi formula supponatur restrictio ad eam solam Uxorem, quæ juste propter adulterium dimissa est, & non etiam ad illam, cujus dimissio fuit injusta, cum enim verba sint generalia, sensus esse potest mœchari, qui Uxorem innocentem ducit, non mœchari qui ducit adulteram, ut hæc quasi præmium suæ impudicitiæ assequatur, novum Thalamum impune repetens, illa vero non possit, sed a viro injuste ejecta ad perpetuam teneatur a Matrimonio abstinentiam. Sententiam itaque corrigant Adversarii, ingenueque clament mœchari semper qui dimissam duxerit vivente Viro, quod exceptionem hanc tanti momenti Evangelistæ reliqui prætermiserint, cum a Christo facta non fuerit. *Fas non est*, inquit S. Augustinus loco supra cit. cap. 8. *ut Evangelistas una de re loquentes ab uno sensu, eademque sententia disentire dicamus. Restat igitur ut Matthæum intelligamus eandem tenuisse sententiam, ut omnino qui dimittit uxorem suam, & ducit alteram, mœchari minime dubitetur. Nam & illud quod etiam secundum Lucam sequitur; qui dimissam duxerit mœchatur, quomodo est verum? quomodo mœchatur, nisi illa quam duxit eo vivente, a quo dimissa est, adhuc Uxor aliena est? Si enim jam sua non aliena miscetur Uxori, utique non mœchatur. Mœchatur autem, aliena est ergo, cui miscetur. Porro si aliena est, hoc est ejus, a qua dimissa est, etiam si propter fornicationis caussam dimissa est, nondum dimittentis Uxor esse cessavit.*

XVIII. Id autem clarius adhuc ostenditur ex scopo responsionis Christi Domini interrogationi Pharisæorum, qui inquirentes de perfecta dimissione Uxo-

Uxorum quo ad vinculum, quæ duo includebat, nempe dimissionem unius, & potestatem ducendi aliam, Christus in præfatis verbis eadem duo distinxit, & unum in caussa fornicationis concessit, scilicet dimissionem, alterum vero, scilicet potestatem ducendi aliam omnino abrogavit; alioquin esset manifesta contradictio cum præcedentibus verbis, quibus repudium, quod erat in Lege Mosayca permissum, & solutionem quo ad vinculum omnino reprobaverat. Solum ergo concessit illis verbis, quod ex caussa fornicationis possit quis Uxorem dimittere quoad cohabitationem, & Thorum, non tamen quo ad vinculum, nec in ullo casu permisit licere Judæis aliam ducere priore Conjuge vivente, quia stat Conjugium institutione sua, & ordinatione Divina prorsus irrevocabile.

XIX. Verum ne aliquis arbitretur nos Interpretis officium usurpasse in iis, quæ in Sacra Scriptura fortasse videntur obscurius dicta. Nonne & Patres primi ordinis, Pontifices, Generalia, & Nationalia Concilia hoc idem senserunt, & propugnarunt? Dicet aliquis Theodoretum, Asterium, Amazenum manifeste nobis adversarii. Nutare igitur propterea asseremus in hac parte traditionem Ecclesiæ? Integra mansit quando actum fuit de non rebaptizandis iis, qui ab Hæreticis Baptismum susceperant, aut de Beatitudine non protrahenda ad diem ultimum Judicii, licet in hisce Capitibus Viri eruditione, & sanctitate cospicui erraverint, ita pariter integra nunc, & firma manebit, etsi aliqui ex Patribus non ita firmum nuptiarum nexum dixerunt, quia in caussa Adulterii rumperetur. *In Divinis Sententiis*, inquit Augustinus libro de Fide, & Operibus cap. 19 *ita obscurum est, utrum & iste, cui quidem sine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur si alteram duxerit, ut quantum existimo venialiter ibi quisque fallatur.* Obscuritatem eamdem agnoverunt Apostoli, qui propterea, ut legitur Marci 10. Christum iterum in domo de eodem interrogaverunt. Quid mirum igitur quod in diversas distrahi opiniones etiam antiqui Patres visi fuerint, cum præsertim Ecclesia primis temporibus controversiam hanc non expenderit? Expendit deinde, & suo Decreto composuit desinente tertio, aut ineunte saltem quarto Sæculo in Concilio Eliberitano can. 9. A. 416. in Concilio Milevitano can. 17. *secundum Evangelicam, & Apostolicam Disciplinam* A. 781. in Concilio Forojuliensi can. 10. A. 900. in Concilio Nannetensi c. 12. tum in Concilio Florentino, & postremo in Tridentino, ubi Patres hanc quæstionem maximo studio, non tamquam ad disciplinam pertinentem, ut falso Launojus scripsit in suo Tractatu de Regia in Matrimonium potestate, sed tamquam Controversiam ad fidem spectantem maximo studio definiverunt, ita ut jam dogma certum, & indubitatum sit ab omnibus propugnandum, tamquam ab Evangelica, & Apostolica Doctrina descendens. Concilii Eliberitani Decretum ita se habet: *Fidelis fœmina, quæ adulterum maritum reliquerit fidelem, & alterum duxerit prohibeatur.* Concilium Milevitanum sic loquitur: *Placuit ut secundum Evangelicam, & Apostolicam Disciplinam neque dimissus ab Uxore, neque dimissa a Marito alteri conjungatur, sed ita maneant, aut sibi reconcilientur, quod si contempserint ad pœnitentiam redigantur.* Concilium Forojuliense ita definivit: *Placuit ut resoluto fornicationis caussa jugali vinculo, non liceat viro quandiu adultera vivit aliam Uxorem ducere.* Concilium Nannetense sic ait: *Cujus Uxor adulterium perpetravit, & hoc a Viro deprehensum fuerit, & publicatum, dimittat Uxorem, si vo-*

voluerit propter fornicationem ... Vir vero ejus illa vivente nullatenus aliam accipiat. Eugenius IV. in Concilio Florentino Græcorum morem dissolventium Matrimonia superveniente adulterio repræhendit, idque correctione indigere declaravit, & in Decreto pro Armenis: *quamvis*, ait, *ex caussa fornicationis liceat Thori separationem facere, non tamen aliud Matrimonium contrahere fas est, cum matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum sit.* Cur ergo Græci, inquies, non acquieverunt voluntati Eugenii IV.? *Ut veterimam*, ut ipsi ajebant, *suorum majorum consuetudinem sequerentur* ita scribit Pallavicinus in libro 22. Tridentinæ Historiæ cap. 4. *nec idcirco illos damnatos, aut anathemate perculsos fuisse ab ulla Synodo Oecumenica, etiam si Romanæ, & Catholicæ Ecclesiæ hujusmodi mos liquido innotuisset*. Innotuit profecto iste mos, sed etiam innotuit quid sanctissimi, & doctissimi Græci Patres in hoc argumento scripserunt. S. Evaristus Papa in Epistola 2. hæc scribit: *Uxori non licet dimittere virum suum, ut alteri se vivente eo societ matrimonio, licet fornicatus sit vir ejus, sic juxta Apostolum, aut viro suo reconciliari debet, aut manere innupta*. S. Justinus in Apol. 2. & Athanagoras in Apolog. pro Christianis *adulterari*, dicunt eum, *qui uxorem suam dimiserit, & duxerit aliam*. Hermas, quem Apostolus salutat in Epist. ad Rom. 16. in lib. 2. de dimittenda Uxore ita scribit: *Dimittat illam vir, & vir per se maneat, quod si dimiserit mulierem suam, & aliam duxerit, & ipse mœchatur*. Clemens Alexandrinus in lib. 2. Strom. inquit: *quod autem consulat Scriptura Uxorem ducere, & nec a Conjugio unquam permittat discedere, legem aperte constituit non dimittes uxorem præterquam propter fornicationem, adulterum autem non existimes conjungi matrimonio vivo altero ex separatis... qui autem dimissam accipit uxorem, mœcatur, hoc est cogit eam mœchari. Non solum autem qui dimisit est ejus caussa, sed etiam qui eam suscipit præbens mulieri occasionem peccandi, si enim non suscepisset eam, reverteretur ad virum*. Origenes Tract. 7. super Matth. cap. 19. *Qua ratione*, inquit, *adultera est mulier, quamvis legitime nubere videatur vivente viro, eadem ratione & vir, quamvis legitime accipere videatur dimissam ab aliquo viro, non accipit legitime secundum sententiam Salvatoris, sed magis mœchatur, quasi alienam accipiens*: & S. Jo. Chrysostomus ut ceteros omittam in Homil. 17. in Matth. *ille*, inquit, *etsi alteram non duxerit, hoc ipso se constitnit criminis reum quod adulteram fecit ex Conjuge* (quæ nimirum alteri nupsit) *hic vero accipiendo alienam adulter effectus est: nequaquam enim mihi referas quia illam alter ejicit, nam expulsa quoque Uxor esse ejus, qui eam expulit, perseverat*. Ergo ex his omnibus innotuit ipsos Græcos Patres sensisse ne adulterii quidem caussa frangi fœdus Matrimonii, nihilominus Græci morem suum ad hanc usque diem inviolabiliter observarunt, nec Tridentinum Decretum detrimenti quidquam illis attulit, quod Veneti Oratores postulaverint, ut subdit idem laudatus Pallavicinus, quod *voces illæ canonis supra memorati adeo moderate lenirentur, ne Græcis detrimentum inferrent*. Attamen hoc unum assequi potuit Cardinalis Montaltius Montis Realis in Sicilia Archiepiscopus in sua Synodo Provinciali A. 1652. & potuerunt assequi reliqui Latini Episcopi, in quorum Diœcesibus Græci permixti Latinis vivebant eisdem subjecti, ne Mariti auctoritate propria, nullaque præmissa forma judicii Uxores adulterii prætextu dimitterent, & novis deinde Uxoribus jungerentur, & separationes quo ad vinculum extrajudicialiter, & aucto-

ri-

ritate propria factas, nullas, & irritas fuisse. At post laudatum Tridentinum Canonem Latinorum nullus in contrariam Sententiam abiit, & ex Christi verbis intellexit, quod quamvis Christus de dimissione a Thoro dumtaxat, non de vinculi dissolutione, de qua fuerat interrogatus responderit, ad propositum tamen respondit, quia docere voluit quid in Judaicis Divortiis licitè, & quid illicitè fieret. Primo quod in lege Uxor adultera lapidabatur, non dimittebatur, id ipse sustulit, & adulteram dimitti permisit. Addidit praeterea dimissae adulterii caussa Uxori non debere Judaeos libellum dare Repudii, ut Viri minus essent audaces in dimittendis Uxoribus, si scirent; nec sibi, nec Uxori licere alias tentare Nuptias, sed sibi solis dum uterque viveret esse vivendum. Ad haec resecuit innumeras caussas, propter quas in Lege Uxorem dimittere licebat, & solam fornicationis excepit, & quam dimissam Vir revocare non posset, in Evangelio non jussit quidem revocari, sed optavit, teste Apostolo, qui inquit: *maneat innupta, aut Viro suo reconcilietur*. Postremo cum in Lege Uxorem Viro, non Virum Uxori liceret dimittere, in Evangelio, eodem Apostolo interprete, parem Viri, & Uxoris caussam esse voluit. Hinc colligitur quantum hallucinatur Launojus, qui intemperanter asseruit S. Hieronymum contra Christi dispositionem restituisse Conjugi innocenti jus ad alias Nuptias convolandi, cum contrarium S. Doctor tradiderit in Epistolis, quas ad Oceanum, & Amandum scripsit, & in Matth. cap. 19. ubi sic loquitur: *& quia poterat accidere, quod aliquis calumniam faceret innocenti, & ob secundam copulam Nuptiarum, veteri crimen impingeret, sic priorem dimittere jubetur Uxorem, ut secundam prima vivente non habeat*. Si Lutheranos itaque, & Calvinistas, & Sectarios exceperimus, quos Tridentina Synodus Anathemate percussit, quia Romanam Ecclesiam erroris, & tyrannidis accusabant, quia vetat ne Fidelium Matrimonium consummatum quo ad vinculum solvatur, etiam in casu Adulterii. Si Desiderium Erasmum, qui Sectariis praeivit, non quidem in Censura, quae ab iis Ecclesiae Romanae Praxi inuritur, sed respectu doctrinae, quam postea purgavit, ut patet ex ejus Apologia ad Censuram, qua facultas Parisiensis ejus propositiones confixit anno 1526. Si Cardinalem Cajetanum, qui videtur multum propendere in Erasmi Sententia, quam tamen Ecclesiae definitioni subjicit. Si Ambrosium Catharinum, qui in Opusculo de Matrimonio asserit, nec ex Evangelio, nec ex Apostolo posse colligi licere, vel non licere in caussa Fornicationis novas inire Nuptias, sed sine auctoritate Ecclesiae id non debere fieri: constat persuasum fuisse reliquis, tum Evangelium, tum Apostolum docere Matrimonium consummatum per fornicationem non dissolvi, idemque judicasse Ecclesiam olim, & tempore Concilii Tridentini docuisse, non autem sub Anathemate, ac proinde docturam esse deinceps.

XX. Diximus quod *Christus Dominus innumeras caussas resecuit*, ob quas in lege Uxorem dimittere licebat: Ergo *si ita est* cum Discipulis suis conclamabimus, *caussa hominis cum uxore, non expedit nubere*, & cum Hieronymo Commentar. in 19. Matth. *grave pondus Uxorum est*, affirmabimus, *si excepta caussa fornicationis eas dimittere non licet. Quid enim si temulenta fuerit, si iracunda, si malis moribus, si luxuriosa, si gulosa, si vaga, si jurgatoria, si maledica, tenenda erit istiusmodi? Volumus, nolumus sustinenda est, cum enim essemus liberi, voluntarie nos subjecimus servituti*.

XXI. Gravissimum sane negotium est Matrimoniale Connubium, non ve-

ro tale, ut non expediat nubere, aut quod nubentem in profundum malorum demergat. Ipsa Matrimonii dignitas ad Nuptias invitat, & illius institutio ad nubendum impellit. Nuptiarum molestiis, neque desunt remedia, ut patienter sustineantur, vel ut prudenter arceantur. Quanta sit Matrimonii dignitas, & eminentia ex iis quilibet intelligit; quæ & plurima sunt, & commendatione dignissima, sive Matrimonium spectetur quatenus naturæ bonum est, sive quatenus est Sacramentum. Matrimonium quatenus naturæ bonum est, individuam exhibet duorum societatem, sine qua privata cujusque felicitas torpesceret, præsefert etiam totius humani generis propagationem, quæ homini immortalitatem quamdam artificiose conciliat, & ex filiorum procreatione renovat genus humanum, Regiones, atque Civitates frequentes reddit, ut inde optima Reipublicæ coagmentatio fiat. Quatenus vero est Sacramentum, habet id sibi cum aliis novæ Legis Sacramentis commune commercium, ut signum sit practicum, & efficax gratiæ sanctificantis, sed præterea in eo cetera Sacramenta superat, vel quia mystica sua significatione præclarum est Symbolum Connubii Christi cum Ecclesia, virtute cujus in Dei filios adoptamur, & ad Cœlestem, ac Divinam Hæreditatem destinamur, vel etiam quia per intimam illam Viri cum Muliere conjunctionem, qua utriusque fit una caro, eximia, & singularis illa unio exprimitur, qua Verbum naturam humanam indissolubili vinculo ita sibi copulavit, ut bonorum, ac malorum esset hinc inde communio; quemmadmodum inter Conjuges omnia prorsus bona, & mala in consortium veniant. Audet aliquid amplius Tertullianus asserere, nam in libro de Monogamia cap. 1. ait *se unum Matrimonium agnoscere sicut unum Deum*, ac si diceret, sicut in Deo unitas est in multiplicatione Personarum, sic quodammodo in Matrimonio duo esse dicuntur in carne una (Gen. 2.) quod mysterium perpendens Chrysologus Sermone 99. scripsit: *quos Deus conjunxit natura sociat, & fecit Deus ut sit homo unus, & duo, ac duo unus, & alter ipse homo, ne sit aut singularitas destituta, aut confusa conjunctio, quemadmodum in Deo Trinitas est Personarum in unitate essentiæ*; quod longe præstantius relucere in societate Animæ Adæ cum Anima Mulieris, quam a Deo *Architectatam* fuisse cap. 10. lib. 5. de Genesi ad litteram Augustinus asseruit, quin & Basilius Oratione 2. *ut una mens construeretur ad imitationem naturæ, ne carnem solam mulier, sed etiam mentem cum eo videretur habere communem, & ne anima, aut mens dissiparet, quos eadem caro conjunxisset*. Quæ sane omnia sufficiunt, ut homo se sentiat ad Nuptias vocari. Certe multiplicato fideli populo, Matrimonium quod in Mundi exordio singulis hominibus imperatum fuit ad speciei conservationem, & deinde Israelitis, quando Populus fidelis exiguo erat numero, non fuit ulterius hominibus singulis, neque in antiqua, neque in nova lege præceptum, nihilominus quatenus in se complectitur semina virtutum Temperantiæ, Religionis, ac Fortitudinis, & significat unionem duorum cum Deo per gratiam, & inter se per Charitatem, non definit esse summi Consilii res, ut in sua 1. ad Cor. 7. docet Apostolus, nam per Nuptias cavent homines ab effrænata libidine, & debito modo, loco, & tempore copulantur. Igitur si etiam hæc Nuptiarum commoda considerentur, caussa hominis cum uxore talis non erit, ut non expediat nubere.

XXII. Sed onera displicent a Conjugatis ferenda; & illa præsertim, quæ ex D. Hieronymo supra retulimus, & aliud prorsus referunt quam nexum

Cha-

Charitatis, quo Christus, & Ecclesia conjunguntur. Verum his malis occurrit, & medetur Christi gratia per Sacramentum Matrimonii, vel ut tollantur penitus, vel certe minuantur, & tollerabiliora fiant, quod si nihil horum sequatur, & ex ipsa cohabitatione aliquid spirituale discrimen immineat, justeque timeatur Consortis, & Liberorum subversio, in hoc casu idem S. Hieronymus interpres verborum Christi: *si oculus tuus scandalizat te erue eum, & projice abs te*, reponet: *melius est vitam solitariam ducere, quam ob vitæ præsentis necessaria æternam vitam perdere*: præterquamquod Christus dicendo Conjugem non esse dimittendam nisi propter fornicationem, illam tantum caussam resolvendi Matrimonii, quam peculiarem habuit, significavit, ceteras vero propter quas Societas quælibet dirimi potest, ac debet, nec attulit, quod non erat eo loci necesse, nec exclusit. His adde quod in hoc Evangelii loco Christus Dominus de perpetua separatione loquitur, de qua a Pharisæis fuerat requisitus, cui separationi sola fornicatio occasionem præbet, propter quam etiamsi Conjux infidelis resipiscat, innocens alter per omne vitæ tempus liberatur a reddendo ei debito, & potest sine alterius consensu in Monasterio profiteri, vel ad Sacros Ordines promoveri. De aliis autem caussis propter quas fieri potest Uxoris dimissio, nimirum ad vitandum, aut salutis, aut vitæ periculum non egit, cum diversum debeat esse judicium, quia tunc pro illo tantum tempore eximitur innocens Conjux a reddendo debito, quo durant crimina, quæ caussam dederunt separationi, quemadmodum Urbanus III. decrevit in cap. *de illa* extra de Divortiis.

XXIII. Posset aliquis curiosius inquirere. Primo quid intelligatur per Fornicationem. Secundo utrum Reus hujus criminis ob simile crimen possit comparteni a se dimittere? Utrique interrogationi respondet Augustinus: Primæ in quæstionibus Deuteronomii q. 37. ad caput 23. ubi scribit: *Si furti nomine bene intelligitur omnis illicita usurpatio rei alienæ... profecto, & nomine mœchiæ omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus usus probibitus debet intelligi*. Alteri vero instantiæ respondet in libro de Bono Conjugali cap. 7. *Nihil iniquius est quam fornicationis caussa dimittere Uxorem, si & ipse convincitur fornicari*. Si vero Maritus innocens fuerit, ei non præcipitur Uxorem dimittere adulteram si certam probet pœnitentiam. Ita idem Augustinus in lib. 2. de Adulter. Conjug. ad Pollentium cap. 6. Sed si se ab Adulterio Mulier non temperet, ex præcepto tenetur illam dimittere, ex eodem Augustino Libro Retractat. primo cap. 19. *Ubi dixi hoc permissum esse non jussum, non attendi aliam Scripturam dicentem: qui tenet Adulteram stultus & impius est*. E contra vero ad hoc non tenetur innocens mulier desertorem virum dimittere, quod non possit illum cum auctoritate corripere, nec assentiri peccato illius videtur, nec eadem imminent inconvenientia: præterquamquod talis secessio parum prodesset Uxori, quia fortasse Virum redderet deteriorem.

XXIV. Observandum tamen est quod si agatur de separatione quoad Thorum, & quoad habitationem, hæc privata Conjugum auctoritate fieri nequit, & id Sanctionibus tum Ecclesiasticis, tum Civilibus cautum est, ne levibus de caussis, & cum publico scandalo Matrimonia solvantur; unde interveniente judico Ecclesiæ si dimittatur Vir etiam hæreticus in foro externo, non tenetur cum Conjux recipere etiam pœnitentem, ut declaravit idem Urbanus Pontifex loco supra citato.

XXV. Observandum ulterius est cum D. Thoma in Supplem. q. 62. a. 4. in corpore *quod in Caussam Divortii Vir, & Uxor ad paria judicantur, ut idem sit licitum, & illicitum uni, quod alteri; non tamen pariter judicantur ad illa, quia caussa divortii est major in uno quam in alio, cum tamen in utroque sit sufficiens caussa ad divortium: divortium enim est pœna adulterii, in quantum est contra Matrimonii bona, quantum autem ad bonum fidei, ad quam Conjuges æqualiter sibi invicem tenentur, tantum peccat contra Matrimonium adulterium unius, sicut adulterium alterius, & hæc caussa in utroque sufficit ad divortium, sed quantum ad bonum prolis plus peccat adulterium Uxoris quam Viri, & ideo major est caussa divortii in Uxore quam in Viro; & sic ad æqualia, sed non ex æquali caussa obligantur. Nec tamen injuste, quia in utroque est caussa sufficiens ad hanc pœnam; sicut est etiam de duobus, qui damnantur ad ejusdem mortis pœnam, quamvis alius altero gravius peccaverit.*

XXVI. Observandum postremo est, quod etiam desiderio vitæ Sanctioris potest aliquis a sua Uxore separari, vel in perpetuum juxta illud Matthæi 19. *omnis qui reliquerit domum, aut Uxorem propter nomen meum centuplum accipiet*, vel ad tempus juxta explicationem Apostoli 1. ad Cor. 7. Non vero concedetur dimissio si fornicatio fuerit sine crimine, si adulterio cognito secuta fuerit reconciliatio per actum conjugalem, si vir ipse Uxorem prostituerit, si Uxor fuerit sterilis, vel deformis corpore, vel debilis membris, vel surda, vel cæca, vel clauda, vel si quid aliud, sive morbis, & doloribus languoribusque confecta, & quid quid cogitari potest vehementer horribile; nec propter supervenientem lepram, ut in Gratiani Decreto legitur 32. q. 5. neque ob illicitam continentiæ animositatem, quam caussam ponit Augustinus in cit. ejus Opere de Conjug. Adult. cap. 19. hoc est propter Conjugalis debiti negationem; nisi forte Vir cohabitare cum Uxore non posset sine periculo suæ salutis, ex eo videlicet quod concupiscentia exardescit ex præsentia Conjugis. Et hæc omnia exponuntur secundum Legem, & Disciplinam Ecclesiæ Romanæ, & juxta morem Catholicorum omnium, qui eidem Ecclesiæ subjiciuntur. Nam alter fuit olim mos Hebræorum, si nonnulli Theologi audiantur. Judæi siquidem ante Evangelii promulgationem Contractum Matrimonium solvebant quo ad vinculum dato libello Repudii, non quidem ob fornicationem, ut censet Lucas Bergensis Commentar. in Matth. 19. post Tertullianum lib. 4. contra Marcionem. Adultera enim criminis convicta lapidabatur, & suspecta Aquis Zelotypiæ prodebatur, sed ob alias animi Corporisque fœditates, ut verius asserunt alii post Origenem, & S. Joan. Chrysostomum, nempe ob lepram, sterilitatem, veneficium, ebriositatem, rixandi consuetudinem, aliosque id genus pravos mores cum indocilitate, & pertinacia conjunctos. *Si acceperit homo Uxorem* (hæc sunt verba Legis Deuter. 24. v. 1. 2. 3. 4.) *& habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, scribet Libellum Repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua, cumque egressa alterum Maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, & dimiserit de domo sua, vel certe mortuus fuerit, non poterit prior Maritus recipere eam in Uxorem, quia polluta est, & abominabilis facta est coram Domino.* Dixi *si nonnulli Theologi audiantur*. Nam non est profecto una Theologorum in hoc negotio sententia, cum plerique velint, quod si post acceptum libellum Repudii mulier alteri nubat, ex inordinato opere culpam con-

contrahat, non ob aliud, quam quod perseverat prioris Matrimonii vinculum, nullamque super eo concessam fuisse Judæis dispensationem, sed meram permissionem, ut Christus Dominus Matth. 18. ait *ob duritiam cordis eorum: Quoniam Moyses ad duritiam Cordis vestri permisit vobis dimittere Uxores, ab initio autem non fuit sic*. Hæc porro duritia non potuit habere rationem finis honesti, qui Deum moverit, ut ejusmodi dispensationem concederet, sed solum potuit movere Moysem ut dimissionem Uxoris concederet, non quidem tamquam rem bonam, sed veluti minus malum uxoricidio, quod Judæi commisissent, si more Gentilium hanc tollerantiam a Moyse non obtinuissent. Insinuat hanc Doctrinam Augustinus in lib. 1. de Serm. Domini in Monte cap. 14. *Qui præcepit*, inquit, *dari libellum repudii, non hoc præcepit ut Uxor dimittatur, sed ut dimittere volens det libellum repudii, ut iracundiam temerariam projicientis Uxorem, libelli cogitatio temperaret*. Et revera *Libellus repudii*, ut idem S. Doctor scribit in lib. 19. contra Faustum cap. 26. *scribi lex jussit, ut in dissidiam animus præceps libelli conscriptione refractus absisteret, & quid mali esset Uxorem dimittere cogitaret. Præsertim quia, ut perhibent, apud Hebræos scribere litteras Hebræo nulli fas erat nisi Scribis solis, cum & excellentiorem profiterentur sapientiam, & si qui eorum essent æquitate, & pietate præditi, non tantum profiterentur sapientiam, verum etiam sectarentur. Ad hos igitur, quos oporteret esse prudentes Legis interpretes, & justos dissidii dissuasores lex mittere voluit, cum quem jussit Libellum repudii dare, si dimisisset Uxorem. Non enim ei poterat scribi libellus nisi ab ipsis qui per hanc occasionem ex necessitate venientem quodammodo in manus suas bono consilio regerent, atque inter ipsum, & Uxorem pacifice agendo, dilectionem, concordiamque suaderent. Quod si tantum intercederet odium, ut extingui, emendarique non posset, tunc utique scriberetur libellus quia frustra non dimitteret, quam sic odisset, ut ad debitam Conjugii charitatem nulla prudentium persuasione revocaretur. Si enim non diligitur Uxor, dimittenda est. Quia ergo dimittenda non est, diligenda est. Dilectio autem monendo, atque suadendo componi, non invitum cogendo imponi potest, hoc facere Scriba debebat justus, & sapiens, qualem in illa professione esse oportebat. Ad quem ut veniretur, discordi Marito libellus conscribendus præceptus est, quem vir bonus. prudensque non scriberet, nisi in animo nimis adverso, atque perverso Consilium Concordiæ non valeret*. Constat itaque quod dare Libellum in præcepto erat volenti dimittere, dimittere vero tantum permissum ob duritiam cordis ejus, qui primævam Matrimonii legem servare non posset. Nulla igitur ex Sententia horum Theologorum ad repudium dispensatio fuit, sed nuda permissio, seu tolerantia mali minoris ad cavenda deteriora. Ergo licet permissum, tamen erat illicitum, quia vera, & legitima Institutio Matrimonii, quæ firmat dimissionem Uxorum post consummatum Matrimonium in nullo hominum statu, & ex nulla caussa fuisse licitam, id non patiebatur, sed hoc malum non puniebatur, ne pejora consequerentur, ut non puniebantur usuræ in extraneos, & in Civitatibus alia mala, quæ tamen semper sunt illicita, licet carnalibus non videantur peccata, quod in hac vita non puniantur. Quæ si vere dicta sunt nam S. Thoma 3. contra Gentes videtur huic Sententiæ favere, & in Suppl. 3. p. q. 67. a. 2. in corpore asserit hoc communius sustineri, profecto ex hoc etiam validius nostra assertio concluditur.

CA-

CAPUT V.

DE DISPOSITIONIBUS AD CONTRAHENDUM MATRIMONIUM REQUISITIS.

MAtrimonium cum habeat naturam Contractus suis solemnitatibus carere non debet ut laudabiliter impleatur. Hæ autem tres communiter recensentur Sponsalia, Proclamationes, & Parentum consensus. Sit igitur.

§.I. *Laudabilem morem præmittendi Sponsalia Matrimonio, non modo non reprobavit Ecclesia, sed retinuit, & commendavit.*

I. Sponsalia præcessisse Nuptiarum fœdera ex Græcis, & Latinis Auctoribus compertum habemus, qui mores Gentium aperiunt, apud quas solemniter sanciebantur. Nos qui hac in re morem illum eligimus, quem ab Ecclesia sancitum esse in Nuptiis contrahendis Religioni maxime conformem, tradit textus in cap. *aliter*, & cap. *nostrates* 30. q. 5., & qui veterum usum ad vinculi Conjugalis effectum nihil attinere affirmamus cum communi DD. sensu, argumento cap. 1. de Sponsalibus, Sponsalia præmittenda esse Conjugio asserimus, & Florentino auctore eadem definimus *futurarum Nuptiarum promissiones*, ex eo sic dictæ, vel quod veteres per stipulationem futuras sibi Uxores despondērent L. 1. & 2. D. de Sponsalibus; vel quia is, qui ducturus erat Uxorem, non ab ipsa, sed ab eo, unde ducturus erat, nempe a Patre, vel a Fratre stipulabatur eam in Matrimonium ductum iri, ut ex Aulo Gellio lib. 4. cap. 4. deducit Alciatus lib. 1. Parerg. cap. 2. Quod si reponat aliquis ipsam mutui conjugalis consensus dationem aliquando appellari Sponsalia, ut in cap. 3. de Præsumpt. cap. 2. & cap. finali de Sponsa duorum, & in aliis juribus passim observatur, ex eo quod Matrimonium per Sponsionem, hoc est stipulationem contrahatur, per interrogationem scilicet, & responsionem, id ultro concedimus; nihilo tamen minus apud Juris-Consultos proprior, ac frequentior est prima Sponsaliorum, aut Sponsarum significatio, qua Sponsas proprie intelligimus, quas de futuro appellamus, & aperimus inde illarum Legum intelligentiam, in quibus ejusdem vocis late accepta significatio nonnullorum interpretum immane torsit ingenia, videlicet intelligentiam Legis *non sane* C. de Bonis quæ liberi, & Leg. *si Uxor* §. *Dives* D. de Adulter. quæ iniuriam illatam Sponsæ vindicare permittit; ut explicandæ in proprio sensu sint in Sponsis de futuro, quibus Sponsalitia largitas ita convenit, ut minime de hoc dubitare liceat, & eisdem illata iniuria nimis atrox Sponso propter spem Matrimonii vindicare permittitur. Retenta igitur prima definitione, & retento ejusdem definitionis communi sensu, de Verbis dicendum est primo, quibus Sponsalia contrahuntur, deinde de ætate, mox de effectu, & demum de caussis per quas ipsa solvuntur.

II. Solebant Sponsalia a Juris-Peritis concipi, nam Stipulationi contrahendæ Juris-Periti adhibebantur, qui solemnia verba conciperent ne Contrahentes errarent. Huius solemnitatis Cujacius auctor est in L. 1. C. de Contrahenda Stipulatione; & ideo J.C. in Sponsalibus contrahendis adhibebantur, quia

quia certis, ac statis verborum formulis celebrabantur, ut refert Brissonius lib. 1. de Formulis in principio. Etiam in Tabulis, ut plurimum Sponsalitiæ conventiones referebantur, ex quo illud Tertulliani de Veland. Virgin. *hæ sunt tabellæ priores naturalium Sponsaliorum, & Nuptiarum* quæ a testibus obsignari solebant juxta Apulejum Apol. 2. Interdum vero nullum de ea re instrumentum conficiebatur, & nuda testatio sufficiebat L. 7. D. de Sponsal. In hac tamen forma Sponsaliorum secundum locum obtinebat Sponsio, seu Stipulatio, siquidem ea accedebat Pactis conventis L. 7. §. *Quod* D. de Pactis. Primum enim inter eos de quorum Nuptiis agebatur, de Nuptiarum conditionibus, & legibus conveniebat, hoc est de Dote, & Donatione propter Nuptias, & Arrhis sponsalitiis. Hæc conventio si sine Stipulatione fiebat *pacta mulier* dicebatur, seu *destinata*, si in ea amplius stipulatio addebatur, *Sponsa* dicebatur. Hoc discrimen suppeditat Cicero 5. ad Atticum, & Tacitus lib. 12. Hujus pactæ Sponsæ meminit etiam Augustinus in cap. 39. caussa 27. q. 2. & destinatæ Uxoris meminerunt Svetonius in Julio, Plinius Epist. 3. & Arnobius adversus Gentes, & J. C. subtilius etiam Pactas a Destinatis distinxerunt, nam *Destinatarum* nomen proprie ad eas, quæ non inter vivos pactæ, sed testamento Patris designatæ, & nominatæ fuerunt restrinxerunt, ut in L. *non est* 66. D. de Ritu Nuptiarum, in L. *si patris* 6. C. de Interdic. Matrim. & in L. *qui pupillam* 7. in principio D. ad Legem Juliam de Adulter. Leguntur etiam apud veteres J. C. agentes de Sponsalibus voces *mentio*, & *repromissio*, ut innuerent modum illorum, qui conveniebant de Nuptiis inter se L. *si quis* 60. §. *Quamvis* D. De Ritu Nuptiar. in quo casu qui poscebat, mentionem facere dicebatur, & repromittere qui respondebat, juxta quem morem Florentinus J. C. in L. 1. D. Hoc titulo scripsit: *Sponsalia sunt mentio, & repromissio futurarum Nuptiarum*; quandoquidem unum tantum genus est Sponsaliorum, scilicet promissio de futuris Nuptiis.

III. Ex hoc vero, quod sponsalia a J. C. conciperentur, neque antiquis, neque hodiernis moribus adversatur, quod alii possint adhiberi. Notum est enim nonnisi a Parentibus consuevisse fieri Sponsalia, filiorum præsertim impuberum, ut pluribus demonstrat Gonzales in cap. 2. in cap. *tua fraternitas* de Desponsatione Impuberum, quorum voluntas discerni non potest, & id contingit dum sunt septennio minores. Verum quoad ipsos filios nullam inducunt obligationem, ut clare probat textus in cap. *ubi non est* 30. q. 2. in cap. *litteras* e. tit. & in cap. unico tit. e. in 6. ubi exprimitur Sponsalia amborum infantium, vel alterius tantum ad invicem contracta, vel quæ Parentes pro eis contraxerunt, uti nulla ex defectu consensus, publicæ honestatis justitiam non inducere, nec validari ex supervenientia majoris ætatis, nisi alia verbo, vel facto fuerint ratificata. Quod si secus intellexerint nonnulli Juris Interpretes argumento capitis *accessit* ad finem e. t. reprobatur eorum oppinio a Glossa ultima in cit. cap. unico, cui Doctores communiter subscribunt, qui pariter affirmant pro filiis Adultis non posse Parentes Sponsalia contrahere, nisi ipsi expresse, vel tacite, verbo, vel facto consentiant. Et re quidem vera. De consensu, qui requiritur in Sponsalibus omnino Jura loquuntur, quæ Sponsalia Contractibus annumerant, qui solo consensu firmantur, qua de re duo concurrere debent in Contractu Sponsalium, nimirum contrahentium verba, & res ad contrahendum apta.

IV. Si Jus commune spectemus Impuberum Sponsalia valida sunt toto Titulo

tulo Decretalium de Dispositione impuberum atque ad eorum validitatem sufficit ætas septem annorum, imo & Minor, si malitia suppleat ætatem, idest si usus rationis ætatem illam præveniat L. *in Sponsalibus* D. de Sponsalibus cap. *Litteras*, cap. *Accessit* tit. eod. quo in negotio standum esse examini Ordinariorum loci ex eo inferunt Doctores, quod hujusmodi examen non sit Apostolicæ Sedi reservatum per regulam capitis *Nuper*, capitis *Quia tamen Conditor Canonis* de Sentent. Excom. Bene tamen notatur Impubertatis præsumptionem ante ætatem legitimam non esse quid juris, aut de jure, ita ut non admittat probationem in contrarium secundum ea, quæ leguntur, & notantur in cap. *Ad id, quod*, & in cap. *Is qui fidem* h. t. sed esse juris tantum juxta ea, quæ advertit Hostiensis in cit. cap. *Puberes* n. 7. ideoque si constat malitiam supplere ætatem, utique poterunt Minores Sponsalia contrahere, quia in hoc casu præsumptio cedit veritati. Non consentit Abbas in hoc, quod Contrahentium malitia septem annorum ætatem prævenire possit in cap. *Juvenis* de Sponsal. quia ubi certa ætas requiritur ad intellectum, & discretionem, non potest suppleri malitia L. *Qua ætate* D. de Testam. quod etiam tenet Glossa in cap. *Si pater* v. *Impuberes* de Testam. in 6. ex quibus sequitur, quod si impubes ante legitimam ætatem Religionem profitetur solemniter, Professio est nulla cap. 1. de Regul. in 6. etsi maxime discretus sit puer, ac doli omnino capax. Verum a priori sententia recedendum non est, nam ea ratione, qua ante ætatem Matrimonio designatam, præmatura potentia ad generandum ipsium ætatis defectum supplet, ut infra probabitur, idem efficiet ipse intellectus in Sponsalibus. Igitur si perspicacia judicii parvulus satis intelligit id, quod in tali Contractu agit, non videtur cur ætas exacte sit expectanda, ut opportune idem docuit S. Thomas in 4. d. 27. q. 2. a. 2. Ceterum si prudentia non suppleat ætatem satis non est infantem proximum esse septennio, sed totum tempus septennii desideratur, ut Sponsalia consistant, idque ex eo patet, quod voluntas, quæ in naturali consensu consistit non solet dari nisi in eo, qui septennium complevit ex L. *Si infanti* 18. C. De Jurib. delib. & fortius adhuc statuitur in cap. *Accessit* de Despons. impub. & quoties verba Legis ad annos consummatos referuntur, tunc tempus completum esse oportet, non sufficit incœptum, cap. *Subdiaconum* 77. dist. cap. *Cum in cunctis* de electione, & alibi, nisi ex æquitate, vel favore rei, de qua agitur verba Legis benigne liceat interpretari, ut DD. tenent in L. *Qui filium* 47. §. 2. D. ad Trebell. aut ipsa verba Legis ad ingressum, vel solam existentiam anni dirigantur, aut Lex ipsa prohibeat ne quid ante certum tempus fiat, in quibus casibus satis est annum esse incœptum; quemadmodum in ætate necessaria ad manumissionem procedit Lex. 1. D. de Manumiss. & in tempore ad usucapionem necessario L. *In usucapionibus* 6. D. de Usucap. & in ætate ad Testamentum faciendum L. *Qua ætate* 5. D. de Testam. & licet annus non naturaliter ad momentum, idest ad horas, sed civiliter ad dies numeretur L. *Anniculus* 137. D. de U.S. attamen cum ex forma loquendi colligitur ætatem completam esse oportere, tunc nec sufficit ultimum diem esse cœptum, sed desideratur ut sit completus L. 3 §. *Minorem* D. de Minoribus; unde fit, quod ætas ad emittendam Professionem a Tridentino præscripta Sess. 23. de Regular. cap. 15. de momento ad momentum computatur: & ita computatur de momento ad momentum septennium, quod requiritur ad contrahenda Sponsalia. quod infra

fra illud Infantes communiter sint expertes judicii, & usus rationis, & nullam rem agere dicantur, seu negotium gerere, e contra vero post completos septem annos ea celebrare valent, & in hac ætate celebrata ab utroque jure sustinentur. Nec obest Senecæ auctoritas ex lib.7. Controvers. *Nihil puero teste latius utique quinquenni, nam ad eos pervenit annos ut intelligat, & nondum ad eos, quibus fingat*, nam apud eum pro *quinquenni* legendum esse *quindenni* probavit Gentilis de Nupt. lib. 5. cap. 1. Quemadmodum neque obstat textus in c. 3. L. Juliæ, & Papiæ ab Augusto latæ, & a Jacobo Gottofredo restitutæ in quatuor fontibus, ex quo colligitur tempus Sponsalium esse 10. annorum, nam in hoc cap. Legis Juliæ non fuit definita ætas ad Sponsalia generaliter, sed quoad præmia, & pœnas prædictæ Legis, quibus frui, vel eximi eos voluit Augustus, qui sibi desponsabant Puellam decennio minorem, cum qua esse Nuptiæ non poterant, ne scilicet fraus legibus fieret, dum optabant Sponsi pro Maritis haberi, ut abunde narrat Svetonius in Augusto cap.34. & Dion. lib. 34. Et hæc satis dicta sint de verbis, & ætate illa, quæ ad contrahenda Sponsalia requiritur.

V. Quomodo autem Sponsalia contrahi debeant modo dicendum est, & observandum tres esse Sponsaliorum species, quarum altera est nuda, & simplex, & est illa quando scilicet Sponsus simpliciter promittit Sponsæ, quod eam ducturus est in Uxorem, & e converso, cap. *Si inter Virum*, & cap. finali de Sponsal. Altera est, quæ fit Arrhis intervenientibus, vel pignoribus loco Arrharum datis, de quibus est textus in L. Finali C. de Sponsal. Tertia demum est quando præter verba consueta, quæ habentur in cit. cap. *Si inter Virum*, additur juramentum. Ex quibus sequitur semper Sponsalia fieri per verba futuri temporis, ut *ducam te in Uxorem*, cum solus Contractus Matrimonialis fiat per verba præsentis temporis. Disputarunt olim Juris interpretes, an per hæc verba, quibus Conjugalis consensus significatur *volo te habere in Uxorem*, impediente tamen ætatis defectu qui legitimus ad Matrimonium non censetur, contrahantur Sponsalia juris interpretatione. Etenim ex antiquioribus quidam Sponsalia non contrahi existimabant, ex eo quod actus intentus minime valebat, argumento Glossæ in cap. *a nobis* hoc. tit. & in cap. unico de Desponsf. impuber. in 6. v. *de Futuro*. Alii vero animadvertentes discrimen inter actum, quo contrahitur obligatio, & actum illum, quo eadem obbligatio dissolvitur, asserebant, quod in primo casu actus invalidus ut sit propter defectum caussæ efficientis, non valere ut fieri poterat, valere tamen in secundo casu eo modo, quo agi potuit, si non valet ut agitur ex L. *Quacunque ratione* D. de Procurat. Et demum alii intelligentes, quod sub Contractu Matrimonii etiam Sponsaliorum conventio comprehenditur, existimarunt quod ubi id, quod fieri poterat, sub eo quod fit, includitur actus invalidus eo pacto quo fit, valere eo, quo fieri poterat L. *Tam angusti* de Servit. & talem esse contrahentium intentionem, qui videntur Sponsalia voluisse contrahere casu quo Matrimonium invalidum foret. Ceterum cum hodie nullum Matrimonium ex Concilio Tridentino Sess. XXIV. de Refor. Matrim. cap. 1. sine Parocho, & Testibus contrahi possit, atque ex generali Ecclesiæ ritu in ipso templo ambo contrahentes ideo conveniant, non ut Sponsalia de futuro, sed ipsum Matrimonium per verba Categorica, interrogante Parocho contrahant, vix amplius controversiæ hujus ulla videtur utilitas. Potest quidem aliquando fieri promissio ab una parte alteri mere gratuita,

& sine conditione repromissionis, per hanc tamen non constituuntur Sponsalia; est enim pollicitatio solius offerentis promissio, de cujus natura est, ut ante acceptationem alterius partis revocari possit, ut tot. Tit. D. de Pollicitat. traditur. Necessaria igitur est repromissio alterius saltem implicita, quæ juxta circumstantias extendi potest ad manus porrectionem ejus, cui facta est, aut ad annuli acceptationem, imo ad ipsam taciturnitatem, puta si actum fuerit de Sponsalibus hic, & nunc contrahendis v. g. in præsentia Amicorum, nec altera pars petierit ulteriorem dilationem, vel alia verba, aut signa dederit; ex quibus intentio non contrahendi Sponsalia declarari potuit, nam ceteroquin sola manus porrectio, vel annuli, aut alterius rei donatio non est sufficiens signum, ex quo Sponsalia convincantur, quia possunt hæc, & similia mera affectionis caussa fieri. Inter absentes quoque Sponsalia contrahuntur, sive per litteras, sive per Procuratorem, cui hoc nominatim, & in specie demandatum sit cap. ultimo de Procurat. in 6., & cujus industria videtur electa, & cui mandatum etiam in absentia revocatum non fuerit: nam si Dominus interim pœniteat, & coram protestetur se nolle consentire in actum a Procuratore gerendum, Procurator invalide contrahet, licet hujus revocationis fuerit ignarus, quod pro Majori Matrimonii libertate ita est constitutum in cit. cap. ultimo. Ad quam libertatem etiam illa inspexerunt, quæ leguntur in cap. *Gemmas* 29. h. t. in L. *Titia* 134. D. de V. O. in L. penultima in fine C. de Sponsal. quod nulla pœna Sponsalibus adjiciatur, & quod per verba negativa non contrahantur, quæ plerumque dubitationem ingerunt, cum Nuptiæ *Amore, non pœnæ metu* conciliari debeant, ut pulchre asserit D. Chrysostomus Hom. 31. super cap. 13. Matthæi, & stipulatio pœnalis plerumque dirigatur ad acuendam diligentiam ejus, qui facere debet, ut si non ex voluntate, saltem metu pœnæ factum promissum adimpleat. L. *Si vehenda* 10. v. *Idem juris* D. ad L. Rodiam. de jactu, & demum quia in dubio potius liberatio, quam obligatio est inducenda L. *Arrianus* 47. de Oblig. & Act. nisi tamen ex adjunctis circumstantiis alias posset colligi intentio promittentis, quod revera voluntas ejus fuerit Sponsalia contrahere, cum non intentio verbis, sed verba intentioni accomodari debeant cap. 2. & 41. de Appellat. ut verum sit, quod is qui Sponsalia contraxit teneatur Conjugalem consensum præstare, & sic promissum absolvere, quod pertinet ad Sponsalium effectum, & vinculum.

VI. Hæc est cujuslibet Promissionis natura, ut promittentem cogat stare promissis, nec aliud exigitur ab eo, qui fide jubere promisit, aut locare, sive vendere, & in ceteris contractibus omnibus, ut is qui contrahere promisit, licet nondum ex hoc contraxerit, contrahere tamen debeat; ex quo patet promittentem aliquam in uxorem accepturum debere Matrimonium cum illa contrahere, & mortaliter peccare sponsum, qui non vult conjugalem consensum præstare docet S. Thomas in 4. dist. 27. q. 2. & probatur in capite *de sponsa*, & hanc responsionem extendunt DD. ad illum casum, in quo aliquis post prima sponsalia, alteri eamdem fidem sub juramenti vinculo præstitisset, dum inquiunt teneri illum primam sponsam, cui fidem dedit futuri consensus absque juramenti Religione in uxorem accipere, cum juramentum directe contrarium priori promissioni, quam quis servare tenetur temerarium sit, & minime obliget, utpote quod est in dispendium æternæ salutis, & jure Civili si prioribus Sponsalibus renunciatum non sit, infamia con-

contrahitur ex L. 1. D. De his quæ notantur infamia, & ex L. 1. C. de Desponf. & revera sponsum resilientem compellunt Canones adimplere promissa, vel per Censuram Ecclesiasticam, aut saltem acri monitione, quando aliis ex circumstantiis Judex prudenter arbitretur gravia mala timeri, & scandala, & sic DD. explicant textus in capite *ex litteris*, & in cap. *requisivit* hoc tit. quod inquiunt, *majus malum esse cogere ad Matrimonium contrahendum cum scandalo, aut perpetuo odio, quam frangere fidem sponsaliorum.* Licet vero obligatio in sponsalibus statim oriatur, tamen ut adimpleatur promissio, præsertim cum in contractu dies adjecta non est, vel expectanda est alterius sponsi petitio, vel cum primum promittens promissionem implere poterit ex regula Legis *in omnibus* D. de Reg. Jur. L. cum qui §. *quoties* D. de Verb. O. quoniam in omni obligatione requisitus solum tenetur solvere L. *debitores* C. de Pignoribus. Id etiam congruit fini Legis, quæ sponsalia præmittenda Nuptiis decrevit, tum ut parentes suum Nuptiis accomodarent consensum, tum ut maritus uxorem eligens consideraret mores, quibus perpetuo usurus erat, tum ut Matrimonii decori consuleretur, tum ut Matrimonium inire volentes, aliquanto ante contractum, Ecclesiæ innotescerent, tum ut sponsus, & sponsa futuri status sanctitatem serio meditarentur, tum ut S. Augustinus insinuat lib. 8. Confess. cap. 3. *ne vilem habeat maritus datam, quam non suspiraverit sponsus dilatam*, & demum ut clandestinis, & temerariis futuri Matrimonii pactionibus occurreretur, quam ultimam caussam addidimus, ut locum daremus illis sponsalibus, quæ sub conditione aliqua contrahuntur, quæ potest esse, vel honesta, vel turpis, vel impossibilis, & quæ indagine indigent, & propterea tempore, ut cognoscantur, cum possit contigere, quod etiam honesta conditio sit contraria bonis Matrimonii, & dubium maneat super valore sponsalium, & dubium idem non auferat conditio turpis. Honesta conditio est, quod uterque conjux maneat in perpetua Castitate. Quid inde? Et non pauci Viri Sanctissimi, ita convenerunt. Tamen si talis conditio apponatur distinctione est utendum: nam vel Conditio tantum fertur in usum Copulæ impediendum, concesso jure, sed ligato, & tunc valent sponsalia, quia usus Copulæ non est necessarius Matrimonio: vel conditio fertur in ipsum jus ad Copulam impediendam, & in hoc casu per legem contrariorum nulla erunt sponsalia. Ita pariter non detrahunt sponsalibus Conditiones turpes, quæ bonis Matrimonii non sunt contrariæ, cum habeantur pro non adjectis cap. *si conditiones* extra de Condit. appos. at contrarium traditur de iis conditionibus turpibus, quæ bonis Matrimonii adversantur, *ut accipiam te si venena sterilitatis procures*, quia detrahunt sponsalibus. Imo si primæ conditiones turpes revera ponerentur ad indicandum dissensum in Matrimonium, seu non esse consensum, nisi conditione posita ex. gr. *Accipiam te si dederis mihi copiam tui corporis*, & de tali dissensu constaret, neque in hac hypothesi starent sponsalia, conditione non impleta. Et idem dic de conditione impossibili. Constat igitur, quod prudenter agit, qui opportunitate data differt implere sponsalia. Ex hoc autem, quod sponsalia impleri debeant non inferat aliquis sponsalia de futuro, etiam juramento firmata mutuo partium consensu dissolvi non posse. Siquidem nihil tam naturale est, quam eo genere quidquid dissolvi, quo colligatum est L. *nihil tam naturale* D. de Reg. Jur. nec obesse debet juramentum, quia regula juramenti petitur a natura actus, cui accedit L. finali C. De non nu-

numer. pecun. & licet verum sit per religionem juris jurandi actus alias invalidos reddi validos cap. *cum contingat* de jur. jur. id verum est quando adhibetur ad valorem actus alias invalidi, in cujus observantia nullum versatur peccatum. Si vero adhibetur citra validitatem actus, qui alias sui natura validus est, tunc ex cit. leg. sequi debet naturam actus, cui adhæret, & cui tantum ad majorem firmitatem est adjectum. Adde juramentum hoc respicere non principaliter honorem Dei, sed utilitatem partis, & bonum contrahentium propter quod Deus illud acceptat, ac proinde homine remittente, Deus etiam remittit. Idem dicendum in hoc casu de Arrhis adjectis sponsalibus, puta annulis, pecunia, vel aliquid simile, quas mutuo tenerentur restituere, si mutuo acceperunt, non ita vero, si qui eas dedit, aut accepit contractum non servet, nam in hoc casu, si qui Arrhas dedit contractum non servat easdem ammittit, si vero alter qui accepit resiliat, duplicatas reddere tenetur L. *arrhis* 3. & L. penult. C. de Sponsal. Super hoc autem advertendum est aliud esse Arrhas promittere, & aliud Arrhas constituere. Secundum Jura permittunt, sed primum improbant, non aliter ac si quis contraheret Sponsalia promissione pœnæ, quia in his casibus metus daret caussam Matrimonio ad effugiendam pœnam, & utrumque principaliter tenderet ad impediendam libertatem Matrimonii; quod si Arrhæ constituantur, qui contrahit sponsalia cum traditione Arrharum, statim eligit consentire in vinculum sponsaliorum, & etiam in Arrhis; unde quia non potest contractu obstringi ne discedat a sponsalibus, obstringi poterit ad ammissionem Arrhæ, quia res in facto consistentes, qualis est traditio non possunt jure infirmari argumento legis *cum in bello* 12. §. *facti* D. de Captivis. Præterquamquod Arrharum constitutio non fit principaliter ad impediendam libertatem Matrimonii, sed ut evidentius veritas contractus probari possit L *quod sæpe* in principio D. de Contr. Empt. & ideo, licet ex postfacto, qui illas dedit metu earum contrahat Matrimonium. hoc ad trutinam non revocatur; pœna autem principaliter tendit ad impediendam libertatem Matrimonii, & ideo non valet, etiamsi juramento firmaretur cum sit contra bonos mores.

VIII. Sed quæres utrum præter mutuum consensum possint Sponsalia alio pacto dissolvi? Eo difficilior profecto est Sponsalium solutio, quo majus eorum est vinculum, qui sponsalibus annuerunt. Qua de re, nisi mutuus consensus desit, non dissolvuntur propter supervenientem Sponsæ paupertatem, ut tenet Glossa in cap. *quemadmodum* de Jur. Jur. v. *oculos*, propter juramentum ab impubere, doli tamen capaci præstitum, propter majorem ætatem, si sint cum Minori contracta, ut Glossa in cap. *de illis*, in 1. de Sponsal. impub. neque propter alia Sponsalia de futuro etiam jurata, aut subsecuta copula cap. *ex re* 22. & cap. *cum contigat* 38. in fine de Jur. Jur. neque per susceptionem Ordinum Clericalium, aut Votum simplex Castitatis, ut decisum est in Extravaganti *Antiquæ* de Voto, & Voti redemptione, neque tandem per adjectionem Conditionis turpis, vel impossibilis, aut propter hoc *si Papa dispensaverit*, ut communiter tradunt Juris interpretes. In reliquis ergo caussis Sponsalia solventur juxta communem DD. Sententiam hoc est per Professionem Religiosam, per solum ingressum Religionis, per votum ingrediendæ Religionis, per susceptionem Ordinis Sacri, per Matrimonium subsequens legitime celebratum, aut per superveniens impedimentum dirimens futurum Matrimonium, & de-

& demum si supervenerit aliquid, ratione cujus homo prudens ejusdem conditionis a contrahendis Sponsalibus retraheretur: aut si comparti ignoranti innotuerint caussæ antecedentes Sponsalia, quæ si fuissent cognitæ ita pariter retraxissent virum prudentem ejusdem conditionis ab illis contrahendis, si tamen dedissent caussam contractui: quia perinde est ac si mutatio notabilis Sponsalibus superveniret L. *in lege* de contrahenda emptione, & L. 18. tit. .. quod sufficit ad eorum rescissionem; quemadmodum etiam sufficit, quod pars una ita se gerat, ut moraliter juxta prudentum judicium censeatur resilire, vel quia non legitime impedita recuset adimplere promissum tempore præfixo ad adimplendum, capite *sicut ex litteris* h. tit. vel quia sine consensu alterius in alia loca discesserit, unde non est brevi reditura juxta supra laudatum textum in cap. *de illis*.

IX. Non ita vero conveniunt omnes, ubi dubitatur de mutuo consensu ratione fictæ promissionis per sola verba sine intentione promittendi, aut etiam se obligandi; vel si is qui promittit animum habeat se obligandi, non tamen implendi promissa, exclusa quacunque ignorantia, utrum ejusmodi Sponsalia vere talia sint, & propterea executioni demandanda, aut nulla sint, & ut talia declaranda, aut quatenus dubitetur dirimi debeant. Nullus dubitat, quod ille qui ficte promittit, & cum animo non se obligandi, & non adimplendi, proximum decipit in re gravissima, & præceptum justitiæ violat, quæ vult ut in Contractibus utrinque obligatoriis uterque contrahens non ficte, aut ex ioco, sed vere contrahat, animumque habeat adimplendi, quod contraxit. Cum igitur in facta hypothesi non sit servatum id, quod ipsa Lex exigit, in hoc casu certum erit non oriri obligationem ad promissionem adimplendam, quia vera non fuit primissio, sed jocosa, & fallacibus verbis prolata etiamsi juramentum accessisset. In altero vero casu nonnulli Theologi innixi hoc principio, qui vult antecedens, vult etiam consequens, assumunt tamquam quid antecedens promissionem ducendi aliquam in uxorem, & veluti quid consequens obligationem adimplendi promissionem, & ita concludunt, quod ille qui voluit promittere, & promisit, debet etiam adimplere. Illi vero Theologi, qui separant intentionem promittendi ab intentione se obligandi inquiunt, quod qui non habuit animum contrahendi obligationem ad eam non est adstrictus, etiamsi juramentum accessisset, & rationem addunt rationi, quia conditio contraria substantiæ Contractus Matrimonii invalidat ipsum contractum cap. finali de Condit. appos. hæc autem conditio supponitur, cum supponitur intentio non se obligandi in prædictis Sponsalibus; nulla ergo erunt talia Sponsalia, & qui ita promisit non erit obligatus ea adimplere, dummodo alteri Sponso, qui fallitur aliquod damnum ex violata promissione non oriatur, puta si ficte promittens Sponsam deflorasset, vel cum ea, etiam si vidua, coisset, teneretur eam ducere in Matrimonium, aut si inter Sponsos magna esset disparitas, teneretur ei dotem dare, ac damnum, quodcumque resarcire, ut docet S. Thomas in 4. dist. 28. q. 1. a. 2. ad 4. Ipso tamen jure, vel a Judice ivalidari deberent hæc Sponsalia, si hæc fictio ortum habuisset, a vi, vel metu, cum nulla oriatur obligatio in eo, qui vi, vel metu gravi contraxit, etiamsi juramento firmata fuisset, quia hujusmodi Sponsalia non solum essent contra bonos mores, sed etiam contra publicam utilitatem, quo casu nulla insurgit obligatio non obstante juramento, ut textus est clares in capite *si diligenti* de Foro competenti, neque opus est dispensatio-

tione super eodem juramento capite *ex Litteris* de Desponsat. Impuber. quod verum est sive vis, & metus gravis sit incussus ab alio sponso, sive a quacumque alia Persona, & sit illatus absque justa caussa, nam caussa justa interveniente non irritat Sponsalia.

X. Ex dictis tamen non sequitur, quod hoc ipso, quod ex parte unius solvantur Sponsalia, eadem dirimi etiam ex parte alterius necessarium sit: fieri enim potest, ut unus liberetur altero non liberato, ut patet in casu Sponsi, qui fuerit fornicatus, cujus crimen liberat Sponsam a sua obligatione, sed obligationem a criminoso non tollit, qui Matrimonium inire tenetur si Sponsa velit. Idemque in aliis casibus affirmari potest puta Matrimonii a Sponso contracti, ingressus in Religionem, discessus a Patria, ut notarunt Zipæus, & Andreas Vallensis ad hunc titulum.

XI. Neque in caussa dissolutionis Sponsalium inspecto jure communi necessario requiritur Judicis sententia attenta ratione superius allata, nisi fortasse tale frænum requiratur, ut Sponsorum levitati occurratur, aut consuetudo id obtinuerit privatis legibus fundata, aut Sponsalia fuerint publice contracta, & caussa dissolvendi non sit manifesta, ac publice nota, ut scandalum evitetur, in quo casu sententia lata contra Sponsalia de futuro transit in rem judicatam, & non potest retractari, quia sicut ex consensu partium expresso poterant dissolvi, etiam ex consensu tacito dissolvi possunt ex L. 3. D. de Rebus creditis, & consensus tacitus præsumitur, ut sententia transeat in rem judicatum cap. *quoad consult.* de re judic. L. *ab eo* C. Quomodo, & quando. Ex mente Angelici Præceptoris in Suppl. q. 43. a. 3. in corp. in duobus casibus, scilicet cum quis ad Religionem confugit, & cum alter conjugum cum altero per verba de præsenti contrahit ipso jure Sponsalia dirimuntur, sed in aliis casibus dirimi debent secundum judicium Ecclesiæ, quamquam hoc non exigatur dum Sponsalia contrahuntur, utpote quæ clandestine etiam contrahi possint, quæ vere obligent, quandiu nulla Superioris lege irritantur, neque Concilium Tridentinum in hac parte quidquam statuit circa Sponsalia, sed hortatur solum, ut Conjuges ante benedictionem Sacerdotalem in templo suscipiendam in eadem domo non cohabitent, & Concilium VI. Mediolanense sub S. Carolo inquit, *Episcopi cura sit pœnis, & Censuris, quas arbitratu suo constituerit sancire, ne Sponsi priusquam Matrimonium in Ecclesia per verba de præsenti ex Ritu celebraverint, non modo simul non habitent, sed ne ullo quidem modo mutua consuetudine, comerciove utantur*. Postremo etiam ipsos Conjuges S. Synodus Tridentina hortatur, *ut antequam contrahant, vel saltem triduo ante Matrimonii consummationem sua peccata diligenter confiteantur, & ad SS. Eucharistiæ Sacramentum pie accedant. Si quæ Provinciæ aliis ultra prædictas laudabilibus consuetudinibus, & cæremoniis hac in re utuntur, eas omnino retineri vehementer optat*, qua de re ubi viget *antiqua* consuetudo contrahendi Sponsalia publice, publice debent contrahi, ut licite, & sine peccato contrahantur. Dixi *ut licite*, nam quocumque modo contrahantur, valide contrahuntur, & si nihil obsit eorumdem justitiæ, ut cumque contrahantur, semper publicæ honestatis impedimentum producunt: quamobrem quicumque Matrimonium alicui legitime promisit, sive pura sit promissio, sive juramento firmata, seu verbo, seu scripto, sive clam, sive coram Testibus, sive in facie Ecclesiæ, sive absque præsentia Sacerdotis, Matrimonium contrahere tenetur, cum illo, vel illa, cui fidem suam obstrinxit.

xit. Quod si quis hoc modo promiserit: *Ego nunquam alteram præter te accipiam uxorem: Ego nulli unquam nubam alteri viro, quam tibi* Matrimonium cum alio contrahere non poterit absque violatione fidei. & consequenter absque lethali peccato, nisi aliqua ex caussis Sponsalia dirimentibus intervenerit, sed cælibem vitam agere poterit, & Nuptiis nuncium in perpetuum remittere, quia promissiones, & pactiones negativæ aliam obligationem non pariunt. Postremo dicimus, quod si casu contigeret Sponsalia Matrimonio non fuisse præmissa non propterea Matrimonium irritum futurum: quia *absque promissione facta de futuro*, inquit S. Antoninus 3. p. tit. 1. cap. 18. *potest quis subito contrahere per verba de præsenti*, neque tamen repugnaret, quod Sponsi appellarentur hi, qui ita Matrimonium contraherent, ut Sponsi communiter appellantur, & sub hac appellatione cognoscuntur illi, qui futuras Nuptias spondent. *Dicendum*, inquit S. Thomas Suppl. p. 3. q. 43. a. 1. ad 6. *quod in Matrimonio potest considerari ipsa conjunctio Matrimonialis, & actus ejus. Et a Sponsione primi in futurum dicitur sponsus a Sponsalibus contractis per verba de futuro; & a sponsione secundi dicitur aliquis Sponsus etiam quando contractum est Matrimonium per verba de præsenti, quia ex hoc ipso spondet Matrimonii actum. Tamen a prima sponsione dicuntur Sponsalia proprie, quæ sunt quædam Sacramentalia Matrimonii, sicut exorcismus Baptismi*, nec perperam duplicis hujus acceptionis distinctio hic ponitur, quia plurimum valet ad intellectum Scripturarum, & ad Canones componendos, in quibus Sponsi, & Sponsæ seu desponsatæ aliquæ nuncupantur.

§. II. *Sine previis proclamationibus Matrimonia iniri non debent, non ita tamen necessariæ sunt putandæ, ut earum defectu Nuptiarum contractus irritus sit.*

XII. Proclamationes Matrimoniis præmittendas esse in antiquo Jure non legimus, a quo non pauca statuebantur ne Matrimonia ipsa Clandestina celebrarentur. Earum tamen usum aliquem fuisse in primitiva Ecclesia verba Tertulliani in libro 2. ad Uxorem videntur ostendere, ubi sic scribit: *unde sufficiam ad enarrandam felicitatem ejus Matrimonii, quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignatum Angeli renuntiant?* Hoc est Episcopi in publico Fidelium cœtu denunciant, ut explicant illius interpretes. Aliquid etiam legitur de usu earumdem in Capitularibus Caroli Magni sub *Bannorum* nomine, vocem quam postea retinuerunt Galliarum Episcopi, qui primi huic Disciplinæ institerunt. & deinde Innocentius III. super eadem disciplina rescribens Episcopo Bellovacensi, ex quo satis apparet Galliarum morem eumdem Innocentium excitasse, ut in IV. Lateranensi Concilio specialem illorum locorum consuetudinem ad alia generaliter propagaret, statuens, ut cum Matrimonia fuissent contrahenda, in Ecclesia per Presbyteros proponerentur competenti termino præfinito, ut intra illum qui voluerit, & valuerit, legitimum impedimentum opponeret. Exinde ergo intellexit Innocentius non satis fuisse ab Ecclesia provisum malo e Clandestinis Conjugiis emergenti, eo quia plurimi homines priore uxore cum qua clam convenerant, relicta, cum alia palam contrahebant, & propterea, ut tam nefandos homines coerceret a tanto crimine, hanc novam legem instituit non sine Canonica ultione in

tran-

transgressores, ut textus loquitur in cap. *inhibitio* de Clandest. desponf. Lateranense Decretum universalis Latinorum excepit Ecclesia, sed non paullo ante Concilium Tridentinum cum nonnullæ Provinciæ Christiani orbis rursum in morem antiquum remeassent Tridentini Patres Lateranensis ejusdem Concilii Decreto inhærentes in cap. 1. Sess. xxiv. rursum præceperunt, ut imposterum antequam Matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus Festis in Ecclesia inter Missarum solemnia publice denuncietur inter quos Matrimonium sit contrahendum.

XIII. Dubitatum statim fuit utrum Matrimonium contractum, vel coram Parocho, & Testibus, vel in præsentia vicinorum, & Populi sine Denunciationibus injuste omissis, dicatur Clandestinum, quo ad pœnas incurrendas a Sacris Canonibus inflictas? Et licet nonnulli adhæserint negativæ opinioni, contrarium tamen probabilius sustinetur, tum quia in laudata Sessione cap. 5. sanxerunt Patres Pœnam in contrahentes coram Parocho, & Testibus sine Denunciationibus, dum statuerunt negandam esse dispensationem super impedimento Matrimonii ignorato ob omissas denunciationes: *non enim*, inquiunt, *dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facile experiatur, cujus salubria præcepta temere contempsit*: tum etiam quia id expresse statuitur in citato cap. *cum inhibitio*, ubi Clandestinum vocatur Matrimonium sine Denunciationibus contractum, nec illa publicatio accidentalis æquipollet publicationi, quæ fit per Denunciationes ab Ecclesia præscriptas, quæ Denunciationes fieri debent non in alterutrius tantum, sed in utriusque Sponsi Ecclesiis si ad diversas Parochias pertinent: quæ fieri debent tribus Festivis, aut Dominicis diebus, quibus major esse solet concursus Populi: & fieri debent in iis locis, in quibus prævidetur veritatem facilius, ac certius detegendam esse, si contingat, quod aliquis Sponsorum diutius in diversis Parochiis domicilium habuerit, aut recens sit in aliqua Parochia. Poterunt igitur transgressores Legis graviter ab Ordinario puniri, & Parochus assistens Matrimonio non factis Denunciationibus suspendi poterit a Divinis per triennium juxta textum citatum: & quamvis secundum jura filii nati ex Matrimonio contracto in gradu prohibito legitimentur, non sic tamen si non præcesserint Denunciationes ex cap. cit. Non desunt tamen Doctores, qui unam inquiunt sufficere proclamationem, ut Sacerdos Matrimonio assistens non debeat per triennium suspendi ex Innocentii decreto: & quod duæ sufficiunt, ut contrahentes effugiant pœnam a Concilio Tridentino latam. Ideo primum, quia observant quod Lateranensi Concilio satis est, ut Matrimonium contrahendum publice in Ecclesia proponatur. Ideo secundum, quia dicunt hoc aperte colligi ex his verbis Concilii Tridentini, *qui solemnitates requisitas neglexerunt*, nam qui duas adhibuit, unam tantum neglexit, cujus tamen defectus culpa non vacat.

XIV. Parum tamen interest, an dies Festivi sint continui, vel interpollati, ut vulgo receptum est, nisi aliter a Synodis præcipiatur, an profesti dies substituantur Festivis: an intra Missarum solemnia, aut extra fiant, eadem Populi multitudine adstante, quia in utroque casu mens Concilii adimpletur. Cavendum vero est ne sint dies feriales, aut tales ab Episcopo destinentur, ut communiter firmant DD. qui Declarationem S. Congr. reponunt apud Basilium Pontium de Matrim. lib. 5. cap. 30. n. 7. & ne fiant in aliis Ecclesiis a Parochiali, quæ semper retinenda est, nisi substituta reperiatur in-

tra Confines Parochialis Ecclesiæ ex cit. can. Concil. Later. & decreto Tridentini, quod Concilium pariter præcipit Parochis ne eorum, qui vagantur, & incertas habent Sedes Matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, & re ad Ordinarium delata ab eo licentiam id faciendi obtinuerint. Ceterum an Denunciationes fiant a Parocho, vel ab alio Sacerdote, aut etiam Clerico de illius mandato, vel tempore Quadragesimæ, aut Adventus, Parochi, aut Contrahentium arbitrio relinquitur. Huic tamen arbitrio non relinquitur, quod quo die de Matrimonio contrahendo Denunciatio ultima facta est, eo ipso die illud celebretur, sed debet ab Episcopo hæc facultas impetrari, ita S. Carolus in Concilio Mediolanensi III. Id autem, præterquam si postrema ea denunciatio facta sit pridie illius diei, quo initium est Quadragesimæ, vel Adventus, ac nisi item Parochus Populo antecedente denunciatione significaverit, quod eo die, quo postrema denunciatio fiet Matrimonium erit contrahendum. Idem Episcopus ex Rituali Romano definiet utrum Denunciationes sint repetendæ, si infra duos menses post factas Denunciationes Matrimonium non contrahatur, qui etiam Episcopus, vel trinas Denunciationes ad minorem numerum rediget, si necessitas id postulaverit, vel in illis omnino dispensabit.

XV. Est igitur in potestate Episcopi a Matrimonii Denunciationibus, cum caussa legitima dispensare. Id aperto statuitur in cit. cap. 1. de Reform. Matrim. in quo Trident. PP. ita loquuntur: *nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ Denunciationes remittantur*, quod illius prudentiæ, & judicio S. Synodus relinquit. Inter legitimas caussas ennumerat S. Antoninus in 1. par. tit. 17. cap. unico §. 20. alicujus necessitatem, vel majorem utilitatem, quæ duæ caussæ non sine maturo judicio dignoscuntur; nam frequentius legem solvere, extemploque potius quam certo personarum, rerumque delectu, petentibus indulgere, nil aliud est quam unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire, quod maxime cavere debent Episcopi, qui non ignorant Sacratissimos Canones exacte ab omnibus, & quoad ejus fieri poterit indistincte esse observandos. Unicam caussam exhibent Tridentini PP. in laudato Decreto, nimirum si probabilis suspicio fuerit Matrimonium malitiose impediri posse, si tot precesserint Denunciationes, quæ si non subsit, opportunam alteram non agnoscit S. Carolus in parte 3. laudati v. Concilii Mediolanensis: imò ait, *ea certe sola, quod instat Sacri Adventus, Quadragesimæve tempus, neque necessaria est, nec vera cum ratione consentiens, cum præsertim eo Sacro tempore, qui jam Matrimonio juncti sunt, ab illius usu potius abstinere conveniens sit, nedum Sponsos una conjungi*. Verum quia dispensatio præmisso a Concilio Calui solum non congruit, cum illi similes, & fortasse urgentiores esse possint, in quibus dispensari expediat: hinc D. Antonino inhærentes, & prælaudatas caussas adprobamus, & reliquas, quas idem usque ad septem recenset in 3. p. tit. 1. cap. 16. & alias etiam, quas late describunt non pauci Juris Interpretes, & Theologi in hoc titulo. 1. quando ex Proclamationibus prævidetur infamia contrahentium secutura. 2. quando sine gravi animæ, aut rerum temporalium detrimento Nuptiæ differri non possunt. 3. quando ad vitanda Odia, & litigia quamprimum nubere expedit. 4. quando Tutores, Curatores, Vitricus, Noverca, aliique Affines, aut Cognati Matrimonio obstant spe capessendæ hæreditatis. 5. Aetatis, conditionis, aut Possessionum magna disparitas propter quæ gravia prævidentur Matrimonio ob-

stacula opponenda. 6. quando de Summorum Principum, Magnatumque futuris Nuptiis agitur. 7. quando tempus instat Interdicti Nuptiarum. Addi potest etiam Casus, in quo redintegrari debeat Matrimonium, quod licet in facie Ecclesiæ celebratum fuerit, irritum tamen fuit propter occultum aliquod impedimentum, quod latebat antea, quodque postea detectum est.

XVI. Ita vero hæc facultas dispensandi super Denunciationibus Ordinario, qui idem est ac Episcopus Diœcesanus, permittitur a Tridentino Concilio, ut reliqui inferiores Prælati (nisi voluerimus Vicarium generalem excipere cum Sbrozio de Officio Vicarii lib. 2. q. 55. & Vincentio de Justis De Dispensat. Matrim. lib. 2. cap. 19. n. 202. & Vicarium Capituli, Sede vacante) eadem facultate non gaudeant, etiamsi Jurisdictionem habeant quasi Episcopalem, quod late probat Fagnanus in cap. 3. de Clandest. Despons. atque ita ait responsum fuisse a S. Congreg. probante Gregorio XIII. Oportet tamen illum esse moderatum cum sua utitur facultate, ut incommoda illa procul abeant, quæ relaxatis Proclamationibus, Clandestina Matrimonia frequenter adferunt. Elaborabunt itaque plurimum, ut facilis harum Dispensationum usus tollatur, atque ut regulæ Ecclesiæ toties iteratæ, & inculcatæ serventur. Mirum certe est, quod Heterodoxi homines, qui Tridentino Concilio non parent, ad evitanda illa incommoda: *politica* Ordinatione A. 1580. art. 3. caverunt, *ne aliter consisterent Nuptiæ, quam si tribus publicis Proclamationibus a Magistratu Loci, singulis diebus Dominicis intercidentibus, post caussæ cognitionem concessis, in Ecclesiis, e suggestu in facie Ecclesiæ, aut e Curia loco Publicationi destinato, coram Magistratu connubiale Pactum certis Solemniis consummetur*. Hæc refert Simon Van Lec Wen in sua Censura forensi lib.1. c. 14. n.1. & n.2. & addit: *quarum Proclamationum præcipuus effectus est, ut interea quicumque voluerit, & valuerit legitimum impedimentum exponere, se Matrimonio contrahendo opponat. Quod ut magis innotescat, non solum eo in loco, in quo Sponsus, aut Sponsa degunt, sed etiam in quo uterque, vel alteruter natus, aut educatus est, vel ubi per annum, & diem proximum fixum habuerint domicilium, Publicatio illa fieri debet, ne si sponsus, vel sponsa peregre advenerint, fraus, aut fallacia committatur*. Hinc viderint, qui ob quamcumque caussam etiam levem, aut levissimam, vel ad solam petitionem contrahentium, aut Parochi nulla allegata caussa sufficiente, dispensant.

XVII. Profecto ex omissis Proclamationibus Matrimonia non contrahuntur invalide, quod Tridentina Synodus noluerit ab iis validitatem Matrimonii pendere, ut declaravit S. Congreg. ejusdem Concilii Interpres, & post unanimem consensum DD. ostendit Gerbesius in suo Tractatu de Potestate Ecclesiæ, & Principum circa impedimenta Matrimonii, & Fevretus in libro 1. de Abusu capite 11. ubi explicans articulum 40. Constitutionis Regiæ Blæsis editæ decernentis Matrimonia sine Denunciationibus facta invalida esse, ait, *quoad effectus Civiles*. Verum Lex Ecclesiæ servanda est, & illius observantia ab omnibus requirenda, non tantum a pauperibus, ut blaterant Ecclesiæ inimici, ac si sola nummi carentia ad observantiam illius videatur adigere. Quare Benedictus XIV. in sua Encyclica diei 17. Novembris A. 1741. Episcopos omnes hortatur, & impense admonet, *ut Personarum Matrimonium secreto contrahere petentium diligens fiat ab ipsis inquisitio, ut sti-*

scilicet ejus qualitatis gradus, & conditionis sint, quæ id probe exposcant, an sint sui, vel alieni juris, an Filii Familias, quorum Nuptiæ Patri juste dissentienti sint invisæ (rationem notandam subjiciens) *ab Episcopali etenim, quod geritis munere nimium esset alienum facilem præberi filiis inobedientiæ occasionem... Potissimum vero curent antequam Secreti Matrimonii licentiam concedant, quod Contrahentes clara, & indubia, & a quavis fraude immunia exhibeant documenta Status liberi ad avertendum ab iis, qui improbi sunt ingenii, Poligamiæ periculum*. Itaque Judex, qui talia Conjugia, vel favore prosequitur, vel indulgentia fovet, vel non impedit, suo deficit muneri in re tam gravi, & a lethali culpa nullimode valet excusari; imò *facit contra mentem Concilii*, ut Gutierez verbis utar lib. 1. Canonic. Quæst. cap. 20. n. 25. *cum Concilium ob hanc rationem, ut Patri innotesceret Matrimonium Filii, voluerit Denunciationes fieri debere*. Ubi vero malæ fraudis suspicionem omnem deesse Episcopus noverit, & gratiam dispensationis esse concedendam arbitretur, super Denunciationibus dispenset, ne dispensationis denegatio caussam faciat Appellationis ad Metropolitanum, aut Parochus ipse videat se tuta Conscientia posse neglectis hisce Denunciationibus Matrimonio assistere, quam facultatem certe se habere intelligit in casu necessitatis, & cum facile non patet ad Ordinarium recursus, si alter eorum, qui Nuptias petit moriturus, indiget hoc remedio, ut ejus infamiam aboleat, & ut proles in Concubinatu suscepta legitimetur per subsequens Matrimonium, quod est quid Majus, graviusque quam non nubere non præmissis Proclamationibus.

XVIII. Diximus jam Proclamationes ideo institutas, ut si quæ futuro Matrimonio obstarent impedimenta, detegi facilius possent: oportet ergo quod qui impedimentum aliquod Matrimonio subesse cognoverint ad ejus revelationem teneantur, quanquam juridice probari non posset, ne alioquin ex silentio, & illius occultatione Rei reddantur omnium malorum quæ acciderent, si Matrimonium contraheretur cum impedimento dirimente c. *Cum dilectus* 32. de Elect. quod si judicialiter non probabitur, proderit adhuc ejus manifestatio, utpote quæ inserviet Parocho, ut diligentius super eodem inquirat, aut serius moneat desponsatos de malis, quibus se innecterent si cum impedimento dirimente contraherent. Primi igitur omnium ipsi contrahentes tenentur illud declarare, quamvis sit occultum, deinde omnes qui illud sciunt, quamvis occulte, & sub secreto naturali, nam etiam unius testimonium sufficit ad impediendum Matrimonium ex dispositione Juris in c. 22. de Testibus, et c. *cum in tua* de Sponsalibus. Ad hoc ii non tenentur qui impedimentum audiverunt, sed non recordantur a quo audierint c. *licet* de Testibus, aut qui in Sacramentali Confessione id noverunt c. 2. de Officio Ordinarii. Imo si Parochus noverit impedimentum ex sola Confessione Sacramentali, potest pœnitentem rogare, ut aut aperiat ipse, aut aperiri illud permittat, proposito ipsi æternæ salutis suæ hinc pendentis discrimine. Quod si huc adduci non potest, negabit illi absolutionem a peccatis, sed a Matrimonio, etiamsi forte illud vere ineat, invitum non repellet, quod res nonnisi ex confessione nota est. Quæ diximus de impedimento dirimente extenduntur etiam ad impedimentum impediens, quod tenetur resciens revelare, quia tenetur impedire, in quantum potest, peccatum proximi. Si vero ex occulti impedimenti manifestatione gravissima mala timerentur, aut nullum, aut valde exiguum

bonum ex revelatione speraretur, etiam in his circumstantiis revelatio fieri non deberet.

§. III. *Ad ineundum Matrimonium tenentur filii consensum a Parentibus petere, ne sint lethalis culpa damnandi.*

XIX. Consensum esse ad Matrimonium necessarium nemo dubitat, idque Jure Romano, & Canonico manifeste probatur ex cap. *Cum locum*, c. *Tua*, c. *Tua* de Sponsal. c. *Tuas* de Sponsa duorum L. *Nuptias* D. de Reg. Jur. adeo ut ipse Summus Pontifex non posset, licet hoc vellet, decernere sine consensu Matrimonium posse constitui, qaia Matrimonium quatenus Contractus est consensum exigit L. *Consensu* cum L. sequen. D. de Actio. & Oblig. L. I. D. de Pactis L. I. D. de Contr. Empt. quod jam nos supra probavimus. C.II. §.II. N.X. Præsupposito, igitur hoc consensu Quæstio modo agitatur de Consensu Parentum, utrum hic requiratur in Matrimoniis filiorum, ita ut si deficiat inutiles appellentur hæ Nuptiæ. Si filios audiremus, reponerent profecto se justas habere caussas si aliquando Parentum voluntati refragentur. Utinam certe Parentes ipsi occasionem hanc filiis aliquando non præberent, ut contingeret, inquit Bellarminus Tom. 2. Controver. lib. 1. de Matrim. c. 19. si Pater injuste prohiberet filios a Conjugio, si caussa majoris dotis nonnisi indignam mulierem ei dare vellet, addit Gutierez de Matrim. c. 79. n. 19. si vellet filiam ægram, imprudentem, aut durioris conditionis ducere Uxorem, aut plus justo filium opprimeret. Verum numquid omnes Filii hujus indolis Parentes habent, aut amentes, aut furiosos, aut absentes, aut per triennium captivos, quas caussas commerorat etiam Jus Cæsareum, aut dici debet de Parentibus omnibus, quod cognitis filii Nuptiis non contradixerint, quod filiam 25. annis majorem locare neglexerint, quibus præexistentibus caussis, Judex nubendi, aut Uxorem ducendi dat veniam? Profecto puderet Filios his, & similibus caussis suorum Parentum honori detrahere, nisi cæcus amor, aut vessana cupido illorum corda torqueret. Non itaque caussa agitur aut Genitorum, aut hujus indolis filiorum. Patriæ Potestati debetur suus honor, & Filii ominosas tales nuptias debent horrere, neque Parentibus merito dissentientibus obnitantur, memores eas Nuptias, quas recta ratio non conciliat, carere ea, quam superius tradidimus mystica significatione, ac proinde ex defectu mysterii esse illicitas, cum illis Divinæ, humanæque leges obsistant. Præcepta Domini de Filiorum Nuptiis semper Parentibus, nunquam filiis diriguntur Exodi 34. Deuter. 7. Jerem. 29. *Date filiis vestris Uxores, & filias vestras date Viris*: Eccles. 7. *Trade filiam, & grande opus feceris, & viro sensato da illam*, & Cor. 7. *Qui Matrimonio jungit Virginem suam bene facit*, unde legimus capite 24. & 28. Genesis quod Isaac, & Jacob Parentum mandato Matrimonia contraxerunt, & a Nuptiis Sampsonem abstinuisse Judic. 14. donec Parentum consensum non impetraverit, quem consensum cum neglexisset: Esau Gen. 28. de illis ita scripsit Rupertus Abbas: *aut tamquam insipiens, aut tamquam vere stultus fecit hoc Esau*.

Ad Leges vero quod spectat humanas, nihil magis est in Juris Civilis Voluminibus decantatum quam sine Patrum consensu Nuptias non consistere. *Si Filii familias sint* inquit Textus in principio Instit. de Nuptiis, *consensum habeant Parentum, quorum sunt in potestate. Nam hoc fieri debere, & Ci-*

vi-

vitis, & naturalis ratio suadet, quæ posteriora verba recte perpendens Card. Paleot. in Tract. de Spur. & Noth. c. 8. scripsit *Adde quod lex dixit non Civili tantum, sed Naturali Jure hoc institutum fuisse ut Patris consensus in Nuptiis præcederet*; quæ verba arguunt omnino in contrarium vix aliquid posse decerni. Et revera hoc videtur intellexisse idem Imperator in laudato textu, nam post pauca subdit: *Si adversum ea quæ diximus aliqui coierint, nec Vir, nec Uxor, nec Nuptiæ, nec Matrimonium, nec Dos intelligitur*, hoc est tamquam non infecta singula hæc debent inspici, quod in pluribus aliis Legibus in Corpore Juris decisum invenitur, ut bene norunt Juris Interpretes licet videantur aliter sentire Cujacius, & Dionysius Gottifredus in notis ad L. *Filius* D. de Ritu Nupt. Ceterum ab antiquissimis usque temporibus apud Gentes universas obtinebat, ne liceret injussu paterno nubere, aut Uxorem ducere; quare communiter Cujacium, & Gottifredum alii explicant, ut hi voluerint non Nuptias hujusmodi connubia appellari, sed Matrimonia, quod Juris Naturalis nomen est, & juxta hanc nuncupationem Jure Gentium rata, & permissa esse, Jure vero Civili illegitima, & irrita omnino, & proinde Nuptias non justas esse, ac liberos inde nascituros esse spurios, ut parebit consulenti Cujacium ad librum 35. Pauli ad Edictum, & in lib. 3. Obser. c. 5. quem Paulum, licet adversarii traxerint in suam opinionem propter hoc quod in lib. 2. rec. sent. tit. 19 §. 2. sic scripserit *Eorum qui in potestate patris sunt sine voluntate ejus matrimonia jure non contrahuntur, sed contracta non solvuntur*; tamen pro communi sententia pugnare, teste Vinnio in Instit. lib. I. tit. de Nuptiis §. 12. asserimus, quod in illis verbis *contracta non solvuntur*, laudatus Auctor doceat esse subaudiendum *sed volente Patre contracta non solvuntur*, a quo neque Duarenus dissentit omnium primus hujusce auctor interpretationis, quam Juris-Consultorum veterum laconicus scribendi usus patitur, & priorum sententiarum antitheses, ne sibi esse videantur contrarii, cujus exemplum idem Paulus hic suppeditat, qui pluribus in locis negat ratum evadere Matrimonium Patre invito initum. Ast non solum Civiles Leges, qua late patet earum observantia, irrita habuerunt hujusmodi Matrimonia; imo ipsæ Leges Canonicæ per XII. prima sæcula Parentum dissensum inter impedimenta dirimentia posuerunt. Citant nonnulli Decretum quoddam Evaristo tributum a Gensiano in c. *Aliter* 30. q. 3. quod licet supposititium agnoverint Critici severiores, saltem ostendit, qualis illo tempore foret Ecclesiæ Disciplina. Hac censura non notatur Responsum Nicolai I. ad Bulgaros relatum in cap. *Nostrates* 30. q. 5. neque Rescriptum Urbani II. in c. *Si verum* 31. q. 2. item Cælestini II. sive Clementis III. in c. *Videtur nobis* qui Matrim. accus. poss. itemque Alexandri II. assertum apud Ivonem Carnotensem 3. p. Decreti, quorum Pontificum sententias sic legimus: *Fœdera quoque consensu eorum, qui hæc contrahunt, & eorum, in quorum potestate sunt celebrantur; Canonum, & Legum auctoritas talia sponsalia non approbat; Ideo maxime Parentes recipiuntur &c. qui enim melius recipi debent, quam illi, quorum est interesse &c. ita ut si non interfuit, & consensum non adhibuerint secundum Leges, nullum fiat Matrimonium*. Et postremo loco citatus Alexander Periurii reum adolescentem vocat, qui fœminam se ducturum in Uxorem temere jurare præsumpserat, quod sine judicio Parentum observare legaliter non poterat. Non ignoratur quod quidam Canonici Juris Interpretes, & Theologi crediderint per illa de-

decreta non fuisse a laudatis Pontificibus Matrimonia filiorum ita rejecta ut irrita redderentur, sed solum improbata, & vetita quia maxime illicita. Verum illis adversantur omnium Nationum Concilia Provincialia, quæ in eamdem sententiam abierunt, imo contrariam habeat Orientalis Ecclesiæ observantiam, quæ præfata Conjugia semper irrita habuit. Hujus observantiæ testem habemus Photium in Nomocanone tit. 13. c. 9. ubi hoc præmisso lemmate: *De nubentibus præter parentum, aut dominorum sententiam*, ita scribit ex latina versione *Qui, quave in alterius potestate sunt, non possunt legitime matrimonium contrahere non consentiente eo, qui illos in potestate habet*, ut lib. 5. Cod. tit. 4. & lib. 23. Dig. traditur, ad quæ verba, sua addidit Balsamon eruditus interpres, *quod autem qui, quave in potestate sunt circa consensum ejus, qui eos in potestate habet, legitime Matrimonium contrahere non possint, ex multis capitibus manifestum est*. Titulus 2. lib. 23. Digest. positus est in cap. 1. tit. 6. lib. 28. Basilicorum. Atque ejusdem tituli cap. 2. sic habet: *Nuptiæ consistere non possunt nisi consentiant omnes*, idest *qui coeunt, quorumque in potestate sunt*, quæ verba leguntur in lib. 2. tit. de Nupt. Efficacius vero documentum ipse Photius repetit ex iis, quæ Basilius scripserat ad Amphilochium Canone 38. *Puellæ, quæ præter Patris sententiam amatores secutæ sunt, fornicantur*, hoc est eodem Balsamone, & Zonara interpretibus, *etsi videantur cum suis amatoribus Matrimonio conjunctæ, re tamen vera fornicariæ sunt non Uxores, quia inter eos, qui aliorum sunt potestate, sine horum consensu Matrimonium consistere non potest*, neque aliter eumdem Canonem explicavit Alexius Aristenetus apud Beveregium Tom. 2. p. 97. ibi *qui sub potestate sunt præter eorum sententiam sub quorum sunt potestate Matrimonium contrahere non possunt. Si autem, & contraxerint nihil fecerunt, sed irrita est contractio. Puellæ autem, quæ præter Patrum suorum voluntatem homines aliquos secutæ fuerint, fornicationis suppliciu subjiciuntur*. Et cum eadem repetat Basilius in Canone 42. ex alterutro satis constat Ecclesiæ Orientalis usus dissipandi Matrimonia injussu patrio copulata. Quod vero apud Græcos hodie consensus paternus omnino necessarius sit, constat ex Matthæi Blastaris qui Sæculo XIV. vixit Matrimonialibus apud Leunclavium, & Beveregium, tum ex Crusii Turcogræcia. Eadem filiorum Conjugia Ecclesias Latinas fornicationes, adulteria, aut stupra nuncupasse Acta earumdem ostendunt; qua de re in Capitularibus Caroli Magni lib. 7. c. 363. decretum est *ut Uxor legitimo Viro conjungatur, aliter enim legitimum* (ut a Patribus accepimus, & a Sanctis Apostolis, eorumque Successoribus traditum invenimus) *non fit Conjugium, nisi ab his, qui super ipsam fæminam dominationem habere videntur, & a quibus Uxor custoditur, petatur, & a Parentibus propinquioribus sponsetur .... taliter enim & domino placebunt, & filios non spurios, sed legitimos, atque hæreditabiles generabunt*. Et nonnisi XI. Sæculo disciplina illa in Occidente immutari cœpit, quo desinente, dissensus Paternus desiit esse impedimentum dirimens.

XX. Eamdem observantiam restitui in Ecclesia oportere circa tempora Tridentini Concilii non pauci contendebant; imo in ipsa Tridentina Synodo accerrimi hujus sententiæ propugnatores insurrexerunt Antistites Granatensis, Fuscararius, & Carolus Cardinalis Lotharingius, & Galli ipsi Oratores, qui Regis sui nomine a Concilio Decretum hoc solemni ex more expostularunt, ut Palavicinus narrat lib. 22. suæ historiæ, cumque a Patribus

non

non disputaretur hoc Decretum fieri potuisse, & posse ab Ecclesia, si vellet, pro sua summa auctoritate, quemadmodum clandestina connubia irrita deinceps fore voluit, ita eisdem Conjugiis inscio patre initis vim omnem abstulit. Sic autem Tridentinum Decretum conceptum fuit: *Præterea eadem Synodus irrita facit ea Matrimonia quæ contrahuntur a Filiis familias ante annum decimum sextum completum absque Genitorum consensu*. Verum quia minus æquum fore judicavit S. Synodus ut sine Parentum, vel propinquorum consensu Matrimonia filiorum rata non essent, tum propter rationes in principio hujus §. allatas, tum per alias de quibus late agit idem laudatus Palavicinus, & potissimum quia Lutherus, & Calvinus pertinaciter asserebant Matrimonia Filiorum familias solo Parentum dissensu, aut consensu irrita, vel legitima esse jure naturali, & Divino, nulloque habito respectu ad Leges Ecclesiæ, jure damnandos illos censuit, & Decretum illud immutare, ut revera eos Anathemate damnat in laudata Seff. xxiv. de Reform. Matr. cap. 1. *qui falso affirmant Matrimonia a Filiis familias sine consensu Parentum contracta irrita esse, & parentes ea rata vel irrita facere posse*: ingenue tamen profitetur quod *Sancta Dei Ecclesia ex justissimis caussis illa semper detestata est, atque prohibuit*: quapropter lethaliter peccant Filii familias, qui Parentibus inconsultis, vel justa ex caussa repugnantibus, & invitis Matrimonia contrahunt, quod saltem evidenter ea concludunt, quæ adduximus ad probandum quod Ecclesia talia Connubia irrita voluerit aliquando.

XXI. Frustra autem libertatis honestum nomen, ut ajebat Augustinus lib. 2. de Nupt. cap. 15. velandæ turpitudini obtendi fatemur, qui contrahentium consensum liberrimum a nobis exigi alibi jam demonstravimus. Speciosus est qui objicitur libertatis prætextus, sed falsus omnino; & ne quis arbitretur id a nobis temere dictum, audiat quid in sua Institutione scribat Jo. Gropperus. *Quæ*, inquit, *nunc passim, non palam, sed furtim inter pueros, & puellas citra Parentum consensum per lenones, & lenas sola caussa libidinis, non Dei respectu conjunguntur; idque sæpe numero præter destinatum consensum. Quis enim consensum recte vocarit, cujus non consilium, sed vel pueritia, vel temulentia, vel insidiæ, vel libido Caussa sint?* Nunquam est legere, neque in Conciliis, neque in Pontificum Decretis licere filiis, insciis, vel invitis Parentibus Matrimonia inire, e contra vero legimus in cap. *Tua nos* de Desponsatione Impuberum Hormisdam respondisse: *Potest autem Filium nondum adultum, voluntas cujus discerni non potest Patrem cui vult Matrimonio tradere, & postquam filius pervenerit ad perfectam ætatem omnino debet hoc adimplere*, nec tamen ea obligatione libertatis jura attentari Pontifex sancivit, qui referente Pale. in Caussa 31. q. 2. ita suam clausit Sententiam: *Hoc ab omnibus Orthodoxæ Fidei cultoribus sancitum a nobis tenendum mandamus*; nam Pontifex non cogit, nec coercitione utitur, sed tantum monet Officii. Quod præcepit Hormisdas etiam docuit S. Bonav. in 4. sent. To. 5. d. 19. q. 3. a. 1. in conclus. vers. resp. ad arg. docuit & ipse S. Thomas in 4. d. 29. n. 4. ubi asseruit *ad simpliciter contrahendum teneri filium aliquando ex necessitate consurgente ab illa caussa, qua Pater movetur ad Nuptias imperandas*. Unde sequitur quod si per obligationem sub gravi culpa etiam ad simpliciter contrahendum libertas non læditur, multo minus eadem læditur per obligationem ad non contrahendas eas tantum Nuptias, quas Pater cum ratione vetat; cum enim sint aliæ infinito numero Personæ, quibus cum contrahi

Nu-

Nuptiæ possint, satis est ad libertatem, si cui quis se copulat, se se libere copulet, sed non ut Maritum, aut Sponsam eligat: unde Ambrosius relatus in can. 13. 32. q. 2. ubi de Rebeccæ desponsatione consulitur ait: *puella non de Sponsalibus (illa enim judicium expectat parentum, non est enim virginalis pudoris eligere Maritum) sed jam desponsata Viro de profectionis consulitur die*. Et post pauca: *mulier etiam &c. amisso cito marito, si vult nubat tantum in Domino, hoc est ut electionem mariti Parentibus deferat*. Hæc Ambrosius, quem certe nullus arbitrabitur fuisse infensum libertati Nuptiarum, quarum arbitrium totum ad Parentes detulit neque infensos eidem libertati fuisse veteres illos Patres omnes, imo & ipsos Ethnicos, apud quos idem omnino jus ita obtinebat, ut vel illi ipsi Philosophi, qui apud A. Gellium 117. Nuptiarum conditionem rem talem, ac tantam inter adiaphora, seu media ponebant, vel sic tamen patri parendum edixerint. Quod gentium omnium leges, & mores inter præcipua parentum officia scriberent. quærere conditionem filiis, cum parenses in ea re meliora, quam ipsi filii consilia capiant, cum infirmum sit filiorum consilium, insidiis multis, & captionibus expositum, & quia quod est indissolubile majore cum consilio ligandum est, cautiusque agendum ubi periculum majus imminet, quibus de caussis passim in vetere Ecclesia observatum fuisse legimus in toto titulo de Desponsatione Impuberum, quod Parentes filios impuberes despondebant, idque optimum fuisse videbant tuendæ pudicitiæ medium, quod si expectavissent dum maturescerent in incontinentiæ barathrum se fortasse precipites egissent, ut notat Chrysostomus Homil. 5. ad Epist. 1. ad Thessal. c. 4. quo fundamento Parentes hortatur, *ut si quos filios habeant, quos velint ad mundanam vitam inducere, cito eos sub jugum conjugale mittant, nam si adolescens viderit mature ad se Sponsam a patre adduci, & breve tempus intercurrere*, mox addit, *illum fortiter flammam toleraturum*: quod Sancti Doctoris pronunciatum potest etiam afferri ut confirmetur sententia, quæ Patris consensum in Filiorum Nuptiis requirit, non ut distrahantur si contigerint, sed ut in Domino fiant, & sine labe peccati, nam graviter hac de caussa filios delinquere immanique impietatis crimine involvi, nisi justa aliquando adsit excusatio, constans est Theologorum Doctrina, cui plerique illorum qui de moribus disserunt suffragantur, a qua peccandi licentia ut filii cohiberentur, & eorum pietas erga Parentes excitaretur, foveretur que maxime, Leges illæ accomodatæ sunt, quæ eosdem ab hæreditate repellunt, nisi a Parentibus consilium de ineundo Matrimonio requirant, quæ Imperatori, Regibus summis, aliis Principibus data est divinitus (Romanis ipsis Pontificibus fatentibus) auctoritas, *ut quos ad civile populorum bonum publicamque humanarum rerum honestatem conducere vident æquissimas leges ferant* argumento capitis *celebritatem* d. 3. de Consecratione, ibi *alia est ratio caussarum secularium, alia divinarum*. absque eo quod libertati Matrimonii proveniant impedimentum: *nam qui consilium ab alio exquirere jubetur, illud sequi non cogitur*, ut observat Bartolus in lege 79. *cum Pater* D. de Legatis, & Fid. Comm. 11. §. *Mando*, cum verba quæ proferuntur in modum consilii, non importent necessitatem, & libertatis potius per leges illas abusus impediatur, procaciumque filiorum reprimatur adversus Parentes petulantia; nam *nec libertas, nec pars libertatis est peccandi potestas*, ut scripsit Anselmus Dialogo de Libero Arbitrio cap. 1. *sed ipsa est vera libertas propter recte faciendi licentiam* ex Augustino in Enchiridio ad

ad Laurentium cap. 30. Si ergo gravius peccare libertas non est, sed vitium, atque imbecillitas libertatis, neque libertati leges illæ efficient, quæ graviori exhæredationis pœna liberos in officio continent, ne contra Patrem dissentientem Nuptiis, immaniter delinquant, & tam Divina institutione consecratas Christianas Nuptias ab iniqua Parentum injuria infausto omine auspicentur.

XXII. Neque minus, sed longe majus malum cernitur in iis Conjugiis, quæ filii hujus libertatis præsidio se posse contrahere arbitrantur cum persona vel turpi, vel impari contra Parentum voluntatem, pietas enim in illis læditur, in his vero cum Pietate Justitia periclitatur, ponunt enim opus illicitum ac indignum, ex quo familiæ honestas a Majoribus parta suo gradu decidit, pessundatur, & vilescit, nec semel consanguineis impedimento sunt ne suis natalibus respondentes Nuptias assequantur, quod maximæ adeo injustitiæ genus est, ut etiamsi a Patre remittatur, valida hæc remissio non censeatur. *Arbitrii est* inquit S. Thomas 2. 2. q. 73. a. 4. ad 1. *detrimentum suæ famæ pati, nisi hoc vergat in periculum aliorum &c. non enim est sui arbitrii quod patiatur detrimentum famæ alterius*. Hinc egregie Cardinalis de Luca Dis. 142. de Dote n. 12. scripsit *Intentio Juris Canonici nunquam fuit ad Matrimonii libertatem permittere turpia, & criminosa, prout est indigne nubere, solumque sustulit necessitatem consensus Paterni a Jure Civili requisiti (ad validitatem) sed cum supposito dignarum Nuptiarum, cum qualitas hæc æqualitatis, & dignitatis potius faveat Matrimonio quam adversetur.* Nihil ergo interest quod Filii familias jus habeant contrahendi libere Matrimonium, nam si indigne, si cum alieni honoris dispendio, si cum familiæ, ac Parentum dedecore, si cum Reipublicæ scandalo contrahent, licet emancipati, licebit etiam Patri illatam sibi injuriam exhæredationis pœna ulcisci, ut paternus contemptus, quo vitiatur potius quam perficitur matrimonii libertas, hac legum severitate coherceatur.

XXIII. Neque Sacri Canones, quorum magna frequenter est cum Civilibus Legibus cognatio, liberam filio familias esse dixerunt accipiendæ quam vellet Uxoris facultatem. Clarus est Textus in cap. *cum in Tua* de Sponsal. *si persona gravis cui fides sit adhibenda tibi denunciet &c. & de fama, vel scandalo doceat &c. aut etiam per te ipsum possis certificari, de plano debes &c. eos qui sic contrahere nituntur, si moniti induci nequiverint, impellere, ut a tali contractu desistant*. Nec aliud ut jam diximus voluerunt Tridentini Patres in Denunciationibus constituendis, nisi quod Patribus filiorum Nuptiæ innotescerent, & certiores facti, impedire Matrimonium possent, & obsistentes Matrimoniis filiorum, in Episcopalibus Curiis audirentur. Alioqui quo ille Bannorum apparatus? aut quodnam remedium Synodus attulisset? Hujus propterea obligationis Docti, ac Religiosi Episcopi sibi conscii, in suis Synodalibus Constitutionibus præceperunt ne Parochi hisce Matrimoniis filiorum assisterent, neve denunciationes inchoare præsumerent, nisi constito de consensu Parentum, qui si deficeret ab omni actu cessarent. Harum Constitutionum exempla suppeditant Synodus Monopolitana A. 1583. Auximana A. 1593. Panormitana A. 1586. Placentina A. 1589. Senensis A. 1599. Catanensis A. 1623. Cæsenatensis A. 1638. Faventina A. 1647 Montis-Regalis A. 1652. Mazariensis A. 1641. Veliterna A. 1673. Albanensis A. 1689. Vestana A. 1699. ut a reliquis recensendis abstineam, in quibus similia Decreta leguntur ad retun-

dendam damnabilem istam filiorum impietatem exarata, & ut totis viribus, ac quibusvis Juris remediis curarent illos in Officio continere, ac suarum ovium peccata coercere, & ne cum ingenti scandalo tot Filiorum criminibus cooperarentur. *In hac specie*, inquit Gutierez Canonicarum qq. l.1. c.20. n.23. *si aliud faceret Episcopus dum Matrimonio inter valde impares favere vellet, sibi forsan ac suæ Conscientiæ detrimentum afferret tamquam cooperator, atque exequtor peccati filii, & in ferenda Parentibus injuria socius eidem esset*, addit Rebellius de Oblig. Just. p. 2. lib. 2. q. 14. sect. 1. n. 9. *habent enim Patres jus impediendi Nuptias filiorum ob justam causam: imo in dubio de justitia causæ, præsumendum esse pro Parentibus*: Molphesius in Summa tract. 4. cap. 7. n. 24. scripsit *licet alias nimiam erga filios præseferant indulgentiam*. Neque a tali proposito recedendum esse etiamsi Sponsalia jurata antecesserint Theologi fatentur omnes ex Juris regula: *In malis promissi fidem non expedit servari*, & juxta illa Isidori relata a Gratiano cap. *In malis* 22.4. *In malis promissis rescinde fidem, impia enim est promissio quæ scelere adimpletur*. Consonat S. Thomas 2. 2. q. 98. *Quocumque enim modo quis juret illicitum, ex hoc ipso falsitatem incurrit, quia obligatus est ad hoc quod contrarium faciat*. Neque dissentit S. Bonaventura in 3. dist. 39. a. 1. q. 1. & late tradunt Canonistæ communiter, qui etiam affirmant in casu quo Sponsalibus additum esset Stuprum, dum Parentes dissentiunt propter ignominiam ex Nuptiis sibi irrogandam, & quod scandalum immineat, & parum felix exitus timeatur; ita ut Matrimonium absque peccato perfici non valeat, neque Sponsalia, neque Stuprum obstare, imo debere a Parentibus ipsis etiam implorato Judicis auxilio Conjugium impediri. Quis enim non videat dolose id fieri in contemptum obedientiæ, in execrabile Patrocinium culpæ, quasi quod ad confirmandum primum peccatum lethale in contrahendis contra Parentum voluntatem Sponsalibus, optimum remedium sit aliud infame peccatum Stupri? Si honorem, si pudicitiam suam indiscrete profuderit fœmina, sibi imputet, cum præfatus Pater jure suo contradicere valeat. Unde nam tanta vis Iuramenti, & Stupri, ut ea, quæ verbum Dei, Sacri Canones, Leges Civiles improbant, ac perpetuo detestantur, & sine gravissima, ac multiplici lethali culpa perfici nequeant irrita non esse affirmentur, neque vereri quis quis debeat sub inani prætextu vitandi periurii, aut detrimenti pudoris jam inductum ligamen solvere, aut partam obligationem non submovere? Certe non desunt exempla quæ ostendunt nullum Virgini ex Stupro ad Nuptias contrahendas jus acquiri, si altera virtus Matrimonium reddat illicitum, vel si justitiæ aliqua alia præcesserit obligatio, & casus posset occurrere in Virgine, quam data fide Matrimonii corrupit, qui voto simplici Castitatis, aut ingrediendæ Religionis obstrictus erat. Si priora contracta Sponsalia irritant posteriora contracta cum altera, quam hac mente Vir defloravit, & quam propterea violatam debet deserere, quod ad illicitum nemo unquam, sive ex justitia, sive ex damno illato, sive alia quavis caussa compelli possit, maxime si Mulier votum, vel præcedentia Sponsalia non ignorans, se maculari consensit. Neque aliud affirmabitur in casu nostro si fœmina hæc omnia prævidens Filium familiam allicit, & accedente Stupro fidem extorquet Coniugii, neutiquam huic filio licere adimplere promissum, quia justitia non obligat ad faciendum malum. Diximus *non licere* quia ut Tridentini Concilii verba repetamus: *Sancta Dei Ecclesia ex justissimis*

mis caussis illa semper detestata est, ex justissimis vero caussis non abrogavit contracta, quia disciplinam jam ab aliquot Sæculis receptam immutare noluit, nam majus erat quidem, & latius diffusnm malum, quam ut statim excidi posset. Arcebit itaque ab hujusmodi Nuptiis Adolescentes, vel Iudex, vel Episcopus, ut par est; & vi cohibebit ne peccent.

CAPUT IV.

DE IIS, QUÆ VITARI DEBENT, UT MATRIMONIUM LICITE, ET VALIDE CONTRAHATUR.

I. SIve Matrimonium consideretur tamquam Contractus, sive consideretur ut Contractus, & Sacramentum simul, tum in Naturali Lege, & in Scripta, tum in Lege Evangelica illi obsistere non pauca solent, propter quæ aut valide, aut licite non contrahatur. Obicem Matrimonii *Impedimentum* appellavere Theologi, & Juris Interpretes, sive inhabilitatem ad illud contrahendum a Naturali, Divino, & Ecclesiastico Jure provenientem, propter quam si de facto contrahatur, aliquando illicite tantum, aliquando illicite, & invalide simul contrahitur. Lex Naturæ non sinit licitos, ac validos esse Contractus illos, qui Errore, vi, & gravi metu fiunt, aut in quibus, vel non traditur res, quæ sit libera, vel non sit apta ad illum contractum. In Lege Scripta a quibusdam Nuptiis arcebantur Hebræi, & Lex Ecclesiastica illa vetat Conjugia, quæ cum quadam graduum propinquitate in triplici Cognatione Naturali, Spirituali, & Legali, item Affinitatis celebrantur. Theologi qui de Impedimentis Matrimonii disputant, omnia distinguunt in *Impedimenta impedientia*, & in *Impedimenta dirimentia*. Primi Generis Impedimenta Matrimonium impediunt ne licite, etiamsi valide contrahatur. Reliqua vero Matrimonium non solum impediunt ne licite, & valide contrahatur, sed etiamsi fuerit contractum, illud dirimunt, & dissolvunt. Primi Generis impedimenta duodecim apud veteres Auctores inveniuntur, sed fere singula contrarius usus abrogavit, qui duo solum retinuit, scilicet *Ecclesiæ vetitum*, *& Tempus Feriarum*. In secundo vero genere Veteres ipsi duodecim retinuerunt, quibus post Tridentinum Concilium alia duo addiderunt, & singula his Versibus continentur:

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen
Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas
Si sis Affinis, si Clandestinus, & Impos
Raptaque sit Mulier, nec parti reddita tutæ
Hæc facienda vetant Connubia, facta retractant.

Antequam vero de his singulis agamus, juvat celebrem Controversiam proponere, & ad trutinam revocare, an quilibet Legislator humanus possit Matrimonii impedimenta statuere, & quidem an hoc jure gaudeat Ecclesia, R. Pontifex, & Laica Potestas. Sit igitur.

§. I. *Ea nobis planior, & expeditior sententia videtur, quæ dicit Principes Sæculares per se loquendo, & attenta præcise Potestate Regia posse statuere impedimenta Matrimonii: Attento tamen præsenti rerum statu non posse.*

II. Primam hujus Propositionis partem tradit S. Thomas in Supplem. 3, p. q. 50, a. unico ad 4. ubi sic scribit: *Matrimonium inquantum est in Officium naturæ statuitur Lege Naturæ: inquantum est Sacramentum statuitur jure Divino: inquantum est in officium communitatis statuitur Lege Civili, & ideo ex qualibet dictarum Legum potest aliqua Persona effici ad Matrimonium contrahendum illegitima.* Eamdem sententiam tenuit Præceptor Angelicus in lib. 4. contra Gentes cap. 78. ubi sic ait: *Inquantum Matrimonium ordinatur ad bonum naturæ, quod est perpetuitas speciei dirigitur in finem a natura inclinante in hunc finem, & sic dicitur esse naturæ officium: inquantum vero ordinatur ad bonum politicum, subjacet ordinationi Legis Civilis: inquantum ordinatur ad bonum Ecclesiæ, oportet quod subjaceat Regimini Ecclesiastico.* Et re quidem vera quid amplius habet Ethnicus Princeps Imperante Catholico, si quod illi permittitur, huic concedi non debeat? Non enim ideo quia Princeps Christianorum profitetur fidem, excidit potestate, quam Jure Divino habet in Subditos; indeque est quod impedimenta Nuptiarum, non inter Ethnicos tantum ab antiquo statuta, & quæ in Corpore juris hodie extant, sed & inter Catholicos debent Conjugium certis limitibus circumscribere, ne ultra modum ab ipsis præscriptum exorbitent. Cum enim Potestas Regia ad bonum Reipublicæ sit potissimum ordinata, ad Principum curam pertinet de iis rebus leges sancire, a quibus Rerumpublicarum tranquillitas pendet, quæ a Matrimoniis Subditorum oritur, & consequenter Principes poterunt de ineundis Matrimoniis leges ferre, eademque diversis obicibus coercere. Certe Leo Magnus Epist. 82. ad Rusticum nulla esse voluit Conjugia a Servis inita invitis Dominis, eo quod Cæsareis Legibus irrita facta fuissent. *Nuptiarum autem fœdera*, inquit, *inter ingenuos sunt legitima, & inter æquales, multo prius hoc Domino constituente quam initium Romani Juris existat.* Etiam Nicolus I. in responsis ad Bulgaros laudavit, explicavit, & Legum Imperialium praxim præscripsit de gradibus Consanguinitatis, intra quos vetabant Matrimonia contrahi. *De Consanguinitate generationum*, ait laudatus Pontifex, *exquiritis, ut cum quibus utique fœminis jungi debeatis, liquido cognoscatis.* Verum quod leges hinc sanciunt jam meminimus, nam bene noverunt Pontifices illi, quod licet Matrimonium elevatum a Christo fuerit ad Sacramenti dignitatem, nihil tamen in contractu mutaverit. Imo hunc integrum supposuit, & legitimum tamquam materiam, cui advenerit, ut propterea cum non desierit esse ex iis rebus, quæ plurimum conferunt ad Reipublicæ pacem servandam, noverunt inquam politicæ jurisdictioni in hac parte non fuisse subductum, quæ porest Personas reddere ad contrahendum inhabiles, invalidum contractum efficiendo. Verum si antiquitus Christiani Principes jure nonnulla impedimenta statuerint, non est cur his quoque temporibus idem possint, cum eorum erga Ecclesiam reverentia exercitium ponendi Impedimenta dirimentia Ecclesiæ soli reliquerint, sibique reservaverint solum quantum ad effectus Civiles Matrimonia irritare, nimirum exhæredationes, rescissiones donationum, privationes omnium,

quæ

quæ vi consuetudinis, aut Contractus Matrimonialis obvenire possunt, & ita declarasse legimus Custodem Sigillorum Regiorum nomine Henrici III. & Ludovici XIII. ad supplicationem Cleri Gallicani in Commentariis Cleri Gallicani Tom. 2. pag. 774. apud Caballutium in sua Theoria, & praxi Jur Can. lib. 3. cap. 25. & apud Gerbasium in libro, quem inscripsit *Tractatus Pacificus* pag. 504.

III. Nostram hanc assertionem uberius adhuc ostendunt tum silentium Principum; cum Ecclesia in Conciliis impedimenta Matrimonium dirimentia constituit; cum Servorum Matrimonium quod erat invalidum ratum habuit; cum inter Affines in linea Collaterali Matrimonia prohibuit: cum Affinitatem contrahi ait etiam ex illegitima Viri, & Mulieris conjunctione: *De reliquis vero propinquis* inquit Carolus Magnus in lib. 6. Capitul. num. 7. *juxta Constituta SS. PP. & juxta Decreta Canonum judicetur*. Et hinc fuit quod Chilpericus Galliæ Rex Prætextatum Archiepiscopum Rothomagensem sic allocutus est in Concilio Parisiensi, ut patet ex historia Gregorii Turonensis, lib. 5. cap. 18. *Quid tibi visum est o Episcope ut inimicum meum Meroveum, qui filius esse debuerat cum amita sua, idest cum Patris sui Uxore conjungeres? At ignarus eras, quæ pro hac caussa Canonum statuta sanxissent?* Inde factum etiam quod Principes ad Ecclesiæ Tribunal confugerent ad dirimenda contracta illegitima Matrimonia, cujus rei exemplum habemus tum in eodem Carolo Magno, qui primam Conjugem nonnisi post latum ab Episcopis Judicium dimisit, tum in Lothario, qui post repudiatam Thiedebergam, alteram Nuptiarum veniam a Concilio Aquisgranensi petiit: tum in Henrico IV. Galliarum Rege, qui Margheritam Reginam duxit post repudii latam Sententiam a Clemente VIII. Tum in Principibus illis omnibus, qui nulli post XIV. Sæculum nupserunt contra Canones, quin prius veniam, & dispensationem a Rom. Pontifice obtinuissent. Tum demum in Regis Galliæ Oratoribus, quos in superiori capite memoravimus a Patribus Concilii Tridentini Regis nomine postulasse ut legem ferrent, qua Matrimonia Clandestina irrita fierent. Dubitari itaque non potest saltem ab ævo Concilii Tridentini Regibus Christianissimis ratum fuisse, ac fixum, posse Ecclesiam legem condere, qua Matrimonia quædam irritarentur, & hanc Potestatem illi inesse sequenti §. declarabimus.

§. II. *Ecclesia a primis temporibus constituit Impedimenta Matrimonium dirimentia, eodemque Jure quatuor ante Concilium Tridentinum Sæculis pacifice, & nemine repugnante usa est.*

IV. Primus qui usus sit hac potestate Domini Spiritu ductus, & ejusdem auctoritate fretus in ipso Ecclesiæ nascentis exordio fuit Apostolus Paulus, qui in 1. ad Cor. 7. v. 12. & sequentibus *Cultus disparitatem* statuit esse dirimens impedimentum: *Ceteris ego dico non Dominus. Si quis frater uxorem habet infidelem &c. quod si infidelis discedit, discedat, non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi*. Apostolum secuti sunt ceteri Sacri Antistites, ut ostendunt verba Tertulliani in libro de Corona Militis capite 13. *Non nubimus Ethnicis, ne nos ad Idololatriam usque seducant, a qua apud illos Nuptiæ incipiunt*. Idem impedimentum disparitatis cultus probavit Concilium Eliberitanum canone 15. & ulterius statuit impedimentum

tum

tum *Voti* canone 13. & Impedimentum *Affinitatis* can. 71. & 76. quod impedimentum Affinitatis etiam confirmarunt Patres in Synodo Neocæsariensi canone 2. ut impedimentum *Raptus* Ancyranum statuit canone 11. Singula hæc Impedimenta posuit Basilius in variis canonibus suæ Epistolæ ad Amphilochium, qui addidit impedimentum *Ordinis*. Chalcedonense iv. Æcumeni, cum Voti impedimentum confirmavit. Trullana Synodus canone 53. impedimentum *Affinitatis Spiritualis* constituit, & canone 54. Cognatorum, & Affinium Nuptias prohibuit, & tandem canone 98. *Honestatis impedimentum* edixit. Hactenus Orientales, & Occidentales Ecclesiæ, ut constet calumniari hæreticos, cum præcipue Latinos Patres accusant, quod sibi auctoritatem usurpaverint impedimentis diversis Matrimonia cohercendi.

V. Pacifice quoque nemine repugnante hoc præstiterunt jure suo utentes Romani Pontifices Siricius Sæculo iv. ut constat ex ejus Epistola ad Himerium Episcopum Tarraconensem cap. 4. & 6. ubi dicit, *desponsatam alii puellam alterum in Matrimonium non posse accipere, nec debere Monachos abjecto proposito Sanctitatis de inlicitis complexibus prius clancule, postea in abruptum libere filios procreare*. Innocentius I. & Leo Magnus v. Sæculo Voti, & Ligaminis impedimentum nova Sanctione corroborarunt, ille in Epistola ad Victricium Rothomagensem cap. 11. & ad Probum Epist. 9. hic in Epistola 84. vel 2. ad Anastasium Thessalonicensem, & 72. vel 129. ad Nicetam Aquilejensem, & in Epist. 92. vel 2. ad Rusticum Narbonensem. Gregorius Magnus vi. desinente, & vii. Sæculo ineunte Voti, & Violentiæ impedimenta declaravit lib. 7. Epist. 119. ad Virgilium, & Siagrium Galliarum Episcopos: item impedimenta Consanguinitatis, & Affinitatis rata habuit in lib. 12. Epist. 31. ad Augustinum Anglorum Apostolum, in qua & asserit: *esse in potestate Ecclesiæ quædam per favorem corrigere, quædam per mansuetudinem tollerare, quædam per considerationem dissimulare, atque portare, ut sæpe malum, quod adversatur portando, & dissimulando compescat*. Et Anglis recens conversis condonavit Matrimonia in gradibus prohibitis contracta, dum essent adhuc infideles. Dispensationem eamdem cum Germanis recens ad fidem conversis adhibuit Gregorius II. super impedimento Affinitatis, & Consanguinitatis, ut post quartam Generationem conjungerentur; deinde, & ejusdem nominis Pontifex III. Impedimentum Consanguinitatis ultra 7. gradum imposterum non extendi statuit, & Primus Nicolaus in Responsis ad Consulta Bulgarorum cap. 11. Spiritualis Affinitatis impedimenta confirmavit. Omitto recensere Concilia Carthaginensia secundum, & quartum, itemque Lugdunense primum, & Aurelianense secundum, tertium, & quartum, Turonense secundum, & Antissiodorense, Matisconense quoque primum, & secundum, nec non Lugdunense iii. Parisiense v. Rhemense, Toletanum iv. & xiii. Addo luculenter probare Ecclesiæ auctoritatem in constituendis Matrimonii impedimentis Capitula quoque Theodori Cantuariensis, qui Sæculo vii. floruit Tom. 9. Spicilegii edita, in quibus Ecclesiasticæ leges de Matrimonii impedimentis continentur: itemque Canones Concilii Moguntini A. 813. celebrati: similiter Canones Triburiensis Concilii A. 895. a quibus omnibus constat in Ecclesia permansisse facultatem imponendi Matrimonio obices, eamdemque Ecclesiam non tyrannice sibi usurpasse, ut hæretici garriunt, qui tamen non ostendunt primum illum Pontificem, qui hanc potestatem in præjudicium Regiæ potestatis usurpaverit, aut illum ex Principibus Sæculi, qui reclamave-

verit; cum e contra nos supra ostenderimus hanc in Ecclesia auctoritatem ipsos met Religiosissimos Principes agnovisse, qui semper, & ubique, tum antiquorum Conciliorum, tum Pontificum Decreta sunt venerati, etiam temporum posteriorum, videlicet Gregorii V. Alexandri II. Urbani V. Alexandri IV. & Conciliorum generalium Lateranensium primi, secundi, tertii, Canones, & præsertim IV. sub Innocentio III. celebrati, a quo revocantur prohibitiones Matrimonii in secundo, & tertio Affinitatis gradu minime contrahendi, & sobolis susceptæ ex secundiis Nuptiis Cognationi viri non copulandæ prioris, decerniturque, ut sic contrahentes deinceps libere copulentur, & insuper Consanguinitatis, & Affinitatis impedimentum ad IV. gradum restringitur: quique propterea agnoverant, non eos tantum Affinitatis, & Consanguinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur posse impedire Matrimonium contrahendum, & dirimere contractum, sed Ecclesiam potuisse, & posse constituere, ut plures impediant, & dirimant, & in nonnullis eorum dispensare, nec illam errasse, cum reliqua impedimenta constituit, ut in tertio, & quarto transversali, & siluerunt omnes cum postremo Matrimoniales Caussas ad Judices spectare Ecclesiasticos definiverunt in 12. Canone Tridentini PP. Sess. XXIV. die 11. Novembris A. 1563. sub Pio IV. ex eo quod altiori, sanctiorique jure apud nos Sacramenti ratione Matrimonium gaudeat; quæ omnia sufficiunt, ut innotescat Lutheranorum hac de re proscripta doctrina, quæ contendit nulla humana lege irrita fieri posse fidelium Matrimonia, & Ecclesiam non posse statuere impedimenta dirimentia.

VI. Launojus vir acutissimus dum Lutherum insectatur, quem *imperitum Novatorem* appellat, in Opere, quod inscripsit *Regia in Matrimonium Potestas*, toto Cœlo aberrat, dum Ecclesiæ nomine, quo laudati Tridentini Canones utuntur vult debere intelligi cætum fidelium, non quidem pro ut Ordinem Sacerdotalem complectitur, sed pro ut constat ex Regibus, & Magistratibus Politicis. Sic enim ratiocinatur: *Ecclesia a Romanis Pontificibus, a Conciliis, a Patribus, & a Theologis, quo tempore Tridentina fiebat Synodus definitur Fidelium, seu Catholicorum Congregatio. His autem ita constitutis, non minus facile, quam recte intelligitur quomodo Ecclesia potuerit impedimenta Matrimonium dirimentia constituere, & re ipsa constituerit, nempe per Reges, alteram Ecclesiæ Personam illa potuit constituere, & constituit. Sic igitur ad Personam Regalem flexo Ecclesiæ nomine Tridentinis Canonibus sua constat veritas, & contra imperitum Novatorem impedimentorum Matrimonii disciplina retinetur, & asseritur.* Ergo Launojus fateri debet, quod Principes, ut intra gradus prohibitos Nuptias celebrarent nunquam latis ab Ecclesia Canonibus sese subjecisse, quod nunquam adduci debuissent, ut Matrimonii, quod ambibant veniam peterent a Sacerdotali Ordine, nunquam Nuptiarum solutionem inviti passi fuissent, sed fecissent id, quod ipsimet sibi ipsis concessissent, & id, quod pro libito revocare potuissent. Contrariam tamen praxim jam audivimus, eosdemque se revera subjecisse Ecclesiæ Canonibus, & Nuptiarum indulgentiam sine querela petiisse, cum alioquin his temporibus de Investituris, pluribusque aliis caussis Principes inter, & Ecclesiam uberrime disceptarint. Præterquamquod Stipeus, & plolumbeus sit oportet ille, qui audiens Ecclesiam definire, leges condere de Disciplina, de moribus, non statim intelligat primos Pastores, per quos Ecclesia loquitur,

non

non vero Sæculi Poteſtates, quæ non ſecus ac alii fideles membra ſunt privata licet nobiliora ejuſdem Societatis. Abſurda igitur, & communi ſenſui repugnans eſt, hæc Launoj Sententia. His adde Concilium in locis laudatis Eccleſiam eo ſenſu intelligere, quo intelligebat Lutherus, qui negabat Eccleſiam poſſe impedimenta Matrimonii ſtatuere, qui tamen nullibi negavit Poteſtatibus Sæculi hanc auctoritatem; & jure quidem merito Chriſtus Dominus hanc poteſtatem condendi leges ſuæ Eccleſiæ conceſſit, quod Sancto ejus regimini apprime neceſſarium ſit impedire Matrimonia in animarum perniciem tendentia, & in evverſionem boni communis, & publicæ tranquillitatis, non ſecus ac cuilibet Reipublicæ Civili facultas conceſſa eſt, quæ Contractus dirimit, ſi publica id requirat utilitas.

VII. Sibi magis conſuluiſſet Launojus, ſi Eccleſiæ nomen, quod in Canonibus, & Decretis Concilii Tridentini ponitur ad ſolum Papam, & Generale Concilium extendiſſet, quibus tantum convenire jus inſtituendi impedimenta dirimentia Matrimonium reſervavit antiqua, & Univerſalis Eccleſiæ conſuetudo; quo tradito non importune acutus auditus eſſet, atque intemeratam ſervaſſet, illæſamque Canonum auctoritatem, qui nulla jam apud nos eſſe Poteſtatibus dirimendorum Conjugiorum jura tradunt, irritumque adeo, atque inane futurum quidquid impedimentorum ad contrahendas Nuptias, non approbante, confirmanteque Eccleſia illæ apponerent, firmiter vero permanſurum Chriſtiani hominis Matrimonium, qui adverſus humana illa, & profana Reſcripta ad Canonicam tamen inſtitutionem Nuptias paciſceretur: Sive hoc referri debeat Pietati Chriſtianorum Principum, eorumque erga Eccleſiam reverentiæ: ſive ipſi Divino jure prohibiti ſint impedimenta Matrimonio auctoritate ſua conſtituere, cum jam apud omnes conſtet, qui recte ſentiunt nullis humanæ Reipublicæ obſtaculis irrita effici, aut dirimi inter Chriſtianos poſſe Matrimonia, & Connubiales quaſcumque Chriſtianorum cauſſas profanorum hominum arbitrio fuiſſe ſublatas, ut vel in ipſo Sacro Ordine, non cujuſcumque Præſulis, ſed Epiſcoporum dumtaxat judicio committerentur, ut in cap. *multorum* 35. q. 6. in cap. *Sæculares* loco citato q. 2. & a Concilio Lateranenſi decretum fuit contra Abbates in Matrimonia inquirere ſolitos, utpote qui in alienæ Poteſtatis fines temere manus immiſiſſent, & poſtremo a PP. Tridentinis in cap. 20. Seſſ. XXIV. His verbis. *Ad hæc Cauſſæ Matrimoniales, & Criminales non Decani, Archidiaconi, aut aliorum Inferiorum judicio, etiam viſitando; ſed Epiſcopi tantum examini, & juriſdictioni relinquantur*, qui Patres ipſis quoque Legatis, quos de Latere appellant, & quorum maxima Autoritas eſt ab hac violanda Epiſcoporum poteſtate Religioſe abſtinere juſſerunt, quibus Decretis inhærens Dominicus Soto in 4. d. 40. q. unica a. 5. ſcripſit: *Cum Eccleſiæ incumbat de Sacramentis cenſere, & ut diſtinct. 35. dicebamus, in his quæ pertinent ad Regnum Cœlorum Reſpublica Civilis Spirituali ſit ſubdita, nequit Civilis in Matrimonialibus cauſſis, præſertim in conſtituendis perſonis* legitimis, vel illegitimis *ab Eccleſiæ Sanctionibus, & poteſtate deflectere, alioqui duo eſſent capita, quod utique monſtrum vineam Domini demoliretur*: unde D. Thomas diſt. 42. q. 2. art. 2. ad 4. *Prohibitio*, inquit, *Legis humanæ non ſufficeret ad impedimentum Matrimonii, niſi interveniret Auctoritas Eccleſiæ, quæ idem etiam interdicit. Et idem obſervandum eſt in diſcernendo, quodnam Matrimonium ſit legitimum, quod revera judicium ad Eccleſiam ſpectat. Quare ſi proprie loqui velimus,*

non

non Christianorum Principum auctoritate Nuptiarum pacta efficiuntur irrita, sed quæ Connubiales Christianorum contractus appositis impedimentis vere dirimit, una est Ecclesia, quæ profanis aliquando legibus ad publicam tranquillitatem, honestatemque morum latis utitur, illasque veluti consecrat, ut quod ipsa prohibita sunt facere, non suo, sed Ecclesiastico jam jure certa aliqua Conjugia impediant.

VIII. Profecto non ignoramus postulasse aliquando Ecclesiam, & permisisse suos de hac re Canones a Principibus Laicis confirmari. Sic enim, ut ab exemplis plurimis supersedeam, Concilium Moguntinum A. 813. celebratum Carolo Magno imperante, ejusdem Caroli auctoritate firmari, & emendari postulavit sua Decreta; sed non nisi perperam ex his verbis urbanitatis, & reverentiæ erga Imperatorem, quis colliget Ecclesiam Regum dumtaxat concessione, vel approbatione Matrimonii impedimenta posse constituere, & de caussis Matrimonialibus judicare. Nam ea mens erat Patrum, ut Canonum executionem Carolus imperaret, & Ecclesiasticam auctoritatem pro more tueretur. Neque alio sensu id factum a Moguntinis PP. eo certius est, quod ex Præfatione constat in tres Ordines Concilium fuisse divisum. *In primo sedebant Episcopi, in secundo Abbates, in tertio Comites, & Judices in humanis legibus decertantes. Cognitionem eorum, quæ Matrimonium spectabant non suscepere Laici illi Magistratus. Imperatoris Auctoritate hi Vulgi justitias perquirentes, omnium advenientium caussas diligenter examinabant, Episcopi Sacra dogmata diligenti Studio perquirebant, ut statum Ecclesiæ Dei, & Christianæ Plebis perficerent, & conservarent.* Ex qua narratione constat Magistratus illos jus Ecclesiæ in constituendis Matrimonii impedimentis agnovisse, nihilque ad se pertinere. His itaque constitutis, modo leges illæ considerandæ sunt, & certi limites, quibus Nuptiæ circumscribuntur, a quibus non possunt sine sui ipsarum violatione exorbitare. Sit igitur

§. III. *Error in Persona, Impotentia perpetua, Consanguinitas in primo gradu lineæ rectæ (non vero alterutra Cognatio tam Spiritualis, quam Legalis, quibus additur Affinitas cum publica honestate) & Ligamen contrahere Nuptias vetant, & contractas irritant attento Jure Naturæ.*

IX. Perperam putant aliqui Contractus Nuptialis simplicitati quidquam detrahi, eo quod in legum tam diversarum potestate reponatur; Nulli enim ignorare permittitur, quod quando aliquid ad diversos fines ordinatur, indiget habere diversa dirigentia in finem, quia finis est proportionatus agenti: Generatio autem humana ad multa ordinatur, unde oportet, quod hujusmodi generatio a diversis dirigatur. Principio Matrimonium ordinari ad conservationem naturæ notavimus alibi. Rationi itaque naturali consonum est, quod a natura ipsa impedimenta aliqua sint constituta, quæ contrahendas Nuptias decernant illicitas, & contractas abrumpant, si contra Naturæ Leges promoveantur, aut perficiantur, & sunt illa quatuor, quæ superius memoravimus, *Error, Impotentia, Consanguinitas in primo gradu lineæ rectæ, & Ligamen*. Ut igitur a primo exordiamur, hic Errorem ab Ignorantia distinguimus, quæ tantum includit negationem scientiæ, cum e contra Error per-

versum intellectus judicium complectatur, propterquod si Error Ignorantia appelletur, vocari debet Ignorantia pravæ dispositionis. Alterutra hæc Ignorantia sufficit ad efficiendum actum involuntarium, quia voluntas non fertur in incognitum, sive hoc incognitum Persona sit, sive Qualitas, nam ad utrumque potest Error se extendere, ut in casu nostro, cum quis intendit contrahere cum certa determinata Persona, & per alicujus dolum, & fraudem cum alia contrahit, aut cum quis credit ducere in uxorem mulierem divitem, nobilem, liberam, Virginem &c. quæ revera contrariis afficitur qualitatibus. Ex hoc itaque, quod vulgo dicitur: *qui errat non consentit* L. *si per Errorem* D. *de Jurisd. omn. Judic.* & errantis nullus est consensus L. *cum testamentum*. L. *non idcirco* C. *de Juris, & facti Ignorantia*, necesse est remanere semper irritum Matrimonium, & nullum, tum illud quod cum Errore Substantiæ contrahitur, nam talis defectus est de Jure Naturali, contra quod jus Lex humana non dispensat L. *nam Magistratus* D. *de Arbitr.* tum alterum, quod cum Errore Qualitatis contrahitur, quando qualitas in substantiam Personæ redundet, ut si contrahens posuit illam qualitatem in conditione Contractus, aut de ea egit ante Matrimonii Contractum, aut eamdem elegit, ut Matrimonii finem; nam secus esset dicendum, si qualitas in substantiam Personæ non redundaret, & nihil horum accideret, cum regulariter loquendo, per errorem Qualitatis non soleat Matrimonium irritari ex cap. unico 29. q. 1. tum propter momenta, quæ in citato textu exponuntur, tum etiam quia Qualitas, & Accidentia non sunt absolute necessaria ad Contractum, nec ejus naturam constituunt. Quare in his casibus Matrimonium inter Liam, & Jacob non fuit perfectum ex ipso concubitu, qui ex errore contigit, *sed ex consensu, qui postmodum accessit*, ut scribit S. Thomas in 4. dist. 30. q. 1. a. 1. ad 4. & si consensus mulieris in nobilem Personam directe feratur, error de nobilitate ipsius non impedit Matrimonium, si autem directe intendit consentire in filium Regis, quicumque sit ille, tunc si alius præsentetur ei, quam filius Regis, est error Personæ, & impeditur Matrimonium.

X. Facile est idem Impedimentum alteri adnectere, quod *Conditio* appellatur, qua voce, tum Juris Interpretes, tum Theologi utuntur, ut conditionem Servilem significent, quæ facit irritum Matrimonium si liber homo illud contrahat cum Persona, quam liberam esse arbitratur ignorans eam esse Servam. Ita habetur in cap. *Si fœmina* 29. q. 2. & in cap. finali de Conjug. Serv. propter injuriam, quæ fit homini libero, propter bonum Prolis, quod læditur, & mutuam cohabitationem, cui adversatur, & demum propter defectum consensus, qui fertur absolute in objectum existimatum, & ab alio avertit agentem omninò ex cit. lege *si quis per errorem* D. de Jurisdic. L. *nihil tam contrarium* D. de Reg. Jur. & quia error in corpore vitiat omnes Contractus L. *quod tamen* 14. L. *in venditionibus* 69. D. de Contrahenda Emtione. Ubi igitur talis error contigerit, ibi hoc impedimentum invenietur, quod non esse de Jure Naturali communis est Canonistarum sententia, qui tamen docent esse valde conforme Juri Naturæ propter allata fundamenta. Utuntur etiam eadem voce Theologi, ut innuant pacta, conventiones, ac requisita sub quibus aliquando contrahitur Matrimonium, quæ tamen conditiones hodie post Concilium Tridentinum a Parochis non sunt admittendæ. Si conditiones adversentur substantiæ Matrimonii, scilicet Proli, Fidei, & Sacramento irritant Matrimonium, quia destruunt ennunciata bona, cap. fina-

li

li de Condit. appos. *puta, si alter dicat alteri: contrabo tecum si generationem Prolis evites*, vel *donec inveniam aliam honore*, vel *facultatibus digniorem*, aut si *pro quæstu adulterandum te tradas*, *Matrimonialis contractus quantumcunque sit favorabilis caret effectu*, inquit Gregorius IX. in cap. laudato. Reliquæ vero conditiones licet turpes esse possint, aut impossibiles, quia Substantiæ Matrimonii non sunt contrariæ, Matrimonium non dirimunt, quia juxta eamdem Decretalem Gregorii habentur pro non adjectis, nisi aliter, ut supra dicebamus, in alio casu vellet consensum præstare, qui sub his conditionibus contraheret: quod etiam dicitur de illis conditionibus, quæ honestæ sunt, sed impossibiles a natura, vel ex jure, vel de facto, & præterea alter contrahentium illas non cognosceret, imò crederet esse possibiles. Conditiones primi generis irritant Matrimonium, non ex solo jure Canonico, sed etiam ex Jure Naturali hac generali ratione, quia de Jure Naturæ quidquid destruit Substantiam Contractus irritat ipsum Contractum.

XI. His addere juvat, quod conditio apposita Matrimonio servandæ perpetuæ Castitatis nullum ejus bonum offendit, non bonum Sacramenti, quia perpetuo simul vivere volunt, non bonum Fidei, quia corpus suum alteri non tradunt, non bonum prolis, quia contrahentes non se obligant ad prolem impediendam per media illicita, quod solum impedimentum substantiæ Matrimonii repugnat, non autem per media licita, ut per votum Castitatis mutuo consensu emissum, vel per Religionis ingressum, & de tali prolis impedimento loquitur Pontifex in cap. finali de Condit. appos. & intellexit conditionem appositam de evitanda, seu impedienda generatione, habendo tamen copulam, & procurando per venena sterelitatem, aut abortum, & similia. Plurima hujus generis exempla suppeditat historia Ecclesiastica, sed præcipuum illud est Matrimonium Deiparæ cum S. Joseph, & si eorum vota perpetuæ Virginitatis servandæ ad invicem sibi spoponderint. Neque iis assentimur, qui inter hos Conjuges Sanctissimos afferunt non fuisse verum, ac perfectum Matrimonium initum per verba de præsenti, sed tantummodo Sponsalia contracta per verba de futuro, quia Matth. 1. legitur dictum ab Angelo S. Joseph: *Noli timere accipere Mariam Conjugem tuam*, & rursum: *Cum esset desponsata Mater Jesu Maria Joseph antequam convenirent &c.* & iterum Lucæ 2. *Ascendit Joseph in Bethlem cum Maria desponsata sibi uxore pregnante*, super quæ verba S. Gregorius Magnus homil. 26. in Evang. ait: *Dominus Mariam habere Sponsum voluit, qui tamen ad ejus Nuptias non pervenit*; nam Catholicum dogma est, fuisse verum Matrimonium per verba de præsenti completum, & perfectum perfectione essentiali, quæ consistit in mutua traditione, & acceptatione potestatis in Corpora. Defuit autem illi perfectio accidentalis, nempe Copula Carnalis, per quam significatur unio Christi cum Ecclesia per naturam, sed non erat opus illa significatione, quia in illo Matrimonio res ipsa erat exhibenda, scilicet Verbi Incarnatio, per quam conjungitur Ecclesiæ secundum naturam.

XII. Contra itaque prædicta faciunt 1. quod in Scriptura indiscriminatim, sive *Uxor*, sive *Desponsata* vocatur mulier, ut constat ex Deuteronomii c. 22. 23. deinde ex ipso testimonio Lucæ cap. 2. *Ascendit autem, & Joseph in Judæam ... ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore pregnante*, & Matth. 1. *Joseph autem vir ejus cum esset justus* ibidem v. 19. *Joseph Filii David noli timere accipere Mariam Conjugem tuam*, & mox Lucæ 3. *Ipse Jesus erat in-*

cipiens quasi annorum triginta, ut putabatur Filius Joseph. Igitur tam apertum est in Scriptura Mariam fuisse veram uxorem Joseph, ut nullus cavillationi locus relictus sit. Ad auctoritatem Gregorii, & Patrum respondetur Patres vocare Nuptias consummatum Matrimonium, & Nuptas, seu Uxores a viris jam cognitas; sicut innuptas, & Sponsas vocant, quæ licet sint Matrimonio junctæ, nondum tamen sunt cognitæ viris. Hanc vero firmam esse responsionem quilibet facile intelligit, qui Sanctos Patres, & præ ceteris Augustinum consulit, ubi expresse differit de hoc Matrimonio in libro 1. de Nuptiis, & Concupiscentia cap. 11. & 12. Ambrosium quoque in libro de Institutione Virginis cap. 6. ubi ait: *Nec illud moveat, quod inquit Evangelista, quia Joseph accepit Conjugem suam .... Non enim defloratio Virginis facit Conjugium, sed pactio Conjugalis... Cum jungitur Puella Conjugium est, non cum virili commixtione cognoscitur*.

XIII. Jam vero sufficienter constat quare ab aliquibus dicatur quod Beata Virgo jungi S. Joseph nulla ratione potuerit. Quia inquiunt, Conjugii veritas stare non potest cum voto Virginitatis perpetuæ, quod ex unanimi PP. & Theologorum consensione illa emiserat. Non latet profecto quomodo aliqui ab hac difficultate se expediant. Fingunt Votum Virginitatis Matrimonium Virginis non præcessisse, sed posterius eo fuisse, quod quantum summæ ejus Puritati repugnet, nemo opinor est, qui non videat. Satis est legere Augustinum in Libro de S. Virginitate cap. 4. & Gregorium Nyssenum Oratione in Natali Christi, Rupertum item in lib. 3. in Cantic. Ambrosium in lib. de Institut. Virg. cap. 5. Hieronymum Epist. 22. Bedam, Bernardum &c. Arbitrantur alii B. Virginem primum sub conditione vovisse, nisi Deus aliter ordinaret, tum postea Dei cognita voluntate absolute vovisse. Hæc explicatio a Magistro Sententiarum Augustino attribuitur, quo falso, & plane supposito testimonio in eamdem sententiam abiit S. Thomas pro sua in Sanctum Doctorem veneratione, sive eam indicavit in 4. dist. 30. q. 2. a. 1. Nihil tamen, ut Jacobus Hyacintus Serrì observavit exercit. 21. n. 4. de Christo, ejusque Virgine Matre hujusmodi habet Augustinus neque in libro de Nuptiis, & Concupiscentia, qui apud Magistrum citatur in margine, neque in libro de S. Virginitate, qui a Gratiano citatur: imo non pauca ex directo contraria scribit Augustinus, quippe qui in cap. 4. laudati libri de S. Virginitate Deiparam ante Desponsationem vovisse docet, non igitur cum Josepho, in cap. vero 12. lib 5. contra Julianum expresse ait Josephum dici post desponsationem, ac etiam post Angeli monitum vovisse, ac tunc demum commiscendæ Carnis spem abjecisse, dum Virginem Divina fœcunditate donatam vidit. Illi itaque opinioni adhæremus, quæ Conjugii veritatem cum Voto Virginatis perpetuæ stare posse contendit, si Vir, & Mulier sibi mutuo tradunt ad Conjugale Officium suorum Corporum potestatem per consensum mutuum separabilem ab usu, nam solus usus repugnat Voto Castitatis. Cum itaque B. Virgo sciret ex Divina revelatione, & instinctu quod usus nunquam sequeretur, potuit sine læsione Voti tradere potestatem sui Corporis Josepho, & acceptare potestatem illius, sicque facere verum Matrimonium.

XIV. Ergo inferet aliquis temere inter Impedimenta Matrimonii *Votum* recensebitur, & quidem inter impedimenta illa quæ dirimunt Matrimonium jure Naturali, & Divino? Non ita certe, si alterutra pars hujus illasio-

lationis negabitur. Prima, quia quamvis Viris, & Virginibus Voto Castitatis adstrictis interdictum semper fuerit Matrimonium inquantum ipse usus Matrimonialis contrarius est Voto Castitatis, tamen non æque certum est num Matrimonia cum hujusmodi Viris, & Virginibus Voto Castitatis obstrictis semper fuerint non tantum illicita, sed etiam invalida. Innocentius I. in Epistola ad Victricium Rothomagensem ita scribit: *quæ Christo Spiritualiter nupserunt velari a Sacerdote meruerunt, si postea vel publice Nupserint, vel se clanculo corruperint, non eas admittendas esse ad agendam pænitentiam, nisi is cui se junxerant de sæculo recesserit*. Ergo primis Sæculis ea nequaquam irrita fuisse sat dilucide Innocentius indicavit: Sed idem ostendit Synodus Calcedonensis can. 16. relato a Gratiano 27. q. 1. cap. 22. & S. Leo *de non separandis hujusmodi ab Uxoribus* respondit interrogatus a Rustico Episcopo Narbonensi, & Augustinus pariter contrarium affirmantibus adversatur in libro de Bono Viduitatis cap. 10. scribens: *proinde qui dicunt tales Nuptias, non esse Nuptias, sed potius Adulteria, non mihi videntur diligenter ac acute considerare quid dicant*. Quod si Augustinus non ita legatur in laudato loco, hæc tamen Sententia habetur in libello de bono Viduitatis. Neque disentit S. Bernardus in libro de Præcepto, & Dispensatione cap. 17. quem commentatus Jo. Mabilonius hic in suis notis in hunc locum addit: *Certe qui Monachos, & Virgines primæ ætatis ex hodiernis moribus æstiment tota errant via*. Solum ab eo tempore, a quo audiri cæpit distinctio inter Votum Castitatis simplex, & solemne, cujus nulla apud veteres mentio habebatur, sensim, neque ubique eodem tempore invaluit opinio, quod illi vis tantum impediendi, huic vero vis dirimendi Matrimonii sit data, & hoc contigit A. 1139. in Concilio Rom. sub Innocentio II. cujus Decretum legitur apud Gratianum in laudata Caussa cap. 40. & exinde Romani Pontifices interrogati super hoc dubio juxta hanc Votorum distinctionem, tamquam indubitanter tunc receptam, responderunt, ut clarum exemplum habemus in c. 4. 5. & 9. *qui Clerici vel voventes* quoad usque definitum fuit per Bonifacium VIII. in cap. unico de Voto, & Voti redemptione in 6. illud solum Votum debere dici solemne quantum ad post Contractum dirimendum Matrimonium, quod solemnizatum est per susceptionem Sacri Ordinis, aut per Professionem in Religione per S. A. approbata, tametsi alias ratione externarum Cæremoniarum, etiam publice in Ecclesia in manibus alicujus Prælati præstita fuisset, & cum Voto perpetuo, & cum appellatione Professionis. Quis autem hanc facultatem Ecclesiæ negabit inducendi novum impedimentum Matrimonium dirimens? Si ergo potuit Ecclesia Votum solemne illis impedimentis adjungere, illudque addidit, ut legitur in canone 4. Seff. xxiv. Tridentini Concilii de R. M. satis luculenter falsitas patet primæ partis memoratæ illationis.

XV. Sed neque secunda pars illationis probari potest, non quia propositionem illam non admiserint Theologi aliqui doctissimi, inter quos S. Thomas, & Bonaventura, sed quia ratio efficacior ostendit Votum solemne Castitatis solo jure Ecclesiastico, non vero naturali dirimere Matrimonium. Et revera, si sola attendatur obligatio, Vota simplicia, & solemnia essentialiter idem sunt cap. *rursus* eod. tit. igitur eodem jure obligant. Diversitas effectuum oritur a solemnitate Voti, quæ cum inducta sit ab Ecclesia, vim dirimendi Matrimonii a solo jure Ecclesiastico habere debet; non secus ac

ser-

servitus, per quam qui Servus est de Jure Naturæ, etsi subditus Domino suo non prohibetur contrahere Matrimonium, ita a pari non prohibetur a Jure Naturali Religiosus Matrimonium contrahere, quamvis constitutus sub Dominio sui Superioris. Accedit his quod status Religiosus, & Matrimonium non se ad invicem destruant: nam si alter Conjugum venia obtenta in Religione profiteatur, Matrimonium firmum remanet, & status Religiosus non immutatur. Præterea proprietas hæc dirimendi Matrimonia non ita convenit Voto solemni Castitatis, ut non possit etiam non convenire Voto simplici, si Papa id voluerit, quod voluisse probant Gregorium XIII. qui simplicia Jesuitarum vota decrevit Matrimonium dirimere in sua Constit. 89. incipiente *Ascendente Domino*: igitur per solum jus Ecclesiasticum etiam Votum solemne Castitatis eumdem effectum operabitur, idque eo certius affirmatur quo evidentius convincimur hanc esse communem sententiam Canonistarum, ut probat Fagnanus in cap. *quanto* num. 106. de Translatione Episcopi, & in cap. *ex parte* n. 13. de Conversat. Conjug. & in cap. *ut privilegia* n. 30. de Privileg. & Iustus de Dispensat. lib. 2. c. 14. n. 79. Gonzales in cap. *insinuante* n. 11. qui Cler. vel Vov. & alii, qui præcipuo argumento Adversariorum petito a Concilio Tridentino, ubi dicit Anathema asserenti validum esse Matrimonium contractum post emissa Vota solemnia, non obstante lege *Ecclesiæ*, & *Voto*, ac si jus dirimendi in Voto proveniret non a solo jure Ecclesiastico, sed etiam a jure Naturali Divino cujus est ipsum Votum, respondent quod mens Concilii alia non fuit quam declarare Matrimonia Sacratorum Levitarum, & Professorum Regularium esse invalida, & quod neque per somnium cogitavit asserere quod Votum inhabilitet juræ Naturæ, quia in hac hypothesi non fuisset necessarium tale Decretum circa Regulares: qua de re observatur quod modus loquendi Concilii est copulativus, seu ut ajunt cumulativus, nam in Ordine Sacro, & Professione Religiosa adest Votum continentiæ, ut patet ex cap. unico cit. & ex Extravag. xxv. de Voto, & ita huic difficultati respondet de Lauræa disp. 30. de Matrim. a. 5. num. 126. qui etiam numero sequenti ostendit Religiosum, qui per Votum donavit se ipsum Religioni, non posse corpus suum alteri dare in Matrimonium, non per naturam Voti, sed per acceptationem jam factam per Superiores Religionis nomine Ecclesiæ, quæ si vult potest huic juri suo cedere, ut probant exempla ab historicis relata dispensationum a diversis Pontificibus concessarum, ut adstricti Voto solemni Castitatis possent ex justa, & gravi caussa licite, & valide Matrimonium inire. Sed de hoc argumento prolixius agemus, ubi sermo erit de Professione Religiosa, & de Cælibatu ab Ecclesia annexo S. Ordinibus in I. & II. Parte VIII. Tractatus.

XVI. Progredimur modo ad aliud Impedimentum quod *Impotentia* vocatur quia Matrimonii Officium impedit iis, qui eodem laborant, utpote qui fieri non possint una caro, & duo in carne una. Differt hæc impotentia ab impotentia ad generandum, quæ *Sterilitas* appellatur, & quæ licet fini principali Matrimonii opponatur, nimirum prolis generationi, tamen Matrimonii impedimentum non ponitur, quia secundarius finis sufficit, dummodo cetera concurrant, quæ pro remedio Concupiscentiæ Matrimonio assignantur, ut conjuges ad consummandum sint apti, tradunt enim sibi invicem Corpora ad hunc finem, ut in alterutrius Dominium transeant, & quamvis usus

a Do-

a Dominio sit diversus, nihilo tamen minus dominium transferri non potest quando usus est impossibilis, & hæc ratio est quare jure naturali dicitur irritum Matrimonium cum hac absoluta incapacitate congrediendi. Dixi *absoluta* nam si talis esset qualis occurrit in Casibus illis qui distincte ponuntur ab iis qui de regulis morum uberius differunt, hoc est nec perpetua, aut respectiva Leges Civiles, & Ecclesiasticæ consulendæ essent, quæ inveniuntur sub titulo de Frigidis, & Maleficiatis, & in Novellis Iustiniani nimirum 22. de Nuptiis cap. 6. in quibus temporis spatium decernitur biennale, vel triennale ad experiendum scilicet an ex medicamentis, aliisque remediis cesset coeundi impotentia, ut tandem perfecto opere Matrimonii constet validitas, aut aditus pateat novis Nuptiis, quas Rom. Ecclesia mulieri permittit ad quam Vir est impotens, ut contra Launojum ostenditur tum ex Gregorio II. in cap. *quod proposuisti*, tum ex Cælestino III. in cap. *laudabilem*, & ex libro 6. Capitulorum Caroli Magni cap. 55. in quo decernitur: *Si Vir & Mulier conjunxerint se in Matrimonium, & postea dixerit Mulier de Viro non posse nubere, hoc est copulari cum eo. Si poterit probare quod verum sit accipiat alium, eo quod juxta Apostolum non potuit illi reddere suum debitum*. Textus enim illi, quibus utitur Launojus in probationem suæ Propositionis, quorum alterum repetit a Gregorio hujus nominis I. qui a Gratiano refertur in caussa 33. q. 1. & alterum ex Stefano II. loquuntur, vel de Conjugibus, qui ambo simili impedimento tenentur, ut videri potest in exordiis capitis *requisivisti*, vel de Conjugibus, quorum alter factus est impotens post celebratum ante Matrimonium, & hoc præsertim notatur in cap 2. Epistolæ Stefani, in qua sic legitur: *Si quis se in Conjugio copulaverit, & uni eorum contigerit ut debitum reddere non possit, non liceat eos separare, nec pro alia infirmitate, excepto si Demonii infirmitas, aut Lepræ macula superveniret. Ceterum si ab his duabus infirmitatibus liberi fuerint invicem conjuncti, unus alteri servitium exhibeat, nam materia Matrimonii non est corpus tantum, sed corpus cum potestate coeundi*, ut Sixtus V. declaravit in Bulla *Cum frequenter* anni 1587. hinc fit quod etiamsi impotentia ignoraretur a Muliere, hæc non posset cum tali Viro Matrimonium contrahere, quia in quolibet contractu hoc universaliter tenetur, quod ille, qui est impotens (perpetuo scilicet) ad solvendum aliquid non reputatur idoneus ad Contractum illum, quo se obligat ad ejus solutionem. Secus vero dicendum esset, si impotentia prudenter crederetur temporalis, quæ si non ignoretur ab illo cum quo contrahitur, ostendit (docet Angelicus) quod alium finem ex Contractu quærat, & ideo quamvis non tollatur, non impedit quin sit verum Conjugium.

Notandum tamen, quod si talis impotentia esset diu duratura, nec de illa compartem moneret, graviter peccaret sic contrahens propter injuriam comparti irrogatam, subsisteret tamen Matrimonium, & multo magis si superveniret impotentia Matrimonio semel legitime contracto, etiam nondum consummato, ut decernitur in cap. *hi qui Matrimonium* 32. q. 7. & exemplum ponitur in aliis Contractibus, qui non dissolvuntur, licet res venditæ, aut traditæ deteriorentur, hic tamen locum haberet ingressus in Religionem, vel Pontificia dispensatio.

XVII. Dubitatur modo utrum defectus ætatis, aut gravis senecta hujus impotentiæ impedimentum inducat ex Lege Naturæ. Ad quod dubium respon-

ſponderi poteſt ſpectare ad Naturæ Legem Mulierem juniorem, & ætate teneram, virum quoque non ætate defecta eſſe debere, qui autem eſſe debeat annorum numerus a natura non docemur, ſed a Legibus Cæſareis, & Pontificiis, quæ Viro annum 14. ut ſit idoneus Matrimonio aſſignarunt, Mulierem vero eſſe nubilem, & Viro maturam tradiderunt, quæ duodecim annos nata eſt (quamquam legamus ante hos annos mares liberos genuiſſe, & fœminas peperiſſe) quia Legum conditores id in ea re, ſicut alias ſemper conſideraverunt, quod frequentius, & in pluribus accidit L. *nam de ea*. L. *neque Leges* D. de Legibus, & quia ut D. Hieronymus ſcripſit ad Vitalem *alias natura legem facere non poteſt*. Senioribus autem nemo inficiabitur poſſe naturam præſtare id quod ſolet Junioribus, cum nemo ſit adeo Senex, quin aliquando calere poſſit, vel natura, vel arte, ut dicit Gloſſa in cap. *Nuptiarum* verbo *In quibuſdam* 27. q. 1. nam Senes interdum aliquo beneficio moventur ad Coitum, ut dicit Gloſſa in cap. 2, extra de Frigidis, & Malefic, & confirmat Paulus Silentiarius in lib. 7. Epigrammatum, & Horatius in libro Carminam 4. Ode 1. *Intermiſſa Vernus = Rurſus bella movet*... Verum quia hoc raro accidit ipſæ Imperantium Leges hujuſmodi Nuptiis videntur adverſari. Scribit Plutarchus in Solone, Dionyſium Tyrannum jam vetulum cum rogaretur a Matre ut quamdam ex Civibus in Matrimonium acciperet reſpondiſſe: *Civitatis quidem Leges abrogari a Tyranno, naturæ autem leges cogi nullo modo poſſe ſi præter ætatem Uxori ſe junxerit. Hanc autem abſurditatem, ac deformitatem ſibi in Civitatem minime inducendam videri, nec permittendum, ut Affinitates alieno tempore fierent, quæ neque gratiæ quippiam, nec officii, nec finem Nuptiarum eſſent habituræ*. Huic plane conſonat id quod alibi ſancitum eſt, ne minor ſit 66. annis qui arrogat, quoniam magis liberorum propagationi ſtudere debet L. *Si Pater familias* §. ultimo D. de Adoptionibus, tamquam poſt hujuſmodi ætatem hujus rei vacationem natura ipſa dederit, & hinc eſt quod tum Medici, tum Theologi conveniunt quod hujuſmodi provectioris ætatis Viri inutiles ſint, effœti, ideſt coeundi, & giguendi vi, & poteſtate deſtituti, & exhauſti, non ſecus ac impuberes, ideoque tamquam perpetua impotentia laborantes haberi volunt, quia aut plane Semen non effundunt, aut certe infæcundum, aut male fæcundum emittunt. Quod etiam Albertus Magnus aſſeruit in libro de Animalibus 5. tract. 2. cap. 1. & lib. 10. tract. 2. cap. 1. Itemque *lex Papia Poppia* a Tiberio Cæſare edita, qua cautum eſt ne ſexagenarii Uxorem ducerent, tamquam ad generandum minime idonei, cujus legis meminit Tiraquellus in Claudio, & Seneca in libris Moralis Philoſophiæ, & Lactantius lib. 1. cap. 16. & Imperator in L. penultima C. de Nuptiis.


XVIII. Huic tamen opinioni non ſe ſubſcribunt Juris Canonici Interpretes, qui affirmant Matrimonia a Senibus etiam decrepitis contracta eſſe valida, quia ipſi retinent ſemper habitu intrinſecam potentiam ad Officia Naturæ, quamvis per accidens impedita ſit a Senectute, & Praxis Eccleſiæ idem confirmat, quæ ad humanitatis, & imbecillitatis ſolatium cap. *Nuptiarum* 27. q. 1. nulli Seni Matrimonium denegat; quemadmodum neque illud denegat moribundo, qui licet quando contrahit non ſit aptus ad copulam, tamen retinet potentiam ad illam. Sed ſi ignorantes ætatis alterius Conjugis Matrimonium ad prolem ſuſcipiendam contraherent, & ita eſſent Se-

Senio confecti, ut coire nequirent, illorum Matrimonium nullum esse, nec expectari debere triennium ad cognoscendam frigiditatem, probant Narbona de ætate an. 50. q. 6. & Arniseus, qui plura de Matrimonio Senum scribit agens de jure Connub. cap. 1. Sect. 4. aliique communiter. Nam in tali casu deficeret aptitudo ad copulam, scilicet unum ex bonis substantialibus Matrimoni, utpote contracti cum relatione ad Copulam non animo caste vivendi, in quo casu an tale Matrimonium posset sustineri infra demonstrabimus: & cum eadem aptitudo communiter non reperiatur in Impuberibus, statim pro infectis habentur eorum Matrimonia, & ab invicem separantur, Quod non ita continget si Matrimonium initum fuerit a Viro completo anno 14. & a Fœmina 12. nam in hoc casu expectari debet annus 18. Viri, & si duret impotentia, de ea incipiendum est agere. & triennii terminus assignari debet, ut constet illius natura, & ex quibus circumstantiis oriatur, quo elapso, si dubia adhuc res manserit Matrimonium irritabitur, quod consummari non potuit, utpote contractum cum Impotentia perpetua præcedente, quæ prohibet quod Matrimonii finis impleatur. Extenditur hæc doctrina etiam ad Eunuchos, & Spadones, quia sunt perpetuo impotentes, licet enim vas Mulieris penetrare valeant, attamen vel non seminant vel semen eorum aliud est a prolifico, & in hoc casu non est recedendum a laudata Xisti V. Constitutione, quæ eosdem a Mulieribus abstinere, vel si Nuptias contraxerint præcipit ne Locorum Ordinarii patiantur illos cum Uxoribus, quas videbantur duxisse, commorari.

XIX. Tertium impedimentum, quod non sine violatione Naturæ negligeretur a contrahentibus Nuptias est *Consanguinitas in primo gradu lineæ rectæ*. Consanguinitas, ut illam definiunt Juris interpretes est *vinculum Personarum ab eodem stipite descendentium carnali propagatione Contractum*; unde illi, qui sanguine inter se conjunguntur omnes Consanguinei appellantur ex L. 1. §. *Consanguineos* D. de suis, & legit. sive postea iidem descendant a Masculis, sive descendant a Fœminis, hoc est sive proprie Consanguinei sint, sive sint Cognati, ita dicti quasi ex uno, eodemque principio nati sint, & quasi commune nascendi initium habuerint L. 1. in principio D. unde Cognat. Hoc commune nascendi initium vocatur *Stipes Consanguinitatis*, cui natura sues limites tradidit, ut sanguinis via. cursusque inter Cognatos aperiretur. Habent & hi limites sua nomina, alter enim eorum vocatur *Rectus*, juxta quem plures Personæ ita ab ejus Stipite mediate, vel immediate descendunt, ut una sit ab altera genita, nuncupatur alter *Transversalis*, seu *Collateralis*, secundum quem variæ Personæ ab uno Stipite mediate, vel immediate proveniunt, ipsae tamen Personae a se invicem non descendunt; & hinc rursum natæ sunt Lineæ recte, & Transversales sic appellatæ, quia colligunt Personas ab uno Stipite descendentes. Prima Linea appellatur *Ascendentium*, & *Descendentium*, Ascendentium quidem dum a Genitis ad Progenitores progredimur. Descendentium vero cum e contrario a Progenitoribus genitos inquirimus. Secunda Linea dicitur *aequalium* & *inæqualium*. Vocatur equalium illa Linea, quae Personas ostendit a communi stipite aequaliter descendentes, videlicet Fratres, & eorum Filios. Altera est Linea inæqualium, quia Personas ostendit, quæ inæqualiter distant a communi stipite, ut Patruum, & Amitam respectu Consobrini. Demum hæ Personarum distantiæ vocantur *gradus*, quia per illos cognoscitur

tur quota Agnationis distantia duæ, pluresque Personæ ab invicem distant L. ultima v. *gradus* D. de Gradibus, & horum omnium complexus Consanguinitatis Arborem fingit, quae in hoc Schemate exhibetur.

ARBOR CONSANGUINITATIS



Linea Collaterali æqualis.

XX. Ut igitur illius ope varios gradus Cognationum dignoscamus triplici regula indigemus. quarum una lineæ rectæ gradus metitur, reliquæ vero ceteros notant, qui ad lineam pertinent Collateralium.

Prima igitur regula tradit tot gradibus inter se distare personas, quæ in linea recta reperiuntur, quot sunt Personæ ipsæ, quæ numerantur a communi Stipite, Excluditur ab hac enumeratione Stipes, cum Generatio inter duos detur, idest inter Patrem, & Filium; idcirco Pater, qui est Stirps secundum se nullum gradum constituit, & proptera demitur a numeratione.

Altera regula gradus notat Personarum, quæ reperiuntur in linea transversali æqualium, & docet easdem inter se distare tot gradibus, quantum earum singulæ distant a Stipite, dempto eodem Stipite.

Tertia demum regula metitur gradus Personarum, quæ reperiuntur in Linea transversali inæqualium, & docet quod quo gradu remotior distat a Stipite, eodem distant Personæ inter se, non numerato Stipite contra Regulam Juris Civilis, nam ubi computationes in Linea Recta æqualiter recensent Jus Civile, & Canonicum, in Linea Transversali discrepat, nam tot gradus enumerat, quot sunt Personæ, quæ computatio, si quo ad hæreditates, & tutelas observanda est, non certe observabitur in Matrimoniis contrahendis, quia *Nuptiæ*, ut inquit Alexander II. in cap. *ad sedem* 35. q. 3. *sine duabus personis fieri non valent, ideo Sacri Canones duas in uno gradu curarunt constituere personas*, nisi velimus asserere hoc observatum esse per Sacros Canones, quia Ecclesiæ Patres cum longius protraxissent Consanguinitatis impedimentum, ut incestus vitarentur, ideo in qualibet generatione unum tantum gradum agnoverunt.

XXI.

XXI. Diximus quod in Linea transversali inæqualium *quo gradu remotior distat a Stipite, eodem distant Personæ inter se*, & ratio hæc traditur ex Canonicis fontibus, nam cum Collaterales occasione tantum primi Stipitis sint inter se Consanguinei, illam tantum propinquitatem ad alium alterius Lineæ habere debent, quam iste habet ad ipsum Stipitem: cum igitur Consanguinitatis virtus quanto magis descendit, tanto magis debilitetur, ut loquitur textus in cap. *Consanguinitas* 34. q. 4. hinc sequitur quod remotior in gradu minus gaudebit de illius propinquitate, & propterea ille, qui distabit, ex. gr. per unam Lineam a communi Stipite 5. gradibus, poterit Matrimonium contrahere cum omnibus alterius Lineæ, etiam si alter distet solum primo gradu a communi Stipite. His constitutis sequitur modo, ut de prohibitione Nuptiarum loquamur inter Consanguineos.

XXII. Videtur non posse intelligi quare Consanguinei inter se Nuptias contrahere prohibeantur, & Lex Naturæ offendatur si contrahant in primo gradu Lineæ Rectæ. Nuptiæ inter Consanguineos non solum non improbantur, sed a Divinis, & humanis legibus præcipiuntur, & probro ducitur si extraneis nubant. *Numqnid non est Mulier* (ita cap. 14. Judicum Sampson a suis Parentibus sciscitatur) *in filiabus fratrum tuorum, quia vis accipere uxorem de Philisthiim, qui incircumcisi sunt*? Abraham Gen. 24. Isaac filio suo uxorem in Cognatione quæsivit, & cap. 28. Isaac Iacobum in Mesopotamiam misit, ut inde uxorem ex sua Cognatione duceret: & Numerorum cap. ultimo: Ne puella hæres extra Paternam Tribum, & Cognationem nuberet cavebatur omnino. Romani etiam cum Peregrinis Nuptias prohibuerunt. Ab Atheniensibus idem observabatur ex Terentio in Phormione, & in Adelpho: *hæc virgo orba est Patre, hic meus amicus illi genere est proximus, huic leges cogunt nubere*: & Diodorus Bibliothecæ lib. 12. eamdem legem fuisse tradit etiam apud Thurios. Imo eo progressa consuetudo est apud Gentes quamplurimas, ut Matrimonia cum Matribus, & Sororibus admitterent, & laudarent, ut de Persis scripsit Philo in Legibus Mosaicis: *Honoratiores inter illos cum matribus contrahere Matrimonia, & natos inde arbitrari nobilissimos*: sed utcumque fuerit de ceteris Nationibus, Romani certe hujusmodi Nuptias nefarias, & incestuosas prorsus existimarunt, & ut scribit Plutarchus in Problematis Roman. cap. 6. qui se necessitudine aliqua attigissent, nullo pacto in Matrimonium coibant. Postea vero Plebiscitum factum est ut in ducendis uxoribus ad Neptes usque descendere liceret, superior autem necessitudo prohiberetur. Tandem sancitum est ne inter eas Personas, quæ Parentum, liberorumque locum obtinent Nuptiæ contrahi possent, veluti inter Patrem, & Filiam, Avum, & Neptem, Matrem & Filium, Aviam & Nepotem, & deinceps in infinitum. Hujus prohibitionis multiplicem tradiderunt rationem Sæculi Sapientes, & Ecclesiæ Patres. Verum hujus interdicti inter eos Matrimonii caussa ad naturam referenda est, quæ ipsa quoque Animalia Bruta non infrequenter docuit nefandos illos, & ominosos concubitus renuere, aspernari, refugere, detestari, ut refert Aristoteles in lib. 9. Animalium cap. 47. & Elianus lib. 5. ejusdem historiae & Didymus in suis Georgicis, & Avicenna, aliique. Hinc Socrates apud Xenophontem libro 3. Memorabilium asseruit Legem hanc a Diis conditam, ac positam esse ne Parentes filiis miscerentur, ne filii Parentibus, ut nos possumus efficaciori argumento probare, qui legimus tamquam nefandum repro-

batum Loth cum filiabus suis concubitum Gen. 19. nimirum diutius ante Leges Mosaicas, quæ primæ omnium Legum fuerunt. Et sane innordinatum est, & inconveniens maximum, & rationi naturali repugnans quod filius, aut filia, quos natura jubet Patri, aut Matri per omnia subjici, & honorificentiam exhibere, velut ex eis immediate procedentes, illis per Matrimonium associentur ut æquales, caussa generandæ, & educandæ prolis, ac per Matrimonii usum eorum turpitudinem revelent. Quare Paulus in L. finali D. de Ritu Nuptiar. *Incestum jure Gentium* ait *committi in Conjunctionibus primi gradus Lineæ Rectæ*, & fœminas ipsas etiam ratione infirmitatis sexus non posse petere hujus criminis veniam scripsit Papinianus in L. *Si adulterium* 38. §. 1. v. *quare* D. ad L. *Iuliam* de Adult. cum Naturalis Juris utpote non scripti, sed innati ignorantia defendi nequeat L. *auxilium* 37. D. de Jur. & Fact. ignorantia: Neque multum interest an ex justis, vel injustis Nuptiis hujusmodi Personarum conjunctio descendat, ut variis cumulatis juribus DD. concludunt. Hoc eodem argumento utuntur illi, qui putant inter omnes Ascendentes, & Descendentes in infinitum prohiberi Matrimonium a Jure Divino, & Naturali; tamen negativa sententia est communior, quæ ultra primum gradum hanc prohibitionem non extendit in vi Juris Naturalis argumento petito tum a S. Canonibus, qui hanc prohibitionem non omitterent, neque indistincte dicerent impedimentum hoc ultra quartum gradum non extendi, ut legitur in cap. *non debet* hoc tit. tum etiam quia Avus, & alii Ascendentes respectu Descendentium, Nepotum, & Inferiorum sunt principium accidentale tantum eorumdem, cum verum eorum Principium sit solus Pater, ideoque si fieret inter eos Matrimonium, non esset talis irreverentia, quae Jus Naturæ offenderet, licet tamen talis sit, ut sufficienter moveat omnes Legislatores, ut hujusmodi Matrimonia prohibeant, saltem inter propinquiores, & hoc est quod docuit D. Thomas 2. 2. q. 154. a. 9. ad 3. his verbis: *Ad tertium dicendum quod in commixtione personarum conjunctarum aliquid est, quod est secundum se indecens, & repugnans rationi naturali, sicut quod commixtio fiat inter Parentes & Filias, quorum est per se immediata cognatio, nam filii naturaliter debent honorem Parentibus .... Aliæ vero Personæ, quæ non conjunguntur secundum se ipsas, sed per ordinem ad Parentes, non habent ita ex seipsis indecentiam, sed variatur circa hoc decentia, vel indecentia secundum consuetudinem, & legem (humanam, vel Divinam,) quia usus venereorum, quia ordinatur ad bonum commune, subjacet Legi*, & ideo attento hoc communi bono in cap. *gaudemus* de Divortiis Pontifex indistincte concedit Infidelibus ad fidem conversis, qui ante conversionem Matrimonium contraxerant in secundo gradu (quia tunc nisi a primo gradu tenebantur abstinere) ut non separentur, & Concilium Tridentinum Sess. xxiv. cap. 5. ob publicam caussam in eodem secundo gradu inter magnos Principes dispensat, quia bene noverant sapientissimi illi Patres tale impedimentum a Jure Naturæ non procedere, sed revocandum esse vel ad Jus Divinum, vel ad Jus humanum, ut idem Angelicus docuit in Supplemento quæstione 54. a. 3.

XXIII. Neque pluris facienda est illorum sententia, quæ a Lege Naturæ impedimentum repetit, ne Matrimonia fiant in primo gradu Lineæ Transversalis, cum superiora, argumenta quibus utuntur Doctores illi, qui hanc opinionem tuentur non satis sint firma, si referantur ad ea, quæ initio Naturæ con-

conditæ contigerunt. Quis enim arbitrabitur Auctorem Naturæ ipsius Naturæ limites tunc transgredi voluisse, & ipsum Matrimonium ita instituisse, ut statim necesse fuerit in Filiis Adæ ejus conditionem immutare, Fratres, & Sorores copulando? Nonne Deus qui creavit hominem masculum, & fœminam, potius alios creavisset homines, quam voluisset Naturæ Jura pervertere, & Matrimonii institutionem? Omitto illa argumenta quæ Scriptura suppeditat in Responsione Abrahæ Abimelecho Regi Geraræ Genes. 20. & in Consilio Thamar Filiæ David Ammon Fratri suo Reg. 13. non quia clarissimi Interpretes Rinanus, & Cornelius a Lapide non Sororem fuisse Saram, sed Neptem Abrahami velint, & alii tradant Thamar consilium illud arripuisse, ut se liberaret de manu Fratris impudici; sed quia nobis satis est adnotare, quod licet Frater, & Soror sint in primo gradu, ut sunt Pater, & Filia, & licet sit utrinque indecentia, longe tamen major est in istis, quam in illis; ut dici non debeat ab Auctore Naturæ Matrimonia illorum reprobari, ut Naturæ ipsi repugnantia. Ostenditur hoc ex diversa Conjunctione quam habent inter se Geniti, & quam habent Genitores cum genitis. Certe arctius est vinculum inter caussam & effectum, quam inter duos effectus ejusdem caussæ: igitur ex natura ipsa Consanguinitatis conjunctiores erunt Parentes filiis, quorum sunt Caussæ, quam filii ipsi inter se, qui sunt effectus: nihil igitur officit, quod attenta propinquitate tam parentes a filiis, quam filii æqualiter distent inter se, hoc ipso quod inter se minus sunt conjuncti in ratione ejusdem Consanguinitatis, quæ sola fundamentum præbet illi indecentiæ, quam Natura ita abhorret, ut non sine illius violatione negligatur a contrahentibus hujusmodi Nuptias. Merito igitur a positivis Legibus ortum dicimus impedimentum in primo gradu Lineæ Transversalis, & a Consuetudine ipsa, quæ hujusmodi Matrimonia reddere potuit exosa ipsis Persis, & Egyptiis quod Abrahæ sufficiebat, nam cum illi Barbari Reges audivissent Saram esse ejus Sororem, & certo crederent non potuisse esse ejus uxorem, quia Sorores repellerentur a Matrimonio hac vana illorum fide propriæ vitæ, cujus infelicem exitum verebatur propter Saræ pulchritudinem, consuluisset, ut consuluisset suo pudori Thamar si Frater Amon eamdem a Patre petiisset uxorem. Verum qui diversimode a nobis sentiunt in hujusmodi historiarum narratione, eosdem oportet explicare sensum verborum, quæ Abraham respondit Abimelch conquerenti se ab illo fuisse deceptum, id nimirum se fecisse, quod suspicabatur in eo loco non esse timorem Dei; & ne metus caussa ipsum fuisse mentitum crederet, addidit: *Alias autem, & vere mea Soror est filia Patris mei, & non filia matris meæ, & duxi eam in uxorem*. Quid quæso apertius respondere poterat Abraham, quid luculentius ad confirmationem hujus opinionis? Certe ita senserunt D. Hieronymus in quæstionibus hebraicis in Genesim, & Clemens Alexandrinus lib. 2. Strom. cap. 12. Ita pariter explicare tenentur quomodo Thamar credere non potuerit Davidem Patrem potuisse illi dare in Conjugem Fratrem Amon videns enim se derelictam a Fratre cur dixit: *Majus est hoc malum quod nunc agis adversum me expellens me*, nisi quia non obstare sciebat post pudicitiam violatam se posse uxorem a Fratre retineri.

XXIV. Verum & huic Sententiæ plura favent Concilia, inter quæ Epaunense can. 30. Aurelianense IV. can. 27. Turonense II. can. 22. & Agathense relatum in cap. *de Incestis* 35. q. 3. ubi inter alias incestuosas conjun-

ctio-

ctiones prohibet ne Frater germanam suam accipiat uxorem, & in ver. *quod si* concludit se *non dissolvere antea secus celebrata Conjugia, utpote praecedente Pontificia venia*. Consueverunt ergo super hoc impedimento Pontifices dispensare, ut dispensasse Martinum V. testantur Navarrus, & Cajetanus in Opusculo de Matrimonio Regis Angliae, & Silvester in Summa, verbo *Papa* q. 17. Manet ergo probatum in primo gradu Lineae Transversalis Matrimonium Jure Naturae non prohiberi, sed ab aliis juribus, quorum textus vel leguntur in Codice, vel in Corpore Canonum, in quibus videmus impedimentum Consanguinitatis olim ad VII. gradum descendisse, modo vero in IV. compleri juxta dispositionem Lateranensis IV. Concilii sub Innocentio III. in can. 50. ubi sic legitur: *Probibitio quoque Copulae Conjugalis* IV. *Consanguinitatis gradum de cetero non excedat, quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest absque gravi dispendio hujusmodi probibitio generaliter observari*. Paulo remissior est praxis Graecorum, apud quos Nuptiae vetantur, ut videre est in Jure Orientali ad sextam usque personam inclusive juxta eorum computationem, hoc est usque ad III. inclusive; solent enim Graeci sequi civilem computandi modum, cujus duae Personae gradum unum juxta morem Canonicum constituunt. Optaverat Innocentius IV. Latinorum morem extendere ad Ecclesiam Graecam Regni Cypri; ut constat ex ejus Epistola, quae est 10. ad Ottonem Cardinalem Tusculanum, sed re melius perpensa nihil mutationis invectum est in eorum disciplina.

XXV. Eisdem tum Ecclesiasticis tum Civilibus Legibus debentur Impedimenta, quae *Spiritualis Cognatio* indicit orta ex Collatione Baptismi, & Confirmationis, & licet non satis certum sit, quo tempore incoeperit haec disciplina; tamen creditur incoepisse ante finem Saeculi IV. cum Justinianus in Codice lib. 5. tit 4. cap. 26. de hoc impedimento agat, & Pontifices Julius, & primus Innocentius de Casu ad illud impedimentum pertinente consulti fuerint ipso IV. Ecclesiae Saeculo. Variae olim fuerunt hujus Cognationis species. Nam in Jure antiquo tres illius species memorantur his nominibus insignitae *Paternitatis, Compaternitatis, & Fraternitatis*. In Consultis Bulgarorum Nicolaus I. haec de *Paternitate* scribit: *diligere debet homo eum, qui se suscipit de Sacro fonte sicut Patrem*. In Epistola Salomoni Constantiensi data agens de *Compaternitate*, ita scribit: *cum constet, quia vir, & mulier una caro per Connubium efficiuntur, restat nimirum virum Compatrem constitui illi mulieri, cujus Matrimonio assumpta uxor Commater esse videbatur, & idcirco liquet virum illi feminae non posse jungi in copula, quae Commater ejus erat, cum qua fuerat una caro effectus*. *De Fraternitate* demum agit Zacharias Papa apud Gratianum 30. q. 4. cap. 3. ubi dicit: *cum a propria Consanguinitate jubemur abstinere, multo magis a Spirituali nostri Patris filia, omni excusatione, aut argumento seposito sub nimia districtione nos cavere convenit*. Jure tamen novo, nimirum a Synodo Tridentina Confraternitas fuit abrogata, restricta Paternitas, & reducta Compaternitas, nam Sess. XXIV. cap. 2. de Reformat. Matrimonii decretum est, *ut unus tantum, sive vir, sive mulier juxta Sacr. Can. instituta, vel ad summum unus, & una Baptizatum de Baptismo suscipiant, inter quos, ac Baptizatum ipsum, & illius Patrem, & Matrem; nec non inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique Patrem, ac Matrem tantum Spiritualis Cognatio contrahatur. Ea quoque Cognatio, quae ex Confirmatione contrahitur Confirmantem, & Confirmatum, illiusque Patrem,*

trem, & Matrem, ac tenentem non egrediatur. Patet igitur ex his, quod Paternitas reperitur inter baptizantem, & suscipientem ex una parte, & baptizatum ex altera, Compaternitatem vero esse inter baptizantem, & suscipientem ex una parte, & Parentes baptizati ex altera, & Cognationem spiritualem optime describi posse, *propinquantem quamdam Personarum jure Ecclesiastico introductam ratione generationis Spiritualis in Baptismo, aut Confirmatione*.

XXVI. Modo notandum est, quod ut hæc Cognatio Matrimonium impediat debet illud præcedere non subsequi, nam si subsequeretur non dirimeret Matrimonium, sed usum ejus impediret, nisi fortasse ex necessitate factum esset, quod Pater debuisset infantem baptizare, quod extenditur etiam ad eumdem Casum, si Matrimonium præcederet, quia sine culpa, & propter actum bonum, imo & necessarium nemo debet gravamen ferre, ut dictum est, licet non desint, qui oppositum sentiant. Conveniunt tamen omnes in hoc, quod ut Cognatio Spiritualis contrahatur in Baptismo (1) Sacramentum hoc oportet, quod valide conferatur, sive Domi, sive in Ecclesia, sive cum debitis Cæremoniis, vel sine illis (ex quibus solis nulla contrahitur Cognatio) sive in necessitate, sive extra sit Ministratum (2) quod Susceptores sint baptizati, & sint Confirmati, si agitur de Sacramento Confirmationis (3) quod iidem susceptores sint a Parentibus, vel saltem a Parocho specialiter designati. Ita Tridentinum Concilium in laudato Decreto; quia in re notandum est, quod si destinati a Parentibus non admitterentur a Parocho, vel designati a Parocho non destinarentur a Parentibus, neutri Cognationem contraherent, unde simul requiritur, & designatio Parentum, & Parochi acceptatio: 4 demum, quod non sint a jure prohibiti, ut prohibentur infantes, qui carent usu rationis, hæretici, excommunicati, publici pœnitentes, Monachi, Sanctimoniales, Regulares omnes mendicantes, nisi essent Episcopi, vel ad Cardinalatum promoti, hi enim non sunt amplius prohibiti fungi hoc Patrinorum Officio.

XXVII. Notandum ulterius est, quod quemadmodum Cognatio Carnalis ex multiplici gradu augetur, ita & spiritualis, si alter alterius prolem invicem suscipiat, vel in diversis Sacramentis Baptismo scilicet, & Confirmatione, quæ circumstantia debet exprimi, si casus occurrat petendæ dispensationis; verum tamen est, quod non duplicatur hæc Cognatio, si ejusdem Patris quis plures filios suscipiat; quod si quis post contractam hanc Cognationem nuberet filiæ baptizatæ, vel ejus Matri non petita, & impetrata dispensatione, excommunicationem incurreret expressam in Sacris Canonibus, & præsertim in Clementina prima de Consangu. & Affini. quidquid aliqui in contrarium affirment, & filii ex his Nuptiis procreati Spurii essent, & illegitimi.

XXVIII. Datur etiam tertia species Cognationis, quæ dicitur *Legalis*, & quæ Matrimonium impedit non inspecto Jure Naturæ, cum fundamentum illius in sola Lege ponatur, & definitur *propinquitas ex Adoptione, aut Arrogatione proveniens* Peculiare habet Adoptio, quod supponit Personam, quæ adoptari debet extraneam omninò, & propterea describitur *gratuita vocatio Extranei, vel in Filium, vel Nepotem ad hereditatem*. Arrogatio e contra supponit Personam sui juris. Habet hoc etiam speciale Adoptio, quod vult conditionem filii familias, quam conditionem non exigit Arrogatio,

Eman-

Emancipatur Adoptatus, non vero Arrogatus; sed si Emancipato præmoriatur Adoptans, Adoptatus retinet jus Liberorum, & adit defuncti hæreditatem, Arrogatus vero est hæres necessarius. His præmissis adverto, quod cum Adoptio Legibus ideo inducta, & probata sit, ut is qui natura filius non erat, per gratuitam assumptionem in filii locum reciperetur, consequens fuit, ut nec etiam inter eos posset vinculum Matrimonii intercedere, & hoc adeo verum est, ut etiam soluto, vel per mortem patris Adoptantis, vel per Emancipationem Adodtati hac Legali Cognatione Matrimonii impeimpedimentum maneat inter Adoptantem, & Adoptatum, & generaliter inter omnes Personas, quæ propter Adoptionem Parentum, Liberorumque loco sunt ex Nicolao I. in responsis ad Consulta Bulgarorum capite secundo, & Legibus Romanis, quas idem Pontifey citat, videlicet L. lib. 23. tit. 2. de Ritu Nuptiarum, non vero inter Liberos Adoptantis, & filiam Adoptatam, aut inter Emancipatum, & filiam Adoptantis, si fuerit soluta, vel per mortem Patris Legalis, vel per Emancipationem Adoptati, quia quoad hos casus Emancipatus evadit extraneus in L. ibidem, cujus discriminis rationem suppeditat Publica honestas, & reverentia, quæ major esse debet erga eos, qui nobis Patris, Matrisque loco fuere, quam erga eos, qui fratrum, aut sororum nomem propter Adoptionem aliquando habuerunt.

XXIX. Dixi *ex Nicolao I.* quia in universo Corpore Juris nullus alius textus reperitur firmans hoc impedimentum Cognationis Legalis, aut aliquid de illa disponens, sed *dispositio* Nicolai in perpetua Consuetudine Ecclesiæ fuit. Nicolai Decretum refertur a Gratiano in cap. *ita diligere* 30. q. 3. & in cap. si qua, de Cognat. Legal.

XXX. Sequitur ex his, quod si filii fuerint Adoptato, iidemque sub Patria Potestate Adoptantis, inter illos, & Patrem, & Matrem Adoptantis non subsistit Matrimonium L. *si Pater familias* D. de Adoptio, secus vero contingeret si hujusmodi filii, aut alii Descendentes ab Adoptato nunquam fuissent in Patria Potestate Adoptantis, & multo magis cum filiabus filiæ Adoptatæ, quæ caret Patria Potestate in suam filiam §. *Fæminæ* Institut. de Adoption. Extenditur hæc doctrina ad filios Naturales, & illegitimos ejusdem Adoptantis, qui possunt Matrimonium contrahere cum filiis Adoptati, quia Patria Potestas sub se non continet illegitimos Filios §. ultimo Innitut. de Nuptiis, idemque dicitur de Filiabus illegitimis Adoptatis cum Adoptante. Accedit his, quod si plures fuerint Adoptati ab eodem Adoptante, & singuli filios habeant, & filias poterunt ad invicem in Matrimooium copulari, cum Legalis cognatio ad illos non extendatur juxta communem Sententiam. Demum, ut notat Justus de Dispensat. Matrim. lib. 2. cap. 6. n. 88. Si Legalis Cognatio Nuptias subsequitur, ut accideret si vir cum sua Conjuge, aut Gener Adoptaretur a Socero defraudari non debunt Matrimonii usu hujusmodi Conjuges, cum a nulla Lege prohibeantur.

XXXI. Quia contingit, quod apud varios Auctores leguntur Lineæ tam Spiritualis, quam Legalis Cognationis, oportet scire, quod antiquitus tres erant Lineæ Cognationis Spiritualis nominibus superius positis connotatæ, videlicet *Paternitatis*, *Compaternitatis*, *& Fraternitatis*. In prima notabantur baptizans, & baptizatus; sive Confirmans, & Confirmatus, Patrinus baptizati, vel Confirmati, & Baptizatus, & Confirmatus. In secunda ponebantur naturales Patres Baptizati, vel Confirmati, & Baptizans, vel Confirmans,

mans, & Patrini Baptismi, & Confirmationis, & Parentes Baptizati, vel Confirmati, qui erant Compatres Baptizantis, vel Confirmantis, & Patrinorum. In tertia ponebantur Baptizati, vel Confirmati, & filii naturales Baptizantis, vel Confirmantis, & Filii Patrinorum. Sed Concilium Tridentinum justis de Caussis hanc Cognationem restrinxit, & coarctavit modo superius explicato.

XXXII. Tres pariter Lineæ inveniuntur in Cognatione Legali. Prima Linea, quæ dicitur *Recta*, & vocatur etiam Linea *Paternitatis*, & quasi *Ascendentium*, & *Descendentium* comprehendit Adoptantem, Adoptatum, & ejus filios, ac nepotes. Secunda Linea, quæ dicitur *Transversalis*, & *Confraternitatis* continet Adoptatos, & filios naturales, ac legitimos ipsius Adoptantis. Tertia dicitur Linea *Affinitatis legalis*, & in ea reperiuntur Adoptans, atque uxor Adoptati, & uxor Adoptantis, & ipse Adoptatus, & inter omnes has Personas juxta superiores limitationes dirimitur Matrimonium, sive casus contigat in Adoptione perfecta, quæ dicitur Arrogatio, sive in imperfecta, quæ vocatur simpliciter Adoptio juxta opinionem Glossæ in cap. unico de Cognatione Legali verbo *Quandiu*, ubi dicitur: *Tam Adoptati, quam Arrogati sunt filii Adoptivi, sive fratres*, & infra. *Per Decretalem istam, quæ indistincte loquitur de Adoptione, non distinguendo inter Adoptatum, hoc idem videtur*: & juxta aliam Glossam in Summa 30. q. 3. in qua dicitur: *Legalis Cognatio est, quæ fit per Arrogationem, vel per Adoptionem*, cujus tanta est Auctoritas, ut ostendit Fagnanus in cap. *cum vos* in fine de Officio Ordinarii, ut prævalere debeat Opinioni illorum DD. qui affirmant ex sola Adoptione perfecta hoc Impedimentum dirimens provenire.

XXXIII. De illis Conjunctionibus huc usque egimus, in quibus plures Personæ in Parentela conjunguntur, & approximantur, vel per descendentiam ab eodem Sanguine, vel per Sacramenti, aut Civilis Actus constitutionem. Reliquum est, ut de Conjunctione illorum agamus, qui cum carnaliter aliquam Personam agnoscunt colligantur cum ipsa Persona carnaliter cognita, & evadunt ejus Affines. *Affinitas* igitur, si res ipsa exquiratur a jure Civili definitur: *vinculum ex justis Nuptiis procedens* lib. 4. §. *Affinis*, & §. *sciendum* D. de Gradibus, quo fundamento Juris Interpretes, nec Cognationem, nec Affinitatem esse posse sine justis Nuptiis communiter asserunt. Non ita vero, si eadem res secundum Canones inspiciatur, a quibus Affinitas definitur, *ut sit Proximitas Personarum ex carnali copula procedens omni carens parentela*, sive deinde copula sit licita, vel nefaria, sive voluntaria, sive invita, sive cum ignorante, cum dormiente, vel ebria, vel insana, dumodo ad generationem sit apta, ex quo sequitur a nullo alio actu impudico, & turpi, aut quolibet alio fœdissimo impudicitiæ enormis Commercio oriri Affinitatem, quæ in definitione omni parentela carere dicitur, quia Consanguinitas per se Affinitati non convenit, licet aliunde, qui Affines sunt Consanguinei esse possint. Ex hoc vero, quod jus Civile, & Canonicum differant in præscribenda origine Affinitatis, debet intelligi, quod jus Civile Affines contemplatur in ordine ad delationem hæreditatis. Jus vero Canonicum quoad prohibitionem Matrimonii. Illud etiam adverti debet, quod conditio apposita ad contrahendam Affinitatem, licet in senibus, & sterilibus compleri non possit, adhuc tamen ex illorum Conjunctionibus completis Affinitas oritur, quia tales quantum sunt ex se sufficiunt, & ordinantur ad generationem. Porro illud est peculiare Affini-

finitati, quod gradus non habeat, sed ratione solum Consanguinitatis, cui tantum Carnis propagatio per se, & immediate comparatur; unde fit, ut Uxoris Consanguinei eodem gradu Marito Affines sint, quo uxori Consanguinitate junguntur.

XXXIV. Antiquitus triplex erat Affinitas. Prima contrahebatur, per primum Matrimonium Consummatum inter omnes Consanguineos Viri, & Consanguineos Uxoris; ita ut Nuptiæ inter hos Consanguineos, & superstitem Conjugem prohiberentur cap. *non debet* de Consanguin. Secunda contrahebatur per secundas Nuptias a superstite muliere initas, cum alio viro per quas huic secundo viro fiebant Affines omnes Consanguinei masculi, & fœminæ primi Mariti; ita ut mortua hac uxore, Vir superstes Matrimonium non poterat contrahere, usque ad 4. gradum cum aliqua ex his Consanguineis primi Mariti ex cap. *de propinquis* 35. q. 3. Tertia tandem Affinitas constituebatur per Nuptias hujus secundi Mariti cum extranea muliere, cui mulieri reddebantur Affines, non solum omnes Consanguinei sui Mariti, sed etiam Consanguinei præmortuæ uxoris, cum quibus suo viro defuncto usque ad 2. gradum non potuisset copulari cap. *Porro* eadem caussa 35. q. 3. & hic mos ab Exordiis Ecclesiæ usque ad Sæculum XIII. pervenit, quando nimirum in IV. Lateranensi Concilio hæc disciplina immutata fuit, & ex tribus Affinitatis generibus primum solum retineri PP. illis visum est, & duo posteriora omnino tollere, unde nata est illa Regula: *Affinitas Affinitatem non parit*, neque Affinis uxoris est Affinis viri, & vicissim. Dixi *ab Exordiis Ecclesiæ*, nam quilibet, vel leviter in Sacris litteris versatus videt, quod tam ante promulgatam Moysis legem, & post ejusdem Legis promulgationem licebant Matrimonia, & valebant inter Affines in primo Lineæ callateralis gradu contracta, ut constat ex Matrimonio Jacob, qui cognita Lia postea cum Rachele sorore contraxit, & ex Nuptiis Onam cum Tamar uxore fratris illius cap. 38. Gen. quod postea sub præcepto Hebræis imperatum fuit a Moyse cap. 25. Deuteron. dum Fratres sine liberis moriebantur, ut nimirum Uxor defuncti alteri non nuberet, sed acciperet eam Frater ejus, & suscitaret semen Fratris sui.

XXXV. De Jure Novo Affinitas alia est quæ exsurgit ex copula licita, & alia quæ nascitur ex illicita. Alia Affinitas dicitur *Linea recta*, alia vocatur *Linea transversalis*. In Linea recta ponuntur Avus, Pater, & ejus Filius, qui duxit Uxorem cum sua Uxore, sequuntur Uxores Filiorum, Nepotum, & Pronepotum descendentium ab eodem Avo. In Linea transversali Fratris Uxor, Sororis Filiæ, Sororis Neptes, Sororis Proneptes cum suis Viris. Ut igitur innotescant graduum differentiæ, quando opus fuerit easdem inquirere, ennumerationis initium peti debet ab ipsis Conjugibus, qui propterea Stipes, sive principium Affinitatis appellantur. & quota erit illorum distantia ab illa Persona, de qua est quæstio in gradibus Consanguinitatis, tot gradibus Affinitatis inter se distabant, quia in eodem gradu Affinitatis sunt cum Conjuge sui Consanguinei, in quo ei conjunguntur per Consanguinitatem, & subinde in quoto gradu Consanguinitatis Parentes Viri sunt cum ipso Viro, in eodem gradu Affinitatis dicuntur cum ejus Viro. Constat igitur, quod per Conjugalem copulam mutatur genus parentelæ inter Conjugum Consanguineos, qui nuncupantur Affines, sed non mutatur gradus: *Mutat nupta genus, non generata gradus*, ut loquitur Glossa

in

in cit. cap. *non debet* de Consang. & Affin. Exposita regula Computationis graduum Affinitatis, quorum quatuor numerantur in Legitimis Nuptiis, & duo in illegitimis, ex jure medio, & novissimo, videlicet a Concilio Lateranensi IV. & Concilio Tridentino Sess. XXIV. de Matrimonio cap. 4. nam in jure antiquo nonnisi post VII. gradum permittebantur Matrimonia inter Affines, modo inquirendum est unde habet Affinitas quod dirimat Matrimonium?

XXXVI. Gravissimæ hujus quæstionis solutionem concertantes tradiderunt tum Theologi, tum Juris Interpretes, non quod dubitaverint hoc Impedimentum Matrimonio factum fuisse a Jure Ecclesiastico, cum prohibitionis hujus in diversis temporibus proferantur Ecclesiæ Decreta in toto textu Canonico ab anno 150. in Pontificatu Hygini, deinde Fabiani, postea Innocentii I. Julii I. & Zachariæ, & aliorum usque ad VII. gradum, postea usque ad IV. in Concilio Lateranensi IV. can. 50. sed quia singuli distinguentes Affinitatem ex copula Fornicaria, ab Affinitate, quæ oritur ex legitimis Nuptiis, cum unanimiter convenissent in asserendo primam Affinitatem non inducere Impedimentum ex Jure Naturæ in quacumque Linea, vel recta, vel transversali, postea in diversas abierunt opiniones in asserenda ejusdem Impedimenti origine, quando Affinitas insurgit ex copula Maritali. Doctorum itaque non pauci volunt tam in primo gradu Lineæ rectæ, quam in primo Lineæ transversalis Matrimonium dirimi a Jure Naturæ, ita ut inter Novercam & Privignum, inter Socerum & Nurum, qui in Linea recta primo Affinitatis gradu conjunguntur, & inter uxorem Fratris defuncti, cum alio Fratre vivente, & inter Maritum uxoris defunctæ, cum Sorore ejusdem uxoris, qui sunt in primo gradu Lineæ transversæ, Nuptiæ celebrari non possint. Dividuntur ab his non pauci, qui dum primæ parti prioris sententiæ se subscribunt, alteri omninò repugnant. Postrema tandem opinio est, quod in nullo gradu, sive Linea sit recta, sive sit transversalis hoc Impedimentum Legi Naturæ debeatur; ita ut per Apostolicam dispensationem licite, & valide Matrimonia iniri possint in primo gradu utriusque Lineæ. Habent singulæ hæ Sententiæ sua argumenta, quæ cum parum differant a momentis illis, quæ superius attulimus agentes de Impedimentis primi gradus Consanguinitatis in alterutra Linea, recta videlicet, & transversali, eadem referre supersedemus, & dicimus probabiliorem esse hanc postremam opinionem, cui duce Angelico Præceptore in 2. 2. q. 154. in solutione ad 3. adhæremus, eo vel maxime, quod Canonicis Auctoritatibus innitatur, quæ probant lege tantum Ecclesiastica hujusmodi Matrimonia prohiberi. Textus est clarus in cap. *de Incestis* 35. q. 3. ubi præcipitur Matrimonia inter Affines primi gradus ante illam prohibitionem contracta dissolvenda non esse: supponit ergo Jure Naturali valere. In can. 10. Concilii Aurelianensis decernitur hujusmodi Matrimonia in Infidelitate contracta accedente Baptismo non debere dissolvi: ergo Jure Gentium non fuerunt illicita, & hoc confirmat id, quod 3. Reg. cap. 2. legitur de Adonia, qui a Salomone sibi petiit in uxorem Abisaag Sunamitidem uxorem David Patris sui. Præterea non videtur major Indecentia, & repugnantia in Matrimonio Affinium primi gradus Lineæ rectæ, quam in Matrimonio Consanguineorum primi gradus in Linea transversali, quia licet prima indecentia excedat secundam propter conditionem superiorum, & inferiorum, tamen secunda excedit ratione longe strictiori vinculo Consanguinitatis. Cum ita-

itaque hæc non sit tanta, ut ipso Jure Naturæ illud dirimat; ut superius probavimus, igitur etiam dato, quod sit major indecentia, tamen non est ratio, quæ evincat, quod tanta sit, & talis, quæ ex natura rei dirimat, & irritet Matrimonium. Hinc est, quod si legatur apud Angelicum Præceptorem in Commentar. in Epist. 2. ad Cor. cap. 7. *quod uxor Patris repellitur a Matrimonio sicut Persona Patris, vel Matris*, reponimus S. Doctorem ibi paritatem constituere in Impedimento, non in *jure obligante* (ut ajunt) *& statuente*, vel illum loqui de Matrimonio quoad rationem illiciti, quam rationem etiam S. Augustinus observat in lib. 22. contra Faustum cap. 61. ubi inter cetera scribit: *si vir, & uxor non duo, sed una Caro sunt, non aliter est nurus deputanda, quam filia, hoc est per similitudinem, non per proprietatem. Nurus enim vere, & proprie non est filia soceri, sed tamquam filia*. Nec facit, quod in Scriptura Levit. 18. eodem contextu interdictæ fuerint Nuptiæ in primo gradu Consanguinitatis, & Affinitatis, ut contraria Assertio firmetur, nam ibi, ita in gradibus ulterioribus, & Lineis diversis interdicuntur, & tamen non ab eodem Jure Naturæ caussa oritur hujus interdicti; præterquamquod illæ prohibitiones spectabant ad præcepta judicialia, quæ veteri Testamento abrogato interierunt, nam translato Sacerdotio, ut ad Hebræos 7. Legis quoque translatio facta fuit. In Lege autem Evangelica nullum inductum est Impedimentum de Jure Divino in his gradibus Affinitatis, & Christus Dominus suæ Ecclesiæ, & suo Vicario R. Pontifici concessit, ut super eis ob justam caussam dispensaret, ut contigisse legimus in laudato canone 65. Concilii Agatensis relato a Gratiano 35. q. 3. & in illa Generali concessione facta a Gregorio Magno consulto ab Augustino Angliæ Apostolo de Anglis, qui per ignorantiam Nuptias illicitas contraxerunt, & ab Innocentio III. toti populo Lituaniæ, ut uxores, quas habebant retinerent, quæ legitur in cap. finali de Divortiis, & in altera facta ab Alexandro VI. a Martino V. cujus meminit Silvest. in Sum. v. *Papa* q. 17. & ab Urbano VIII. pro cujus dispensationis impetratione perdoctam edidit Consultationem Franciscus Ramos, & Sanderus de Schistor. Anglic. lib. 1. Constat igitur, quod in nullo gradu Lineæ rectæ Affinium Matrimonium a Jure Naturæ non prohibetur.

XXXVII. Sed neque in primo gradu Lineæ Transversalis ipsa Natura Nuptias vetat, si sint Affines, qui illas contrahunt, & hoc non tantum Civiles, & Canonicæ supra relatæ leges firmarunt, sed ipsa ratio confirmat, nam etiam in hoc casu major est propinquitas Consanguinitatis in primo gradu Lineæ collateralis, quam Affinitatis ejusdem Lineæ in eodem gradu, ergo si prima non dirimit, neque secunda attento Jure Naturæ, quod præterea confirmatur ex Pontificia dispensatione, quæ non adeo infrequens est, ut de illa dubitari permittatur. Nec multum movet, quod Joannes reprehendat Herodem, quia acceperat in uxorem Herodiadem uxorem Philippi Fratris sui, aut quod Josephus lib. 27. Antiquit. cap. ultimo, & Aegesippus de Excidio Hierosol. lib. 2. cap. 2. graviter notaverint Archelai Matrimonium cum Glaphiria sui Fratris Alexandri Conjuge, ut reprobarunt alii Clotarii, & Carriberti Galliarum Regum Nuptias cum Sororibus suarum Uxorum, imò & quod Gentiles ipsi fuerint detestati Conjugia penes ipsos facta in eodem gradu. Singula hæc, aut alia hujus generis non pauca tanti non facimus, ut arbitremur optimum esse a sententia recedere, quod a bona caussa excide-

derimus, nam ab eisdem, aliisque Clar. Historiarum Scriptoribus erudimur contracta fuisse Matrimonia illa singula, vel viventibus adhuc illarum mulierum viris, ut de Conjugio Herodis inter ceteros probat Cornelius a Lapide in Marcum 6. & Josephus lib. 18. Antiq. capite 7. & ostendit Aegesippus de Matrimonio Archelai, vel si viri jam decesserant, quia adversus Legem uxores duxerant suorum Fratrum, qui jam filios ex illis susceperant, & reliquerant, non alias hoc permittente, & præcipiente Lege, quam si frater sine liberis decessisset. Et re quidem vera Filiam Herodiadem saltatricem Philippus reliquerat; & duo ex ipso Alexandro Archelai fratre filii supererant. Clotarii vero, & Cariberti Conjugia reprehenduntur, non quia Juri Naturali repugnarent, sed quia sine Pontificia dispensatione celebrata fuerunt, & ita nulla erant juxta Sac. Canones, quod affirmari non potuisset de Matrimonio Henrici VIII. qui duxerat uxorem relictam Fratris ex dispensatione Julii IV. Si Catholici Scriptores, qui pro invaliditate Dispensationis scripserunt voluissent, quæ vera erant narrare potius, quam morem gerere Novatoribus, Potestatis, & Disciplinæ Ecclesiæ detractoribus, & Henrico faverent, ut innotuit ex confirmatione ejusdem Dispensationis, quam VII. Clemens concessit consultis prius totius Europæ primariis Universitatibus, ut scribit Alphonsus a Castro lib. 1. de Lege Pœnali cap. 12. Quis vero non videt, quod a moribus Gentium argumentum quærere cum agitur de licitis, & validis Matrimoniis idem est ac in Scirpo nodum quærere? Huic argumento dat robur id, quod Apostolus scripsit in 1. ad Cor. 5. *Auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita ut uxorem Patris sui aliquis habeat*. Nam mos fuit apud Persas, ut filius mortuo Patre Novercam duceret; & Rex Seleucus teste Valerio Maximo lib. 5. cap. 7. suam uxorem Stratonicam cessit proprio filio Antiocho ex alia uxore genito, nec factum reprehendit Valerius, & idem egit Antoninus Caracalla referente Spartiano in ejus vita. Dicendum ergo cum Anselmo, & D. Thoma in hunc locum Apostolum locutum fuisse de Privigno, qui vivente adhuc Patre uxorem ejus acceperat, vel indicare voluisse copulam fornicariam, quod non inverisimiliter alii inferunt ex verbis illis: *qualis nec inter Gentes auditur*, & propterea Apostolus, ajunt, uxorem dixit, non relictam Patris vocavit, nam Gentes incestas id genus conjunctiones tantum velut immania scelera execratæ sunt, non vero concubitus, cum relicta Patris, ut ex allatis exemplis patet; præterquamquod cum scelestus ille Corinthius ab eodem Apostolo fuerit Satanæ traditus in interitum Carnis, ut ejus Spiritus salvus fieret, etiam ex hoc clarius patet, quod cubile defuncti Patris maculaverat.

XXXVIII. Egimus huc usque de Impedimentis illis, quæ ex licitis, & illicitis conjunctionibus ortum habent: superest ut modo agamus de illo Impedimento, quod oritur ex Matrimonio Rato, & ex Sponsalibus, & appellatur *Publica honestas*. Si autenticum esset Decretum Julii Papæ, quod profert Gratianus Caussa 27. q. 2. in quo dicitur: *Si quis desponsaverit uxorem, vel subarrhaverit, & sive praeveniente die mortis, sive irruentibus quibusdam aliis caussis minime eam cognoverit, neque ejus superstes Frater, neque ullus de Consanguinitate ejus eamdem sibi tollat in uxorem ullo unquam tempore*, de antiquitate hujus Impedimenti dubitari non posset, suppositititium tamen illud esse hodie sat eruditis persuasum est; quare nihil inde, neque ex aliis certi haberi potest, quæ ab eodem Gratiano allegantur: e contra vero cum

le-

legatur se extendisse olim impedimentum hoc, non minus ac superiora ad VII. gradum quando oritur a Matrimonio Rato, satis certum fit ab eisdem principiis etiam hoc derivasse, a quibus impedimenta Consanguinitatis, & Affinitatis derivarunt, id enim semper exegit decor servandus in Nuptiis, ut inhonesta res putaretur, si Filius Mulierem per verba de futuro a Patre suo desponsatam uxorem duxisset, si vir de facto contraxisset cum Sorore Conjugis suæ, quæ nondum consummato Matrimonio obiisset, & aliquatenus contrarium reverentiæ, atque pudori si Maritus, cum Consanguineis suæ uxoris nondum licet carnaliter cognitæ, aut Sponsus cum Consanguineis Sponsæ suæ Nuptias fœderarentur; quam quidem opinionem ab ipsa insinuatam esse Natura inde patet, quod non solis Conciliorum Canonibus, aut Decretis Pontificum, sed & Civilibus legibus hoc Impedimentum sit confirmatum, ut in D. legitur lib. 23. Tit. 2. de Ritu Nuptiar. lib. 12. §. 1. & 2. Hæc profecto magni ponderis argumenta sunt, tamen opinioni non refragantur, quæ tuetur Impedimentum hoc, quod justitiæ Publicæ honestatis appellatur, & originem sortitur a Sponsalibus validis, & Matrimonio rato, sed nullo ex quacumque caussa, quam ex defectu consensus, ut Pius V. declaravit, robur trahere ab Ecclesiæ institutione; quod si verum non esset, quomodo infidelis, qui Sponsalia contraxit in infidelitate post Baptismum etiam cum sorore ipsius Sponsæ Matrimonium celebrare posset? Nisi quia Impedimentum hoc solo jure Ecclesiastico inductum, non potuit oriri tempore infidelitatis, e contra vero si cum uxore consummavit Matrimonium ante Baptismum, non potest postea fidelis cum sorore ipsius uxoris Matrimonium contrahere. Hæc certe ratio est, quia ex Consanguinitate vinculum naturale nascitur, ut ex Sponsalibus tempore infidelitatis contractis nullum naturale vinculum oritur. Ita sentiunt DD. communiter, qui Gregorii Magni laudant Responsum in capite *si quis uxorem* 27. q. 2. Alexandri III. Rescripta in capite *litteras*, in cap. *Accessit*, in cap. *ad Audientiam* de Desponsat. Impub. item III. Clementis in cap. *duo pueri* tit. eod. & Bonifacii VIII. in capite unico de Sponsalibus in 6. ut Impedimenti hujus vim repetant ex Institutione Ecclesiæ, quæ antiquitus propter justitiam publicæ honestatis Matrimonium impediebat, usque ad illos gradus, ad quos Affinitas ipsa porrigitur inter unum ex Sponsis, & Consanguineos omnes, & Affines alterius Sponsi, etiam si Sponsalia nulla fuissent, modo consensus præstitus fuisset. Sed Jure novo non ultra primum gradum hoc Impedimentum porrexit, & hac lege, si valida Sponsalia fuerint, ut decernitur a Tridentina Synodo in capite 3. Sessionis XXIV. de Refor. Matrim. Invalidis enim his Sponsalibus impedimentum hoc omninò abstulit: *ubi Sponsalia quacumque ratione valida non erunt S. Synodus prorsus tollit*. Patet igitur ad hodiernam Praxim hoc impedimento irretiri ex una parte Matrem, aut sororem, aut filiam illius mulieris, cum qua Sponsus contraxit Sponsalia valida, ex altera vero parte Patrem, fratrem, aut filium illius viri cum quo eadem Sponsa Sponsalia valida contraxit, quia singulæ illæ Personæ primum Consanguinitatis gradum illius occupant, cum quo inierunt Sponsalia, exclusis prorsus aliis Consanguineis, & Affinibus.

XXXIX. Verum tamen est, quod non omnes DD. conveniunt in excludendis Affinibus, volunt enim non pauci quod Viduus, propter mortem Uxoris suæ, quæ fuerat Soror alterius, qui cum alia Sponsalia valida de futu-

turo contraxerat, possit nubere huic promissæ, hac ratione quod illam non attingat hoc Publicæ honestatis Impedimentum, licet Affinis in primo gradu; ita pariter quod Sponsus copulari possit illi mulieri, quæ fuit uxor Fratris suæ Sponsæ licet Affinis in primo gradu prædicto Sponso. Alii e contrario idem Impedimentum Publicæ honestatis etiam inter has personas extendunt, licet de his omnino sileant Tridentini PP. qui dum restringunt Publicam honestatem ad primum gradum, & nihil dicunt de Consanguineis, vel de Affinibus, videntur parentelam relinquere in terminis Juris antiqui, ut in cap. *ad Audientiam* de Sponsalibus observat Gonzales, & suffragatur ratio, quæ ostendit in utroque casu idem principium subsistere deformitatis ejusdem, quam habent hujus generis Nuptiæ, si cum Consanguineis, aut Affinibus contrahantur. Quos si in hac re optaverit quilibet in suo sensu abundare, liberum illi erit cui voluerit ex his sententiis suffragari. Non ita vero si quæstio oriatur de illis gradibus, ad quos extenditur Justitia Publicæ honestatis Impedimentum ortum ex Matrimonio rato, nullo, ut supra notavimus, sed non consummato, nam Pius V. in sua Extravaganti *ad Romanum* Impedimentum hoc usque ad IV. gradum extendit: quemadmodum S. C. Cardinalium decrevit sub die 6. Iulii 1658. non esse sublatum hoc Impedimentum ex Sponsalibus validis ab initio, deinde mutuo consensu dissolutis, cum Impedimentum semel contractum non pendeat a Contrahentium voluntate, sed ab Ecclesia, quæ illud instituit, & perpetuum esse voluit, & Alexander VIII. contrarium in dubium revocari prohibuit.

XL. Sequitur ex his fictitium esse debere responsum illud cujusdam Pontificis Benedicti, quod legitur in Appendice Lateranensis Concilii ad Gradensem Patriarcham inquirentem, utrum Soror illius, quæ Joanni desponsata ante peractas Nuptias obiit, illi eidem Joanni nubere possit, cui respondisse dicitur Benedictus: *Censura Apostolica mandamus hoc absque Criminis vitio posse, nam cur prohibeam, quod nunquam prohibitum Sacra Scriptura declaravit; sed neque mundanæ leges connumeratis Personis, quibus inter se Nuptias contrahere non licet de hujusmodi aliquid dicunt negotio?* Ignorare enim non poterat Pontifex, quid de Impedimento Publicæ honestatis tum Canones, tum Leges Imperiales statuissent. Neque attendendum est illud, quod ab aliis reponi potest petitum ex 2. capite de Sponsalibus primæ Collectionis; nimirum Alexandrum III. declarasse quod non sint una caro Vir, & Mulier, nisi cohæserint copula maritali; idcirco defuncta Sponsa intacta, ejus Soror a Sponso, hoc non impediente, libere ducitur in uxorem; nam eo in loco non negat Pontifex ex Matrimonio rato non dari Impedimentum Publicæ honestatis, sed tantum non oriri Affinitatem, secutus in hoc opinionem quorumdam veterum, inter quos ponitur Bellarminus de Matrim. lib. 1. cap. 24. quod si affirmari posset de vera Affininitate, saltem initiativam oriri Affinitatem alii docuerunt. Interrogatus ergo Alexander III. super Impedimento Affinitatis rescripsit juxta suam opinionem, sed neque negavit ex alio capite Impedimentum Publicæ honestatis adfuisse, cujus caussa Matrimonium illud prohibebatur, neque hoc asseruit, quia de illo consultus non fuerat. Illud omittendum non est hoc Impedimentum Publicæ honestatis locum non habere in illo casu, in quo aliquis Sponsus iniisset Conjugium cum Consanguinea suæ Sponsæ in primo gradu, nam licet inutiliter, & invalide contraxisset, tamen in facta hypothesi quod corporum commixtio non interfuisset, Matri-

trimonium cum prædicta sua Sponsa illi prohibendus non esset; quia hæc duo Impedimenta non habent vim reciprocam dirimendi, quia priora Sponsalia jam celebrata, a subsequentibus ex Matrimonio rato natis, sed non consummato, & nullo, occasione prædictorum Sponsalium non irritantur.

XLI. Ultimum quod Nuptiis Natura constituit Impedimentum *Ligaminis* nomen obtinuit, per quod intelligimus quod ille, qui Conjugali fide se alteri obstrinxit, cum altero copulari a Lege Naturæ prohibetur. Satis vero argumentum hoc pertractavimus, cum ageremus de Matrimonii unitate, & Firmitate in superiori Capite tertio, & quarto, ita ut si recolantur ea, quæ in iis locis tradidimus, patebit unicuique satis esse probatum, quam merito repellantur a novis Nuptiis ii, qui suis adhærent uxoribus, aut quorum Conjugia manent non dissolvenda, nisi alter illorum dormierit, quia tunc superstes, a Lege alterius liberabitur juxta Decretum Apostolicum in cap. 7. Epistolæ 1. ad Corinth. exaratum. Casum illum inibi non perpendimus, qui dubiam relinquit Mariti vitam, utrum scilicet manente hoc dubio, Nuptiæ possent iterari: quare cum communi DD. & Theologorum Sententia modo statuimus uxorem non certioratam de morte viri, adhuc subesse Impedimento Ligaminis, & ad secundas Nuptias non posse transire sive ignoret statum Mariti, qui fuit captus ab hostibus, sive Maritus a longo tempore absit.

XLII. Non conveniunt Civiles Leges, quæ volunt uxores expectare per quinquennium Maritos Captivos, vel qui in dissitas abierunt Regiones, & tunc demum impune, & licite ad secundas Nuptias transire, ut legitur in Novella 22. Justiniani cap. 7., & in L. 8. D. de Captivis, & Legum Interpretes rationem addunt, quia ex absentia per quinquennium mors præsumitur. D. Hieronymus in 1. Reg. cap. 16. morem eundem apud Hebræos se invenisse scribens sic ait: *Usum illius gentis fuisse, ut quando ibatur ab iis in pugnam, idest in bellum, libellos Repudii uxoribus suis darent, ut si contigisset virum in prælio capi, & in captivitatem duci, mulier ejus expectatis tribus annis, si vir ejus non rediisset, alium duceret virum*. Textum etiam habemus in Tom. 17. Conciliorum inter Canones Egberti Archiepiscopi Eboracensis, in quo temporis spatium ad Nuptias iterandas protrahitur usque ad septennium, & alium invenimus in cap. *perlatum*, qui filii sint legitimi, in quo Vincentinus Episcopus mulieri cuidam licentiam concessit ad secundas Nuptias transeundi, eo quod ejus Maritus per decennium abfuisset, & ab Innocentio III. ejus prudentia laudatur, ex quibus documentis alia Sententia firmatur, quæ opponitur præstabilitæ assertioni.

XLIII. Sed jam huic Sententiæ obviam a nobis itum est in calce memorati III. Capitis hujus Tractatus, quare parum immorabimur in responsionibus ad prælaudatos textus, ut omnis dubitandi ratio tollatur. Imperator Justinianus, quod a Jure Civili constitutum fuerat in cit. L. *Uxores* D. de Divort. emendavit Authentica *Hodie* cap. de Repudiis: *Hodie quantiscunque annis Maritus in expeditione remanserit, Mulier sustinere debet, licet neque litteras, neque responsum ab eo acceperit, sed si mortuum audierit, non prius nubat, quam per se, vel per alium, eum sub quo militabat adiens, interrogaverit si pro veritate mortuus est, ut apud Gesta deponatur cum jure jurando si mortuus sit, quo subsecuto, post annum nubat. Si vero præter hæc nupserit, tam ipsa, quam qui eam duxerit, veluti Adulteri puniantur*. Ipsi quoque Sacri Canones Civilibus quibuscumque Constitutionibus restiterunt, & sicuti in aliis Casi-

Casibus Matrimonialibus non attenditur Juris Cæsarei dispositio cap. finali de secundis Nuptiis, cap. *cum haberet* de eo qui duxit in Matrimonium, ita nec in præsenti. Verum est quod aliquando ex diuturna absentia decem, aut viginti annorum mors infertur Absentis, ut bona venientibus ab intestato adjudicentur, & ut Sponsalia dissolvantur, sed hoc fit, quia in his casibus, vel de nullo damno agitur, aut saltem de reparabili; at si permitteretur secundum Matrimonium, hoc maximum malum esset, & irreparabile, quia inde sequeretur Adulterium. Oportet ergo quod lapsus tot annorum in Matrimonialibus Caussis non sufficiat, sed Conjuges ipsi ita remaneant, donec certum recipiant nuncium de morte virorum, ut Clemens III. ait cap. *in præsentia* de Sponsalibus. Quicumque fuerit mos Hebræorum, non potest hic in nostrum transferri, quibus Repudii Lex non permittitur, ut permittebatur Hebræis, cui ille mos innitebatur. Difficilis redditur explicatio Decreti Archiepiscopi Eboracensis, utpote quod adversatur Decretum illud aliis Ecclesiæ Canonibus, sed danda est hæc venia conditioni illorum temporum, quibus Matrimoniales Controversiæ dirimebantur non infrequenter ad formam Juris Civilis, juxta quam formam, alterius Matrimonii factam legimus concessionem in cap. *mulieres* de Donat. inter virum, & uxorem, ex Concilio Vormatiensi celebrato temporibus Caroli Magni, ut arbitratur Gonzales in notis ad cap. 1. ejusdem tituli. Commendatur certe ab Innocentio III. Vincentinus Episcopus, verum non quia permisit Mulieri ad secundas Nuptias transire, sed quia Parentibus ejusdem imperavit ut nuncium mitterent, & ad Patriam revocarent virum absentem, revera Innocentius hoc secundum Matrimonium nullum agnovit, & solum quia huic occasionem præbuit ab Episcopo facta licentia, prolem susceptam legitimam declaravit, utpote natam ex Matrimonio putativo.

XLIV. Additur his non sufficere ad contrahendum secundum Matrimonium, quod probabiliter existimetur absentem Conjugem supremum diem obiisse, quod videtur doceri in cap. *cum per bellica*, & in cap. *quoniam* §. *Porro* de Sponsal. quia in re tanti momenti nemo prudenter agit, si non moveatur a morali certitudine de honestate suæ actionis, quæ moralis certitudo ab uno tantum teste non habetur, neque a sola fama publica, quæ potest esse ab incerto Auctore; & multo minus valide ille contrahet dubius de morte Conjugis, vel qui etiam putat eumdem vivere, cum in his casibus absoluta nequeat esse voluntas illius, qui tales Nuptias quærit. *Si vero aliquis, vel aliqua id hactenus non servavit, & de morte prioris Conjugis adhuc sibi existimat dubitandum, ei qui sibi nupsit debitum non deneget postulanti, quod a se tamen noverit nullatenus exigendum*. Sic respondet Lucius III. cap. *Dominus* extra de secundis Nupt. Si vero nonnulli eorum, qui putabantur periisse remeaverint, S. Leo decrevit epist. 109. alias 79. ad Nicetam Episcopum Aquilejensem *omittendum esse, & inculpabile judicandum quod necessitas intulit, & restituendum quod fides poposcit. Si autem aliquæ mulieres ita posteriorum virorum amore sunt captæ, ut malint cohærere, quam ad legitimum redire consortium, merito sunt notandæ, ita ut etiam Ecclesiastica communione priventur: quæ de re excusabili contaminationem criminis elegerunt, ostendentes sibi met pro sua incontinentia placuisse, quod justa remissio poterat expiare. Redeant ergo in suum statum voluntaria redintegratione Conjugia, neque ullo modo ad opprobrium malæ voluntatis trahatur, quod conditio*

ditio necessitatis extorsit, quia sicut hæ mulieres, quæ reverti ad viros suos nolunt impiæ habendæ sunt, ita illæ, quæ in affectum ex Deo initum redeunt, merito sunt laudandæ.

§. IV. *Neque naturali, neque positivo Divino, sed solo Jure Ecclesiastico, aut Consuetudine sancitum est invalida esse illa Conjugia, quibus caussam dederunt aut* Crimen, *aut* Raptus, *aut quævis altera* falsa Religio *nomini Christiano contraria.*

XLV. Crimen de quo agitur in hoc §. genere duplex est, *Homicidium* scilicet, & *Adulterium*, certis tamen in casibus, juxta dispositionem Juris Canonici. Primus Casus ponitur ab Alexandro III. in cap. *super hoc* extra de eo qui duxit in Matrimonium quam polluit per Adulterium. *Tibi respondemus* inquit Pontifex, *quod si Adulter est in Mortem uxoris aliquid machinatus, sive fidem dedit, sive non, quod ea defuncta hanc esset ducturus, secundum Canones ab ejus consortio probibetur, & hæc prohibitio perpetuo est servanda.* Secundus Casus traditur a Cœlestino III. cap. *Laudabilem* extra de Conversatione Infidelium, cum ex amborum consensu, qui volunt simul contrahere, etiam non interveniente Adulterio, alter Conjugum occiditur. Tertius habetur in can. *Audivimus rem execrabilem* 40. Concilii Triburiensis A. 895. celebrati; quando nimirum committitur Adulterium cum promissione reciproca Matrimonii post Conjugis obitum ineundi. Quartus denique ab eodem Alexandro III. statuitur in cap. *litterarum* tit. eod. cum quis vivente legitima Conjuge init Matrimonium, & consummat cum altera non ignara legitimi Conjugis, hanc enim mortua uxore ducere nequit. Dicitur *non ignara*, quia si putabat primam uxorem esse mortuam, eidem Mulieri, ut viro suo adhæreat affectu maritali, idem Alexander III. in cap. *propositum*, & Innocentius III. in cap. *veniens* eod. tit. concesserunt.

XLVI. Ad prædictorum Casuum intelligentiam Noto 1. quod cum vir Adulter occidit propriam uxorem, vel e converso, ad contrahendum Impedimentum dirimens, non requiritur quod occisor propria manu mortem inferat, aut alterius opera utatur mandans, vel consulens homicidium, aut quod uterque Adulter ad occisionem concurrat, cum Jus Canonicum mentionem faciat de Adulterio, & homicidio in genere: plurimum tamen refert attendere si ipsi Adulteri occisionem ipsis insciis factam, sed illorum gratia, ratam habeant. Nam in hoc casu prædictum Impedimentum non induceretur, quod talis ratihabitio non esset illius naturæ, quæ mandato æquiparetur, cum non sit in re, quæ a propria voluntate pendeat, aut in jure habeatur expressa, ut est percussio Clerici. Oportet ulterius inquirere utrum mors Conjugis secuta fuerit, & non utcunque, sed ex vi percussionis mandato, aut consilio alterius extranei, vel si consilio ipsorum Adulterorum, utrum hi revocaverint mandatum, jussionem, seu consilium ante percussionem, & utrum Matrimonium occisi cum Adulteris, ac homicidis præcedens fuerit validum, aut ipsi Conjuges fuissent separati quo ad Thorum, & habitationem, & Adulterium inter ipsos fuerit consummatum per veram copulam carnalem, & ante occisionem alterius Conjugis, & uterque Adulter conscius fuerit status Matrimonii, in quo uterque reperiabatur; & tandem utrum occisio Conjugis facta fuerit per ipsos Adulteros, aut eorum unum hac mente, & fine con-

contrahendi Matrimonii; nam si non verificarentur hæ singulæ conditiones, posset valide Matrimonium contrahi cum Conjuge superstite ejusdem occisi, ut cum communi opinione DD. sentit D. Thomas in 4. dist. 37. quæst. 2. a. 3. & in Supplemento 3. Partis quæst. 60. art. 2.

XLVII. Noto II. quod verba illa *ex amborum consensu* adjecta secundo Casui, discrimen potissimum constituunt hujus Casus a primo; unde si unus occidat altero nullatenus, sive consilio, sive mandato, sive auxilio, aut quovis alio modo concurrente ad mortem, non contrahitur Impedimentum, neque etiam, si sit tantum occisionis ratihabitio. Adduntur etiam hæc verba: *qui volunt simul contrahere*, quia intentio, & finis legis est per hanc pœnam, & Impedimentum cavere, ne quis cupiditate alieni Matrimonii occidat propriam, vel alterius Conjugem: quare si ex odio, vindicta, aut alio fine quam Matrimonii inter se contrahendi, aliqui etiam cum machinatione occiderunt alterius compartem, non incurrunt Impedimentum; imo nec si occiderent cum intentione contrahendi Matrimonii cum altera, quam cum Complice.

XLVIII. Noto III. non haberi Impedimentum hoc in Schemate tertii Casus, si promissio de contrahendo Matrimonio facta non fuerit vivente primo Conjuge, sed post ejus mortem, quamvis Adulterium intervenerit illo adhuc superstite. Dictum fuit *cum promissione reciproca Matrimonii*, hoc est ut ab altera parte Criminis participe sit acceptata, seu verbo, seu signo, sive postea præcesserit, sive accesserit, vel subsecuta fuerit Adulterium. Addit S. Antoninus 3. Par. tit. 1. cap. 5. nullum etiam esse Matrimonium, sed dirimendum, si adulter fidem non dedit de contrahendo cum illa, qua abusus est, sed cum illa, quam ipsa, vel amica ejus, aut amicus indicabit, & ipsa post viri sui mortem nullam aliam indicet, aut designari curet, quam se ipsam, quia in fraudem factum, & fraus, & dolus nemini debet patrocinari; secus vero dicendum esset, si alia intentione faceret.

XLIX. Noto IV. solum Adulterium non esse Impedimentum dirimens Matrimonium post mortem Conjugis contractum, ut videtur innui ex can. *nullus* 31. q. 1. & ex canone *illud vero* Caussa ead. ubi sic legitur: *Illud vero communi decreto secundum canonum instituta definimus, & præjudicamus, si quis cum uxore alterius eo vivente fornicatus fuerit, moriente Marito, Synodali Judicio aditus ei claudatur, illicito ne ulterius ei conjungatur Matrimonio, quem prius polluit Adulterio. Nolumus enim, nec Christianæ Religioni convenit, ut ullus ducat in Conjugem, quam prius polluit per Adulterium.* Nam monet Glossa, & bene profecto, prohibitionem hanc ad solos tres Casus esse restringendam, quos jam retulimus, & concordant textus, qui leguntur in IV. Decretalium, titulo de eo qui duxit in Matrimonium quam polluit per Adulterium, quibus adstipulatur Augustinus in lib. 1. de Nuptiis, & Concupiscentia capite 10. ubi inquit: *Mortuo viro cum quo eorum connubium fuit, fieri verum connubium potest, cum quo prius Adulterium fuit*, quod etiam docuit, in libr. de bono Conjugali cap. 14. Ideo vero tantum tres Casus superior Glossa commemoravit, quia scientia, quæ præsupponitur in IV. Casu sola sufficit, ut posteriores Nuptiæ irritentur potius propter Impedimentum illud quod appellatur *Ligamen*, quam propter *Crimen*. Nihilominus hic IV. Casus a DD. additur, ut innotescat pœna, qua per Sacros Canones afficiuntur ii, qui tales Nuptias tentarunt, per quas redduntur inhabiles, etiam post quam fuerint in statu libero post mortem naturalem priorum Conjugum ad simul contrahendum Matrimonium, non vero cum aliis.

L. Notari demum etiam potest non constituere Criminis Impedimentum Uxoricidium a viro patratum, qui suam uxorem in Adulterium deprehendit, quod licet impunitum maneat a Legibus Civilibus, quæ illud propter justissimum Mariti dolorem dissimulant, tamen non desinit esse peccatum gravissimum, & hinc est, quod Ecclesia, quæ a Legibus Civilibus non astringitur vult, quod Maritus in pænam tanti flagitii prohibitus sit amplius contrahere cap. *interfectores*, cap. *admonere*, cap. *quicumque* 32. q. 2. non vero si nupserit, illius Matrimonium dirimit. Porro hoc Impedimentum diximus tantum inductum fuisse a Jure Ecclesiastico, non vero a Divino, neque a Naturali, quia nullum illius vestigium habemus in Scriptura, quæ e contrario proponit legitimum Matrimonium David cum Bersabea, neque in Jure Naturæ, quo cum obstricti fuissent Pagani, & Gentiles, non semel hoc crimen homicidii, seu Adulterii patrarunt cum promissione, & executione futuri Conjugii absque pœna nullitatis, quam pœnam usque ad tempora Magni Leonis invaluisse legimus apud Gratianum in cap. 13. 1. q. 1. ubi S. Pontifex sic loquitur: *Nullus ducat in Matrimonium, quam prius polluit Adulterio*, & renovatam fuisse temporibus subsequentibus plura decreta Conciliorum subsequentium ostendunt, quæ in eadem Gratiani Collectione recensentur in favorem Matrimonii, ut fides intacta servetur inter Conjuges, & ne unus in alterius mortem machinetur.

LI. Ad indemnitatem quoque Puellarum eadem Ecclesia illud Impedimentum addidit ceteris quod vocatur *Raptus* hoc est Abductio violenta puellæ invitæ, & seductæ Matrimonii contrahendi caussa. Secundum hanc acceptionem Raptum ubique fuisse semper Matrimonii Impedimentum dirimens, nemini est dubium, cum repugnet libero consensui a Jure Naturæ requisito ad contrahendum Conjugium. De hac igitur violentia modo non agimus, cum videri possint ea, quæ scripsimus quando egimus de consensu in Nuptiis requisito, qui consensus omnem gravem metum excludit a caussa extrinseca illatum, & injuste incussum, & eo fine, ut Nuptiæ fiant. Hoc unum quæritur utrum Persona rapta nubere possit Raptori. Ante IV. Sæculum non habuit Ecclesia hoc Impedimentum, nam validas istas Nuptias Hieronymus, & Ambrosius judicarunt, fortasse quia Lex capitis 22. Deuteronomii talia Matrimonia non irritavit. *Si invenerit vir puellam*, sic legitur in laudato capite Deuter. *Virginem, quæ non habet Sponsum, & apprehendens concubuit cum ea, & res ad judicium venerit, dabit qui dormivit cum illa Patri puellæ 50. Siclos argenti, & habebit eam uxorem, quia humiliavit illam, non poterit remittere eam cunctis diebus vitæ suæ*. Hieronymus itaque de illis hæc scribit: *Tria legitima Conjugia scriptis leguntur. Primum legitimum Conjugium est virgo casta in Virginitate viro data legitime. Secundum Virgo in Civitate deprehensa a viro, & illi per vim copulata, si potuerit pater ejus, dotabit eam iste vir quantum judicaverit pater, & dabit pretium pudicitiæ ejus. Tertium filia prædicta depræhensa si non fuerit voluntas patris, trahet eum a prædicto viro, & tradet eam alii, & dotabit eam, & legitima erit ei, sed primum his duobus præfertur*. D. Ambrosius in Apologia David cap. 8. *denique, & puellæ pater illius, quæ vim concubitus nulli desponsata pertulerit, 50. drachmas argenti accipiet, ipsa autem in Conjugio permanebit*. Verum sub Imperatoribus Constantino Magno, ejusque filio Constantio, nec non Gratiano contra Raptum graves pœnæ decretæ fuerunt, quæ leguntur in

in Codice Theodosiano lib. 9. tit. 24. de Raptu Virginum, vel Viduarum, neque Raptæ consensu, neque Parentum ratihabitione, patientiâ, silentio hoc crimen elui voluerunt. Neque aliter decrevit Justinianus in L. *unica* tit. eod. Ipsa quoque Capitularia non dissentiunt, & Sacri Canones editi a Sæculo IV. usque ad XI. quibus placuit, ut hi qui rapiunt fœminas, vel furantur, aut seducunt, ut eas nullatenus haberent uxores. A Sæculo autem XI. pleræque ab Imperatoribus sancitæ Leges super Impedimentis Matrimonii, per non usum abrogari cœperunt, & Matrimonium inter Raptorem, & Raptam validum reputari cœpit quandocumque ejusdem mulieris Raptæ, etsi existentis in manu Raptoris liber assensus accederet, cujus rei exemplum habemus in cap. Finali de Raptoribus, in quo Innocentius III. sic loquitur: *Rapta puella legitime contrahet cum Raptore, si prior dissensio transeat postmodum in consensum, & quod antea displicuit, tandem incipiat complacere.* Deniq. Tridentina Synodus Sess. XXIV. de Refor. Matrim. cap. 6. decrevit *inter Raptorem, & Raptam, quamdiu ipsa in potestate Raptoris manserit nullum posse consistere Matrimonium, quod si Rapta a Raptore separata, & in loco tuto, & libero constituta illam in virum habere consenserit, eam Raptor in uxorem habeat, & nihilominus Raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium, & favorem præbentes sint ipso jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces, & si Clerici fuerint de proprio gradu decidant. Teneatur præterea Raptor mulierem Raptam, sive eam uxorem ducat, sive non duxerit, decenter arbitrio Judicis dotare.* Hactenus Tridentini PP. ex quorum mente nonnulli DD. existimant his pœnis locum esse, quamvis Rapta caussa Matrimonii non sit perducta ad locum destinatum, sed in ipso itinere resipiscat, quia delictum hoc Raptoris in ipsa adductione consumitur, & tunc perfectè irrogatur Matrimonii libertati injuria; nec Consilium spectet, ut raptor in aliquo loco jam raptam constituerit, vel eam duxerit, sed tantum ut rapuerit caussa Matrimonii, illamque sub suam potestatem reposuerit.

LII E converso arbitrantur alii non dari hoc Impedimentum si quis aliquam blanditiis, ac amatoriis incitamentis, ac lenociniis seducat, ut consentiat, eo quod ipsi inductæ nulla violentia irrogetur; imo addunt idem verificari, licet invitis ac reclamantibus ejus Parentibus adduceretur, certum enim est plus obstare Nuptiis puellæ dissensum, quam genitorum conatum, cum earum veritas, & essentia, non a Parentum, sed a Contrahentium voluntate principaliter prout in jure sancitum est pendeat; indeque est, quod non pauci inter Canonistas cum Glossa in cap. *sufficiat* contendunt absolute non esse Raptum ubi puella consentit, verum cum incertus esse possit, & dubius consensus, quem puella, quamdiu a Raptore, velut captiva tenetur, ineundo Matrimonio exhibet, aut exhibere videtur; hinc est quod Synodus Tridentina disciplinam immutavit, quam Innocentius III. in capite *Rapta puella* supra cit. relaxaverat. In Gallia attenditur hic Raptus seductionis sine violentia, utpote frequentior in filiis familias Minoribus, eorumdemque Parentibus jus conceditur agendi contra hujusmodi Matrimonia, ut irrita declarentur, juxta ea quæ diximus agentes de Matrimoniis filiorum familias, & de Clandestina desponsatione. Sed quo ad alias species Raptus, quæ inveniuntur apud Auctores, nimirum Raptus masculi a fæmina, Raptus caussa libidinis tantum, & Raptus in ordine ad servitutem, aut venditionem Raptæ, dici-

dicimus illarum singulas non comprehendi a Concilii Decreto, ut in Declarationibus Concilii Tridentini Editionis Antuerpiensis A. 1633. Typis Io. Maursii & in ea, quæ præsenti Decreto apponitur, legitur fuisse decisum a S. C. die 13. Januarii 1586. Raptores ob aliam caussam, quam ut in uxores ducant, non comprehendi a Concilio. Neque irretitur hoc Impedimento ille, qui non sibi, sed alteri jubenti, aut consentienti rapit mulierem ad Matrimonium, quia non est proprie Raptor, sed minister. Iubens vero, aut consentiens Impedimentum incurrit, quia ille est principalis, & proprius Raptor. Sponsus etiam excusatur a Crimine Raptus, quia ex desponsatione habet aliquod jus, & ad Sponsam, & ad Matrimonium; & ita statuit caput *Lex illa* dist. 36. q. 1. & cap. *cum Caussa* extra de Raptoribus. Contrarium verificatur si Sponsus abducat Sponsam invitam. Quia vero Decretum Tridentinum, non solum irrita declarat Matrimonia concurrente Raptu, sed præterea pœnas infligit, sola inhabilitas ad nubendum cum muliere Rapta donec reponatur in loco tuto, & excommunicatio statim incurritur, quæ tamen non est reservata, aliæ autem sunt ferendæ sententiæ, nullumque afficiunt, nisi cum Iudex super eisdem pœnis contra ipsos decretum pronunciavit. Neque excipiuntur mulieres faventes raptori a vi laudati Decreti, nam si infrequens est, & satis rarus Raptus masculi a fœmina, ut noluerint Patres casum hunc in suo Decreto comprehendere, non tamen magis infrequens est, quod mulieres faveant Raptoribus, quam viri. Parocus ipse, qui Matrimonio assistit, quod inter se contrahunt Raptor, & Rapta omissis ejusdem Concilii requisitis, eisdem pœnis afficitur, si ante Raptum se id statim facturum promiserat.

LIII. Reliquum est ut de illo Impedimento nunc agatur, quod non Jus Divinum, aut Naturale, sed Ecclesiasticum induxit, non tam Canone aliquo, quam more Populi Cristiani, & prisca Consuetudine vim Legis habente. Impedimentum hoc *Cultus disparitas* vulgo nuncupatur, cujus licet multiplex sit acceptio, quatenus cultus elicitur a Baptizatis, & non Baptizatis, a Baptizatis, & Catechumenis, a Fidelibus, & Apostatis, hic a nobis accipitur non qua unus est fidelis, & alter hæreticus, sed qua unus est Baptizatus alter non. In ipsis Ecclesiæ primordiis inter dispares cultu eo modo sumptos constitisse verum Matrimonium Apostoli consilium probat, qui suadebat Conjugi fideli ne dimitteret Conjugem infidelem, modo fidelis cohabitare vellet sine Creatoris injuria, nec invenitur quod Paulus asseruerit irrita fuisse hujusmodi Matrimonia; illa certe prohibuerunt Tertullianus, & Ciprianus, aliique reprobaverunt consuetudinem nubendi cum infidelibus, nullibi tamen docuerunt dirimi debere talia Conjugia. S. Hieronymus scribit libro primo contra Jovinianum, quod Virgines Cristianæ indiscriminatim desponsabantur viris tum Catholicis, tum Idolatris, & Sanctus Augustinus lib. primo de Fide, & Operibus scribebat suo tempore in Africa frequentissime celebrari hæc Matrimonia, & non credi peccata; & lib. 9. Confessionum cap. 9. Matrem suam Patricio viro Ethnico nupsisse tradidit, nec quidquam scribit, unde colligatur Matrimonium improbasse: imo in laudato libro de Fid. & Oper. cap. 19. *Nostris temporibus*, ait, *jam non putantur esse peccata, quoniam revera in novo Testamento nihil inde praeceptum est, & ideo aut licere traditum est, aut velut dubium derelictum est*. Neque ex verbis Pauli de Vidua. *Nubat tantum in Domino*, aut ex verbis aliis: *Nolite jugum ducere cum infidelibus* hæc prohibitio concluditur. Nam illa priora, vel constantiam, & firmi-

mitatem in Christiana Religione Chrysostomo audiunt, aut ne ineant Matrimonia Viduæ satiandæ libidinis caussa, ut alii Patres exposuerunt; & reliqua posteriora pro qualibet societate exponuntur non de Matrimonio in particulari, ne id contingeret quod in Psalmo 105. legitur: *Commixti sunt inter Gentes, & didicerunt Opera eorum*. Quinto ineunte Ecclesiæ Sæculo hujusmodi Matrimonia irrita esse cœperunt ex legibus Imperatorum, consentiente Ecclesia, L. 3. Cod. Theodos. tit. 14. de Nuptiis Gentil. L. 1. lib. 9. ejusdem Codicis tit. 4. lib. 1. quæ leges licet Sæculi IV. tamen oportet quod observatæ fuerint in omnibus Imperii Provinciis ex mox tradita Augustini Sententia, qui Sæculo V. ineunte floruit, & ab illis exemplis, quæ in Ecclesiastica historia describuntur usque ad annum 1010. teste Baronio in Annalibus ad hunc annum Christi Tom. II., & nullus dicit eadem fuisse irrita. A Sæculo XII. Baptizatorum cum non Baptizatis Connubia, universa Ecclesia irrita habuit, quo factum est ut S. Thomas, omnesque deinde Theologi, & Canonici Juris Periti secundum Majorum, & Populi Dei consuetudinem asseruerint Disparitatem cultus esse Impedimentum Matrimonium dirimens, quod multum congruit principali bono Matrimonii, nimirum prolis educationi, & Divino cultui, quæ res communiter a Parentibus dependent, quorum voluntates oportet non esse contrarias cum uterque velit secundum suam Fidem Prolem in Fide educare. Congruit etiam ad Conjuges in fidelitate servandos, & timore Domini, quod idem est ad removendum periculum evidens subversionis partis fidelis propter mutuum amorem, familiaritatemque arctissimam, & quotidianam conversationem, ad domesticam pacem, ad lites evadendas, si quæ orirentur, & quæstiones, si quæ inter illos irreperent ad Ecclesiasticum Tribunal revocando, quod fieri non posset si Conjugum alter permitteretur esse infidelis. Quod si Israelitis olim Deus prohibuit, ne cum Gentilibus in contrahendis Nuptiis miscerentur Exod. 34. *Ne ineas pactum cum hominibus illarum Regionum, nec uxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis*, decebat magis, ut idem Decretum locum haberet in Ecclesia Christiana, & licet in toto Corpore Juris non inveniatur, nam quæ producuntur ex Concilio Nicæno 1. can. 67. 69. ex Chalcedonensi can. 14. ex Toletano III. can. 14. Aurelianensi II. can. 19. Arvernensi can. 6. & Romano sub Zacharia Papa, prohibent quidem sub Anathematis pœna talia Matrimonia, sed postea contracta non irritant; Consuetudo tamen Ecclesiæ Romanæ, quæ habet vim Legis, & semper servanda est ex cap. 19. Epistolæ primæ Innocentii I. ex cap. *Nolite* dist. 11. cap. *quis nesciat* dist. 12. &c. irritat Matrimonium fidelis cum infideli, & est antiqua non admittens contrariam, & hanc habere vim introducendi Impedimenta Matrimonium dirimentia, convenit apud omnes. Neque dispar est ratio pro Matrimoniis Baptizatorum cum Catechumenis, saltem nunc, quia donec Baptismum non recipiant, veniunt sub nomine infidelium; olim tamen etiam illorum Matrimonia fuerunt licita, & valida, eo quod diu differebatur Baptisma. Quia vero non eadem par ratio currit inter fidelium Matrimonia cum hæreticis, tum quia non est proprie Disparitas Cultus, quantum ad professionem Religionis Christianæ, cum hæreticus ipse sit Baptizatus, & propterea non solutus ab obligatione Religionem Catholicam profitendi, & sistendi se Ecclesiasticis Judicibus, tum etiam quia ipse inter Christianos computatur, ideoque illi permittitur Matrimonii suscipere Sacramentum, ut in sequenti §. probabitur.

§. V.

§. V. *Etsi Matrimonia Catholicorum cum Hæreticis illicita sint, tamen neque a jure Divino probibita esse, neque si contrahantur cum forma a Concilio Tridentino præscripta, asserimus invalide esse contracta.*

LIV. Privatorum hominum idem fuisse Consilium, velle scilicet Nuptiis necessitudines augere, & ultro citroque filias dando, & accipiendo multos sibi propinquos adjungere, Plutarchus asseruit in Problematibus cap. 108. cui subscripsit Augustinus Civitatis Divinæ lib. 15. cap. 16. his verbis: *habita est ratio rectissima Charitatis, ut homines quibus esset utilis, atque honesta concordia, diversarum necessitudinum vinculis necterentur, nec unus in una multas haberet necessitudines, sed singula spargerentur in singulos, ac sic ad socialem vitam diligentius colendam plurimæ plurimos obtinerent:* quod ipsum intelligens Cassiodorus rationem hanc addit libro 7. Epistolar. 147. Epistola, *ne & se in proximitatem redeundo, homines polluerent, & dilationem providam in genus extraneum non haberent*. Sed quorsum hæc? Regulam hanc non sine magno Consilio veteres illi Sapientes tradiderunt, nam ut Amicitiæ vinculum propter Affinitatem protenderetur, non inter Consanguineos, sed inter Cives, & extraneos Matrimonia celebrari debere dixerunt, & ne quarumdam Personarum convictus nimis quotidianus, atque inobservatus, Stupris, & Adulteriis caussam daret, si amores tales Nuptiis possent cohonestari. Jam vero, quod prisca ætas inconveniens notavit in Consanguineorum Nuptiis permittendis, illud ipsum, & certe majus agnovit Ecclesia in Matrimoniis eorum, quorum animi in iis, quæ ad fidem pertinent contrario modo affecti sunt, & quorum sensus in iis, quæ sunt fidei, quorum prima est atque præcipua ratio, minime congruunt. Notavit siquidem, quod dissentientes in fide, in aliis rebus convenire non possunt, neque inter se æquis animis in reliqua vitæ societate communicare, neque filios educare, Sanctumque vitæ genus insectari, quale decet Christianum hominem, cui vivere Christus est, & propterea ab ipsis Christianæ Religionis exordiis Apostoli, & Patres, Concilia, & Pontifices talia consortia damnarunt, & Matrimonia Catholicorum cum Hæretico illicita declararunt, nec posse iniri sine peccato, monente Scriptura Hæreticum hominem esse devitandum, nec in domum recipiendum, nec Ave ei dicendum, multo minus in consortium Conjugale admittendum, quod periculosior sit cum illo conversatio, & difficilior conversio, ut notavit Estius in 4. dist. 39. §. 4. & experientia sit compertum, etiam ex Catholicis non paucos talibus Matrimoniis a fide Orthodoxa defecisse. Hinc Sanctissimi Ecclesiæ Præsules in Chalcedonensi, Laodiceno, Eliberitano, Carthaginensi, & Agathensi Concilio nominatim Conjugia hæc prohibuerunt, & Sexta Synodus can. 72. eadem irrita declaravit, & ut nefaria dissolvit, quod videretur non minus inter hujusmodi personas consistere Cultus Disparitas, quam inter infidelem, & Paganum, magis autem quam inter Baptizatum, & Cathecumenum. Imo ulterius alii progressi sunt, ut illa voluerint, tum a Naturali, tum a Divino Jure esse prohibita, quod viderint in hac hypothesi Matrimonii Sacramentum indigne recipi, atque administrari publicis Peccatoribus, iisque a corpore Christi per Excommunicationis gladium abscissis, & cum Ministri hujus Sacramenti sint contrahentes, qui illud conficiunt, & sibi invicem ministrant, atque adeo per notorios Hæreticos, & Excommunicatos hoc confici, & administrari Catholico, & vicissim per Catholicum Hæretico, quo nihil cogitari po-

potest magis repugnans Legi Divinæ, & Naturali. Nolumus tamen propter hoc ab exposita opinione resilire, quia satis perspicuum est talia Matrimonia nullo jure irritari, etsi illicite fiant, & cum gravi culpa.

LV. Hoc docet Glossa in cap. *non oportet* 28. q. 1. in verbo *Hæreticis*. *Hæreticus* (ibi) *non potest contrahere Matrimonium cum Christiana; dicit tamen Hugo, quod si contrahit, tenet Matrimonium, sicut si contraheret cum excommunicato*. Jubet certe Bonifacius VIII. in cap. *decrevit* de Hæreticis in 6. Mulieris Catholicæ dotem si scienter nubat hæretico confiscari, sed Matrimonium non irritat. Clemens VIII. in sua Constitutione *cum sicut* §. 11. tantum vult, quod Itali abstineant a Matrimonio contrahendo cum Hæreticis mulieribus: & Urbanus VIII. quoad hæc Matrimonia, decrevit die 14. Martii 1630. in Congregatione Concilii, *tollerari posse mulieres Hæreticas, quæ Maritos habent Catholicos, cohabitare arbitrio Ordinariorum, quandiu fuerit aliqua spes conversionis, & nullum subversionis periculum, ita tamen, ut proles Catholice educetur*: & tandem Tridentina Synodus in Sess. XXIV. can. 5. inquit: *Si quis dixerit propter hæresim dissolvi posse Matrimonii Vinculum, Anathema sit*, idemque adstruit præsens, quæ observatur disciplina in iis locis, ubi Catholici permixtim cum Hæreticis vivunt. Quod vero a peccato non excusentur, rationem affert S. Thomas in 4. dist. 39. q. 1. a. 5. ad 5. *Matrimonium*, inquit, *Sacramentum est, & ideo quantum pertinet ad necessitatem Sacramenti requirit paritatem, quantum ad Sacramentum fidei scilicet Baptismum, magis quam quantum ad interiorem fidem, unde etiam hoc Impedimentum, non dicitur disparitas fidei, sed disparitas cultus, qui respicit exterius servitium. Et propter hoc si aliquis fidelis cum hæretica Baptizata Matrimonium contrahit verum est Matrimonium, quamvis peccet contrahendo si sciat esse hæreticam, sicut peccaret si cum excommunicata contraheret, non tamen propter hoc Matrimonium dirimeretur*. Hinc non assentimur Cabassutio, qui lib. 3. Theor. & Praxis Juris Canonici libro. 3. cap. 22. scribit: *In locis, in quibus Hæretici constituunt partem populi notabilem, secluso scandalo, & periculo perversionis possunt contrahi licite talia Matrimonia sine speciali dispensatione si gravis urgeat caussa, sive privata, sive publica, qualis est conservatio pacis publicæ, quæ periclitatur ob bellum intestinum excitandum inter Catholicos, & Hæreticos, si illi istorum fœdera avversentur*: nam si in his locis hujusmodi Matrimonia plerumque sine Reipublicæ, & civilis commodi perturbatione impediri non possunt, ab Ecclesia tollerantur, & a Rom. Pontificibus relaxationes easdem petentibus conceduntur: & revera quia Concilii Tridentini observantiam in Fœderatis Belgii Provinciis moraliter ipsis Hæreticis impossibilem Benedictus XIV. inspexit, quia perniciosam propagationi, & Religionis exercitiis, & contrariam saluti, & Conversioni contrahentium, declaravit *illarum Gentium Matrimonia Tridentini forma non servata contracta, vel contrahenda alio non concurrente Canonico Impedimento valida habenda esse, & neutrum ex Conjugibus, donec alter eorum supervixerit ullatenus posse sub obtentu dictæ formæ non servatæ, novum Matrimonium inire, id vero debere sibi potissime in animum inducere Conjugem Catholicum, sive virum, sive fœminam; ut pro gravissimo scelere, quod admisit Pœnitentiam agat, & veniam a Deo precetur, coneturque pro viribus alterum Conjugem a vera fide deerrantem ad gremium Catholicæ Ecclesiæ pertrahere, ejusque animam lucrari; quod porro ad veniam de patrato crimine impetrandam opportunissimum*

foret, sciens de cetero, ut mox dictum est, se istius Matrimonii vinculo perpetuo ligatum iri. Hactenus Pontifex Benedictus XIV. qui suo Decreto tantam quæstionem diremit de Matrimoniis Hæreticorum inter se, aut Catholicorum cum Hæreticis degentium, etiam in Urbibus vulgo dictis *Barriere*, si tamen uterque Conjux pertineat ad Legiones, quæ transmitti solent ad eas Arces custodiendas, & quæ juri militari subsunt, non vero si annonarii sint, aut illis similes, qui Copias sequi solent, aut si Conjuges ambo Catholici fuerint, ut patet legenti integrum Decretum datum sub die 4. Novembris 1741. & ita respondisse S. Congregationem Octavio Episcopo Tricuriensi Sylvius Chapeaville testatur, quam declarationem refert Zypeus Jur. Pontific Novi Analyt. enarrat. lib. 4. tit. de Sponsal. si tamen Episcopus, aut Parochus, aut alius Sacerdos adsit ad id delegatus, & non sit illi prohibitus sub pœna mortis, aut alia gravi, Matrimonii celebrationi assistere, in hoc enim casu perinde esset, ac si Parochus non adesset, & tunc ipsi quoque Catholici in Provinciis Fœderatis possent absque forma Concilii contrahere. Attenta forma hujus Privilegii tuto affirmabitur non posse eo frui Chatholicos illos, qui cum Hæreticis vellent contrahere Matrimonia non servata forma Tridentini in aliis Provinciis, vel Regnis, in quibus etiam promiscue vivunt Catholici cum Hæreticis, & in quibus, ut in Belgio, fuit Tridentina Synodus promulgata. Verum Wigardo inter ceteros Auctor Germanicus scribit: *quod si eedem rationes concurrant, quæ in Belgio, præsumi possit de Ecclesiæ benignitate, non in favorem Hæreticorum rebellium, sed in favorem Religionis, & Catholicorum: & hoc* inquit, *vel maxime ex eo colligi, quod si ambo Conjuges Hæretici fiant Catholici, non denuo contrahunt coram vero, & proprio Parocho Catholico, quod tamen plane esset necessarium, quia sicut antea vixissent, sic & postea semper viverent in fornicatione, & concubinatu*.

LVI. Opportunum jam novimus Pontificii Privilegii effectum ad firmitatem harum Nuptiarum tuendam in Fœderatis Belgii Provinciis, in Conterminis Arcibus, & in ipsa Civitate Mosæ Trajectensis, & in aliis Germaniæ Urbibus, in quibus Publicatum fuit Concilium Tridentinum ex præsumpta Ecclesiæ benignitate: modo potest inquiri an eorumdem Conjugiorum firmitas sustineri possit, si Catholica Hæretico conjungatur, aut Hæreticus Catholicæ in aliis regionibus extra Germaniam, non impetrata a Pontifice venia, & non observata forma Tridentini Concilii? Dubitari nequit hanc formam debere observari, si alteruter Conjugum in locis illis versetur, in quibus Concilium Tridentinum promulgatum est, & acceptatum, nam qui aliter in his locis, quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus Sess. xxiv. in Decreto Reformat. cap. 1. ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit; imo nullum esse Matrimonium contractum coram Sacerdote extraneo, qui revera non habet a proprio Parocho licentiam veram, vel si habuit a proprio Parocho unius ex contrahentibus, ignorat se illam habere, prout ignorat unus ex contrahentibus, declaravit S. C. Concilii die 1. Septembris 1620. & die 5. Decembris 1625. etiamsi postea Parochus factum ratum haberet. Nam etsi ratihabitionem retrotrahi, & Mandato æquiparari doceat Reg. Juris in 6. tamen ubi Lex, vel Statutum præsentiam corpoream exigit, ratihabitio sequens, ad robur, & firmitatem Actus non sufficit.

cit. Difficultas maxima est, quando Sponsus Hæreticus domicilium ex industria ad tempus mutat, & consulto migrat in Regiones, in quibus Concilii Tridentini recepta non est disciplina, utrum scilicet sustineatur Matrimonium ab Hæretico contractum cum Catholica, quæ neque invita, neque seducta consensit.

LVII. Quod incolæ locorum ubi viget, & publicatum fuit Concilii Decretum valide contrahant Clandestine in iis locis ubi non fuit promulgatum, aut per contrarium usum abrogatum (quia consuetudo legitima, sicut potest inducere, ut supra notavimus, Impedimenta dirimentia, ita habet vim tollendi, & abrogandi ea, quæ a jure Ecclesiastico sunt introducta cap. *finali* de Consuetudine) si revera in iis habitent, quamvis in fraudem, declaravit Urbanus VIII. A. 1627. die 14. Augusti, si vera narrat *Manigart*, qui Pontificiam Bullam inseruit in sua Pastorali p. 2. cap. 4. Ex hoc tamen non sequitur, quod illis fraus patrocinetur, quoad validitatem harum Nuptiarum, sed ipsa habitatio, qua fit ut potiantur juribus talis loci, in quo habitant. Videtur ergo necessaria habitatio, quæ si saltem unius mensis non fuerit, dubitabitur de validitate Nuptiarum, ut colligitur ex declaratione S. C. quam refert Fagnanus in cap. significavit de Parochis, & alienis Parochianis n. 30. his verbis: *Cum vir, & mulier Trajectenses timentes Impedimentum a Parentibus ad vicinam urbem Aquisgranensem se contulissent, ibi aliquandiu morati, Matrimonium contraxissent; S. Congregatio consulta super validitate, censuit exprimendum tempus, quo contrahentes Aquisgrani manserunt, quod si fuerit saltem unius mensis dandam esse decisionem pro validitate, alias de novo referendum in Congregatione*. Cum itaque in mox facta hypothesi hæc habitatio unius mensis non supponatur inducta, sed transeunter intenta, ut Matrimonium contrahatur illis non poterit hoc remedium prodesse, & tales Nuptiæ erunt invalidæ. Nec circumstantia Peregrini, aut Vagi, si fortasse adderetur, contractum redderet meliorem, quia hæ circumstantiæ requirunt, & fraudis, & doli exceptionem, & Domicilii, vel quasi Domicilii probationem, quia cum tales non jure quodam per habitationem acquisito, sicut præcedentes, sed tacito Superiorum consensu Privilegiis Locorum potiantur, in quibus sunt, æquum non est, nec verisimile Legislatorem sua benignitate, & consensu dolosis, & fallentibus annuere, & patrocinari, & ita idem Urbanus VIII. in præfata Bulla confirmavit, & S. C. respondit Ferdinando Leodiensi Episcopo. In casu vero, quod Hæreticus in suam Urbem exemptam a Tridentina disciplina servanda puellam consentientem adduceret, ut juxta Patriæ suæ morem Matrimonium cum ipsa contraheret, cum talis Contractus Individualium Contractuum induat conditionem, ambo valide conjungerentur, ut validum vocat *Genet* Matrimonium Clandestinum (Congregationis Cardinalium responsioni innixus) quod duo contrahentes diversarum Parochiarum, in quarum una fuit publicatum Decretum Concilii, & non in altera, si fuerit celebratum in illa, in qua Decretum non fuit promulgatum, quia Contractus, quoad valorem sequitur leges Loci, in quo celebratur cap. finali de Foro competenti. Non inde tamen inferri debet, quod quia Matrimonia debita cum forma, & conditionibus requisitis cum Hæreticis contracta valida esse, neques irritanda affirmantur, Sacrilegarum Nuptiarum nomen non demerere. Catholicorum in Divinis cum Hæreticis communicatio, qualis contingit quando Catholica cum Hæretico sese

Matrimonio conjungit, semper Ecclesiæ displicuit propter momenta superius allata; & illud præcipue, quod idem est Matrimonium cum Hæretico contrahere, ac unum, idemque Sacramentum una cum eodem, vel conficere, si nimirum ipsimet contrahentes sint legitimi talis Sacramenti Ministri, quod magis communiter opinantur Scolastici, vel saltem percipere, si scilicet, quod alii Theologi autumant, illius Minister sit solus Sacerdos. Utrumque autem, & illicitum, & sacrilegum esse nemo dubitat; quare Ecclesia iisdem ferme legibus, quibus Christianis interdixit ne Connubia inirent cum Infidelibus, Catholicos pariter a Sacrilegis Nuptiis cum Hæreticis contrahendis deterruit, ut ea ammoveret pericula, quæ ipsis plerumque conjuncta esse solent. Ceterum si tales concurrant Circumstantiæ, quæ dum perpensæ fuerint aditum aperiant concessioni legitimæ Dispensationis, licitum Matrimonium reddetur. Trullana quidem Synodus, quæ falso VI. appellatur, in supra commemorato canone 72. Catholicorum cum Hæreticis Matrimonia irrita semper voluit. Verum alia est Romanæ, & totius Occidentalibus Ecclesiæ Disciplina, quæ Canones illos non approbavit; neque approbat, quia videt non expedire.

LVIII. Sed jam satis Actum est de iis Impedimentis, quæ Dirimentia appellantur, quia Matrimonium contractum dirimunt, non quidem eo sensu, quod Matrimonium semel ratum, ac firmatum solvere queant, sed quod efficiant ne si fuerit attentatum ratum fiat. Sunt vero alia quædam Impedimenta non dirimentia, quia non attingunt substantiam Matrimonii, neque impediunt quominus Personæ contrahentes legitimæ sint, sed quia Personæ, quæ contrahunt agunt contra præceptum, sive interdictum Ecclesiæ. Plura a veteribus hæc Impedimenta tradebantur, & eorum Origines partim a jure, partim a delicto derivabant. Juris Impedimenta quinque indicabant: *Ecclesiæ vetitum*, *tempus feriarum*, *Cathechizationem Chathecumeni*, *Sponsalia*, *Votum simplex Castitatis*. Septem reliqua varia crimina designabant: *Uxoris cædem*, *Baptismum proprii nati*, *cædem Presbyteri*, *Solemnem Pœnitentiam*, *Sacrilegum cum Sanctimoniali Conjugium*, *Incestum*, & *Raptum Sponsæ*. Quis autem non videt, quod si excipiatur Impedimentum illud, quod oritur ab inobedientia præcepto Ecclesiæ, reliqua omnia facile reducuntur ad Impedimenta dirimentia, & cum illis explicantur? Id profecto præstitimus in Superioribus, unde reliquum erit agere de Impedimento illo, quod oritur a præcepto Ecclesiastico, cui non parent ii, qui Matrimonium contrahunt, & quod vocari solet *Ecclesiæ Interdictum*. Sit igitur.

§. VI. *Tridentini PP. Non ut novos mores inducerent, sed ut antiquis inhærerent dispositionibus, quibusdam urgentibus caussis Matrimonia celebrari prohibuerunt, ita tamen ut celebrata, quamvis illicite, non dirimerentur.*

LIX. Ne Matrimonium contrahatur, vel potest prohibere Lex, vel Ecclesiasticus Judex. Interdictum a Lege fit, cum ea certis temporibus Nuptias celebrari vetat. Tunc vero fit a Judice, quando lite pondente super Matrimonio, vel illud, vel aliud contrahi specialiter interdicitur. De primo Interdicto loquitur Synodus Laodicena in can. 52. *non oportet in Quadragesima*,

sima, aut Nuptias, vel qualibet Natalitia celebrare, & eo tendunt reliqui Canones a Gratiano relati caussa 33. q. 4. in quibus observatur, quod non fuit semper una Ecclesiarum praxis circa tempora, quibus, aut nubere licuerit, aut a Nuptiis temperare. Hanc varietatem Ecclesiarum ad uniformitatem restituit Synodus Tridentina in Sess. xxiv. de Reformatione Matrimonii cap. 10. ubi ait: *Ab Adventu Domini Nostri J Christi usque in diem Epiphaniæ, & a feria 4. Cinerum usque ad octavam Paschatis inclusive antiquas solemnium Nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari S Synodus præcipit. In aliis vero temporibus Nuptias solemniter celebrari permittit.* Cui superstitioni adhæserint Tridentini Patres in forma hujus Decreti, ut temere blateraruut Hæretici non videmus. Illud videmus, quod nemo negare potest, qui sit vel mediocriter versatus in antiqua Ecclesiæ disciplina, ad brevius Spatium tempus illud redactum intra quod vetita erat Nuptiarum celebratio. Nam ex Concilio Illerdensi non oportebat a Septuagesima usque ad octavas Paschæ, & tribus habdomadibus ante Festivitatem S. Jo. Baptistæ (de quo more Filesacius agit in suo Opusculo de Quadragesima Christiana cap. 3.) & ab Adventu Domini usque post Epiphaniam Nuptias celebrare. Similiter apud Græcos singulis Jejuniorum diebus, cum non solerent Missæ Sacrificium offerre, nec cousueverunt celebrari Conjugia. Festis item diebus, quibus fideles sese Eucharistia reficiebant temperabant etiam a Nuptiis. Merito igitur in eosdem Novatores Anathema dixit Concilium, quod talem efinxissent superstitionem, cui niteretur prohibitio Solemnitatis Nuptiarum his verbis: *Si quis dixerit prohibitionem Solemnitatis Nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse Tyrannicam ab Ethnicorum superstitione profectam, Anathema sit.* Difficultas aliqua oriri potest in explicando quid nomine Solemnium Nuptiarum voluerint intelligere PP. Tridentini; cum aliqui ex Theologis doceant hoc Decreto prohiberi ipsas Nuptias, quandoquidem Nuptiæ dum in Ecclesia celebrantur sunt benedicendæ, nec velint Tridentini PP. aliter celebrari, quam in præsentia Parochi, & Testium, & cum his verbis: *ego Conjungo vos in Matrimonium &c.* quæ omnia pertinent ad solemnitatem ab Ecclesia invectam.

LX. Ceterum communior est Sententia non prohiberi absolute Conjugia, quia possunt absque Solemnitate celebrari, & Pontifex in cap. *Cappellanus* de Feriis testatur eam esse Rom. Ecclesiæ consuetudinem, ut Matrimonium quocumque tempore contrahatur, & prohibitionis Ecclesiasticæ sensum hunc tradunt Glossa dicti capituli, S. Thomas in præsentem distinctionem, Navarrus Enchir. cap. 22. numero 71. & alii, qui tamen fatentur, quod in locis illis, in quibus ipse Matrimonialis Contractus non fit nisi solemniter, ibidem ex consequenti prohibitus quoque censetur dictis temporibus. Astinendum tamen erit a Solemnitatibus Nuptialium Conviviorum a Choreis, a Sponsarum publicis traductionibus, & similibus, quæ temporis Sanctitati repugnant.

LXI. Alterum interdictum est a Judice Ecclesiastico, qui Matrimonium interdicit intra certas Personas, saltem ad tempus, quæ prohibitio si justa fuerit, indubie servanda est, & ei contraveniens puniendus. Quæritur ergo utrum ab hoc interdicto Matrimonium irritetur? In textibus Juris alterutra opinio legitur definita, ex quo fit, quod illius Interpretes in diversas abeunt Sententias. Valere Matrimonium, Pœnitentia contrahentibus imposita, docetur

in

in cap. 1. & 2. sub titulo de Matrim. contra Interdictum Eccl. celebr. Idem Matrimonium ipso jure nullum esse probatur in cap. *ad disolvendum* de despons. Impub. *Quod si contra interdictum nostrum*, ibi, *in prajudicium ipsius aliquid fuerit attentatum, id irritum esse decernimus, & viribus omnino carere.* Confirmatur Sententia in cap. *tua* de Sponsa duorum, & in capite *contra dicimus* in fine 35. q. 2., & ex verbis illis, quæ leguntur in cap. *videtur* 31. q. 6. ubi legitur hæc ratio: *Nam quod contra Interdictum, & Ordinem Ecclesiæ factum est, ratum non haberi tam Divinæ, quam humanæ Legis proclamat auctoritas*; Nec dissentit Jus Civile in L. finali *ne quid in loco publico*, & in L. *qui vetante* D. de re judicata, & Rota in p. 2. Recent. Decis. 735. n. 5., ut possit tuto asseri, quod Judex contra cujus Interdictum initum est Conjugium possit, & debeat illud irritum, & nullum declarare, ac penitus revocare. Negativa Sententia, nec fundamento caret, innititur enim in communi regula illa, quæ docet solum Rom. Pontificem, & Concilia Generalia posse introducere impedimenta dirimentia, agitur enim de re maxime ardua, & difficili, nec pertractanda ab inferioribus, quando agitur de dirimendo Matrimonio, & propterea si hæc facultas omni Judici Ecclesiastico concederetur, augerentur pro libito hæc Impedimenta contra fidem, quæ est maximum bonum Matrimonii, & nimis facilis redderetur irritatio hujus Sacramenti, quod statim conficitur ac concurrunt materia, forma, & consensus Contrahentium. Concedit itaque hæc Sententia, quod in re tanti momenti Christiani debent semper obtemperare Ecclesiæ, quod si nolint, puniendi sunt pœnis Canonicis; non erit tamen conveniens, ut inquit Alexander III. in laudatis textibus, *ut ob id solum Sacramentum Conjugii dissolvatur*. Inter contrarias has opiniones probabilior videtur illa, quam Glossa sequitur in conciliatione jurium, quibus illæ innituntur, ut scilicet attentius consideretur an hujusmodi Interdicto caussam dederit perpetuum Impedimentum, veluti ob ennunciatam aliquam Cognationis speciem, & tunc certum est, quod Conjuges separari debent per pœnas, imo per Interdictum, & Censuras adigi, ut a se mutuo separentur, quo usque legitime cognoscatur veritas, aut falsitas Impedimenti, quod ponitur in Controversia. Si vero prohibitio ex caussa temporaria processit, veluti quia jam fides data fuerat alii per verba de futuro, vel quia incestum commisit Conjux, aliudve ex delictis, quæ probata, adimere jus Conjugii solent, & in hoc casu si Matrimonium fuerit celebratum, validum erit pœnitentia tantum injuncta Contrahentibus, etiamsi prohibitio Judicis præcesserit, & etiamsi in fraudem litis cœptæ fuerit celebratum: Nisi fortasse melius arrideat distinctio, quam tradit Basilius Pontius de Matrimonio lib. 6. cap. 6. ubi adducit textus allatos non esse contrarios, sed singulos probare in Casibus distinctis, videlicet Decreti mere prohibentis, & Decreti prohibentis cum clausula irritante, nam primum Casum recipiunt textus allati pro negativa Sententia, & affirmativæ Sententiæ inserviunt textus posteriores, & ita in uno Casu Matrimonium celebratum nullum erit ex ratione Legis *non dubium* C. de Legibus: in altero casu erit validum Matrimonium, ut olim valida erant Matrimonia Clandestina cap. 3. de Clandest. despons. si tamen Parochus Matrimonio adstiterit, quamquam illicitè, nisi aliud Impedimentum dirimens inter Contrahentes subesse inveniatur: Quod extenditur ad Casum etiam, in quo Episcopus specialiter Parocho inhibuisset ne huic Martimonio assisteret, ut notat Zypæus in Jure

No-

Novo titulo de Matrimon. Contrac. contra Interdictum Ecclesiæ n. 7. quia non obstante hac simplici prohibitione a Cura Animarum non ammoveretur Parochus, & consequenter, neque a jure assistendi Matrimonio. Quæ dicta sufficiant, ut illa innotescant, quæ vitari debent, ut Matrimonium licite, & valide contrahatur.

C A P U T VII.

DE DISPENSATIONIBUS MATRIMONIALIBUS.

I. EO audaces homines pervenerunt, quo ipsos effrænis licentia perduxit, ut Sanctissimis Conjugiorum Legibus neglectis, & ab insano Amore turpiter dementati a detestabilibus Connubiis ex animo non recederent, neque prorsus sibi ab eisdem abstinendum ducerent. Hinc apud illos, nonnisi Conjunctiones audiebantur omnium fœdissimæ, & omnium malorum maxima, Stupra, Adulteria, Sortilegia, Sacrilegia, Uxoricidia, & Incestus, quales ne vix quidem inter nonnulla Animalia Bruta contingebant, ut Matribus filii, Parentes filiabus, ac Sororibus Fratres conjungerentur. Tantas igitur commiserata jacturas Ecclesia, Romanique Pontifices, licet olim in hoc, quemadmodum in aliis Disciplinæ articulis raro admodum dispensare consueverint (Ægrè enim PP. a fixis semel regulis, sive Canonibus recedere permittebant; ita ut scribere non dubitaverit Zozimus Papa *contra Statuta PP. condere aliquid, vel mutare, nec hujus quidem Sedis potest Auctoritas*) ab hoc Canonum rigore recesserunt, ut quod propter Cordis duritiam primitus operabatur hominis depravata natura, postmodum per Legis dispensationem corrigeret ab Ecclesia concessa indulgentia. De Dispensationibus ergo Matrimonialibus in hoc capite locuturi de subjecto, & usu earumdem agemus, de Caussis propter quas conceduntur, & de forma Concessionis, & praxi, ut recte petantur, & excusabiliter, & laudabiliter impetrentur, sit igitur.

§. I. *Jus invaluit, & Generali disciplina receptum est ut pro Dispensationibus obtinendis super Impedimento Matrimonii, solus Pontifex Maximus adiri communiter debeat, ac possit.*

II. Bene norunt omnes hic non agi de Dispensationibus in Impedimentis, quæ sunt Juris Naturalis, ut sunt *Ligamen*, *Votum solemne*, *Impotentia*, & quæ propter defectum consensus Matrimonia dirimunt *Error*, *vis*, & *Amentia*. Neque de iis Impedimentis, quæ olim erant Juris Divini, & nunc nulla sunt, antiquâ Lege jam abrogata. Tota igitur facultas hæc se extendit ad Impedimenta Juris Ecclesiastici, ut sunt *Servitus*, *Ordo*, *Consanguinitas*, infra primum gradum *Affinitas*, *Cognatio* tum *Legalis*, tum *Spiritualis*, *Publica honestas*, *Crimen*, *Clandestinitas*, & *Raptus*, in quibus omnibus sola Apostolica Sedes dispensat, quia illi potissimum Canonum observatio, & dispensatio Divinitus est commissa, vel quia ut diximus a Conciliis Generalibus, & a Summis Pontificibus fuere introducta, in quorum Decretis potestatem non habent Episcopi. Nemo ergo hanc potestatem dispensandi Ecclesiæ negat

gat, qui auctoritatem statuendi Impedimenta ei competere agnoscit, ut proinde merito Tridentini PP. eodem Anathemate feriant eos, qui negant Ecclesiam in nonnullis Impedimentis posse dispensare, quo damnat illos, qui negant posse eamdem Ecclesiam hæc Impedimenta statuere, ut plures gradus Consanguinitatis, & Affinitatis impediant, & dirimant Matrimonium, quam qui in Levitico exprimuntur. Legitur iste Canon. in Sess. xxiv. sub numero 5. Ipsi quoque Summi Imperantes, qui Nuptias inter certas Personas Lege Generali prohibuerunt, ut inter Pupillam, & Tutorem C. de interdict. Matrim. inter Pupillam, & Tutorem, aut inter Consobrinos, quas Nuptias vetuit Junior Theodosius, in particularibus circumstantiis eas cum Rescripto Principis impetrari deinde posse decreverunt L. penultima Codicis supra laudati. Et L. unica Codicis Theod. *Si Nuptiæ ex rescripto petantur*, ut notat Gothofredus in Commentar. ejusdem Legis una observans S. Ambrosium epist. 66. aperte testari hujusmodi Nuptias a Principe impetrari potuisse. Nulli itaque mirum esse debet, quod ipsa etiam Ecclesia, quæ quamdiu illa fuit Romanorum Pontificum persuasio illibatam tenuit Sacr. Canon. Custodiam, ut vix fuerit circa excessum Dispensationum audita querela, posterioribus deinde Sæculis disciplinam illam mutaverit, & ad dispensationis beneficium confugerit, ut opem ferret infirmis, & ut se faciliorem ostenderet in dissimulanda Canonum infractione, ubi jam infractio contigerat, nec sine magnis incomodis in totum reparari poterat, aut pœna infracti Canonis urgeri, quam in concedenda Canonis nondum infracti contraventione. Desinente itaque Sæculo VI. Gregorius Magnus Anglis concessit ut Consanguineis in III. gradu possent nubere. Verba Gregorii sic leguntur in Epistola ad Augustinum Episcopum Cantuariensem: *necesse est, ut jam tertia, aut quarta generatio fidelium licenter sibi jungi debeat. Nam secunda, quam diximus a se omnino debet abstinere*. Gregorianam hanc Indulgentiam in suis litteris redarguit Messanensis Episcopus *Felix* nomine, quo autem jure, nisi quia illa ætate severior disciplina adhuc custodiebatur, quam Genti recenter ad Fidem conversæ Gregorius, metuens futuram duriorem, ne a bono quod cœperat, metuendo austeriora recederet, specialiter, & non generaliter ceteris se veniam hanc concessisse Felici respondit. Tertium gradum retinuit Secundus Gregorius, sed post IV. ut nuberent Germanis concessit ineunte Sæculo VIII. Rationem hujus dispensationis reddit Pontifex in Epistola ad Benifacium: *Dicimus quod oportuerat quidem quamdiu se agnoscunt Affinitate propinquos ad hujus Copulæ non accedere Societatem, sed quia temperantia magis, & præsertim in tam barbara gente plus placet, quam districtio, Censuræ concedendum est, ut post quartam generationem jungantur*.

III. Procliviorem illis temporibus hominum fuisse naturam ad intemperantiam Connubiorum colligitur ex Petro Cellensi, qui XII. Sæculo floruit, & ad Cardinalem quemdam scripsit epistolam, quæ III. legitur in libro 7. *Penset vestra discretio, ut si quid de gradu Consanguinitatis obstet, pro bono pacis, & pro tantorum malorum recompensatione quæcumque fieri potest a Domino Papa non recusetur dispensatio*. Non videtur ergo quomodo concedi possit Christiano Lupo id quod scribit Sæculo X. *Nulla, tunc etiam Regia, vel Augusta, licet in VI. dumtaxat aut VII. Sanguinis, vel Affinitatis gradu, vel ignoranter contracta, longe minus contrahenda Matrimonia dispensabantur, sed cuncta dirimebantur juxta rigorem Sacr. Canon. Ejusmodi dispensationes, adeo*

tunc

tunc ignorabat Ecclesia, ut Francus quidam Roma redux similem sibi datam asserverans a Gregorio III. Pontifice, ac ejus vigore prætendens inire Matrimonium gravissime scandalizavit omnem Galliam, & a Nostro Apostolo Bonifacio credere id recusante consultus Zacharias Pontifex responderit: Absit, ut Prædecessor noster hoc ita credat præcepisse: nec enim ab hac Apostolica Sede illa diriguntur, quæ contraria esse Patrum, sive Canonum institutis reperiuntur. Hæc Lupus, quæ certe non cohærent cum laudata Epistola Gregorii II. ad Bonifacium, quem admiratorem hujus novitatis fingit hic Scriptor alias Pontificiæ liberalitatis parum æquus æstimator, quique post superiora verba commemorans dispensationem, quam Innocentius III. Otthoni IV. concessit Nuptias contrahendi cum Filia Philippi decessoris sui IV. Consanguinitatis gr. sibi conjuncta, hæc ex Arnaldo Abbate in Chronico Sclavorum addidit: *Philippi pro Germanico Imperio horrenda bella quis ignorat? Post Philippi cædem, lucidum erat, Otthonis jus, verum Philippi Filia obviabat: Hinc omnibus pacificandis Otthonis cum ista Filia Conjugium convenire censuerunt Imperii Proceres, ac Episcopi, quin & ipsi Apostolicæ Sedis Cardinales Legati, sed obstabat quartus Consanguinitatis gradus. Hinc tandem ad totius Imperialis Cleri, & Populi preces dispensavit laudatus Pontifex, ea tamen Lege, ut duo amplissima Monasteria Ottho fundaret, omneque Imperium largis eleemosinis, & ferventibus Orationibus istud Ecclesiasticæ Disciplinæ vulnus compensaret*: Nam licet concedatur Lupo quod Innocentius hanc dispensationem concesserit, de qua tamen in aliis historiæ Scriptoribus nihil invenitur, profecto videmus hæc ad invidiam excitandam fuisse congesta, sive essent vera, vel dubia, vel falsa. Nam falsum omnino esse deprehendimus id, quod post hanc narrationem admonentis instar prosequitur, videlicet quod ante Innocentium III. dispensationes concessæ *omnes fuerunt non præviæ ad contrahendum, sed dumtaxat posteriores, male contracti Matrimonii tolleratrices dispensationes*: & eo magis etiam a vero aberrare id, quod ad modum consequentiæ concludit: *Adeoque dispensationes prævias initiavit Alexander III., Innocentius III. ac ejus Successores viam ampliarunt*, cum non tantum dispensationes concessæ ab utroque Gregorio, Magno scilicet, & Secundo fuerunt præviæ, & longe præcesserunt tempora Alexandri III., & Tertii Innocentii, quarum etiam meminit antiquior Auctor Petrus Cluniacensis Abbas in Epistola 28. lib. 1. ubi charitatis describens effectus, inter cetera hæc ait: *Quid Anglis Conjugia indulsit, a quibus ceteros inhibuit, nisi novellæ eorum fidei timens charitas?* Sed etiam illæ, quas Turronensis Gregorius histor. lib. 5. cap. 28., & Aquisgranense Concilium impetratas narrant a Meroveo, & Lothario A. 577., & reliquæ omnes, quas juxta morem suorum temporum, & antiquiorum scribit S. Bernardus Epist. 7. consuevisse impetrari a R. P. tum fraude, tum importunitate, quod eos, qui ipsas obtinuerunt, iisque uterentur a prevaricatione excusari arbitrarentur. Haec Bernardus: *Malum, quod jam corde conceperant, opere tamen canti fuerunt non implere, nisi cum licentia. Conceperunt dolorem, sed non pepererunt iniquitatem, donec iniquo Papa conceptui præbuisset assensum*. Constat igitur consuevisse RR. Pontifices, etiam ante tempora Alexandri, & Innocentii temperare austeriorem Canonum disciplinam etiam cum iis, qui refractores Canonum nondum extiterant. Quæ omnia etiam observata volumus contra Librum Launoj de Regia in Matrimonium Potestate, in quo libro refert supra laudatam Legem ex Codice Theodosiano petitam, & binas formulas dispensationum, quarum altera ratum efficit

Conjugium nobilis cujusdam, qui contra Legum statuta Nupserat mulieri Plebejæ, & altera concedit cuidam, ut Nuptias ineat cum Consanguinea in 2. gradu, quæ formulæ leguntur apud Cassiodorum lib. 7. Variarum cap. 6. n. 40., & 47., & deinde infert, non Ecclesiam, sed Sæculi Principes ante VI. Sæculum circa Impedimenta Matrimonii dispensasse. Siquidem hæc documenta solum ostendunt utramque Auctoritatem Politicam, & Sacerdotalem potuisse specialem jurisdictionem exercere in Conjugiis, vel quia ut suo loco notavimus Matrimonium est Contractus Naturalis simul, Politicus, & Spiritualis, vel quia conservandæ Pacis caussa, Ordo Sacerdotalis ferebat in Christianis Principibus, illud idem, quod Imperatores Ethnici consueverant.

IV. Ceterum potestatem hanc utpote suam semper agnovit Ecclesia, & sibi eam vendicarunt RR. Pontifices ab immemorabili consuetudine, nisi Episcopi ostendant speciali aliquo Privilegio hanc dispensandi auctoritatem super Impedimentis Matrimonii sibi competere, & quidem merito propter debitam Sedi Apostolicæ reverentiam, cui potissimum Canonum observatio, & dispensatio divinitus est commissa; tum etiam quia Impedimenta, quæ dirimentia appellantur cum a solis Conciliis Generalibus, & Rom. Pontificibus institui potuerint, & possint, in quorum Decreta potestatem non habent Episcopi; necessario sequitur solis Pontificibus reservari, quod in Impedimentis Matrimonii dispenserit aliqua urgente necessitate, & evidenti Ecclesiæ utilitate juxta Canonicam regulam repetitam a S. Bernardo lib. 4. de Consid. ad Eugenium cap. 4. his verbis: *Ubi necessitas urget excusabilis dispensatio est, ubi utilitas provocat dispensatio laudabilis est*, & iterum traditam a Patribus Tridentinis in Sess. XXV. cap. 18. de Reform. non ut normam, & regulam Pontificiis dispensationibus, & consequenter ipsi Rom. Pontifici imponerent, quasi illius auctoritas Generali Concilio subderetur, ut perperam ex hoc Concilii Decreto contendit ostendere Ludovicus Dupin. in Proloquio suæ Dissertationis 6. de antiqua Ecclesiæ Disciplina, & du Casse in suo Tract. de Jurisdictione Ecclesiastica Tom. 1. cap. 10. §. 5. sed ut Patres Tridentini, qui non ignorabant huic regulæ constantissimè adhæsisse Rom. Pontifices, quibus materia Dispensationum erat reservata, antiquum morem fidelibus omnibus commendarent, ne putaretur injuria, si aliquando a Rom. Pontifice alicui hæc dispensatio denegaretur, ut non rarò contigit, etiam cum Summis Principibus in iis Casibus, in quibus dispensationes sine legitima caussa petitæ fuerunt. Quod si casu contingeret Papam etiam sine legitima Caussa dispensare, ex hoc inferri non deberet invalidam esse Pontificiam dispensationem: Suprema enim qua pollet potestate in Jus Canonicum cap. *proposuisti* de Concessione præbendæ, quamquam illicite, quia non esset fidelis Dispensator juxta Domini præceptum, valide tamen dispensaret, cum ad valide dispensandum caussa non requiratur, quando qui dispensat est ille, qui Legem tulit, vel ejus Successor, aut Superior, nam sicuti possent isti valide Legem abrogare etiam sine caussa, ita sine caussa poterunt valide dispensare.

V. Nunc vero quæritur an Auctoritas hæc dispensandi in Impedimentis Matrimonii competat aliis, & facile respondetur Rom. Pontifices solere Nuntiis, seu Legatis Apostolicis speciales facultates concedere dispensandi cum quibuscumque Personis intra suæ Legationis fines existentibus V. g. in 4. aut etiam in 3. Consanguinitatis, vel Affinitatis gradu, unde in hoc consulenda erunt Privilegia, quæ aliquando magis, aliquando minus extenduntur pro qualitate Personarum, & distantia locorum ab Urbe Roma. Regulariter loquen-

quendo, de jure communi, neque Episcopi sibi vindicant hanc auctoritatem, quia omnia Impedimenta introducta sunt Decreto Summi Pontificis, vel alicujus Concilii Oecumenici. Nequit autem Episcopus, utpote inferior dispensare in Decreto, & Lege Superioris ex cap. *cum inferior* de Major. & Obedientia, & ex Clementina *ne Romani* 2. de Electione. Dixi *de jure communi*. Nam ex speciali locorum consuetudine, aut Indulto Apostolico nonnulli super aliquibus Impedimentis dirimentibus dispensant, & quandoque etiam non habentes hoc speciale Privilegium, quia quod non est licitum in Lege, necessitas facit licitum cap. *quod non est* de Reg. Jur. in 6. Nec aliud exigit suave Regimen Ecclesiæ, & Pastorale Episcopi officium, ut gravi urgente necessitate possint illi suis Ovibus subvenire, ne destituantur necessariis remediis, & ne gravissimis periculis exponantur Scandalorum, Peccatorum, Diffamationum. Ut itaque innotescant conditiones, quæ requiruntur, ut Episcopi in Impedimentis a Jure Canonico constitutis dispensent, hæc dicimus requiri, videlicet ut Impedimentum sit occultum, ut caussa, & necessitas sit gravis, & urgens, nec facilis sit ad Sedem Apostolicam aditus, vel ad Nuncium, vel Legatum Apostolicum habentem dispensandi Privilegium, ut Matrimonium jam fuerit bona fide contractum, ut sit contractum in facie Ecclesiæ, hoc est coram Parocho & Testibus, simulque debitis præmissis Declamationibus, quamvis in casu valde extraordinario; incredibile enim est vel Summum Pontificem Impedimentorum relaxationem sibi soli in his angustiis cum tanto animarum periculo reservare. Habet etiam Episcopus hanc facultatem, cum jam contracto Matrimonio supervenit Affinitas ex incestu, aut Spiritualis Cognatio ex Baptismo, vel Confirmatione proveniens, sive scienter, sive ignoranter hæc Cognatio, & Affinitas contrahatur: Non ita vero si quis intra gradus prohibitos scienter Matrimonium contrahere præsumpserit, & multo magis si consummare ausus fuerit, hi enim casus a Tridentino excipiuntur in cap. 5. Sess. xxiv. nisi fortasse uni ex Contrahentibus hoc impedimentum non innotesceret, cum æquum non sit punire innocentem ob alterius culpam, argumento cap. *non debet* de Reg. Jur. in 6. Illud præterea notare oportet, quod si alius adsit, qui specialem dispensandi potestatem Delegatam habeat, non poterit Episcopus uti hoc Jure illi concesso ex casu urgentis necessitatis, nam si alia via potest commode occurri, cessat respectu Episcopi ista concessio. An vero omnes prædictæ conditiones requirantur, etiam quando Episcopus dispensat super aliquo Matrimonii Impedimento ex Privilegio, quod solet concedi Episcopis, quorum Sedes sunt ultra Montes? Respondent DD. distinguendam esse urgentem necessitatem a Privilegio, & dum concedunt urgenti necessitati recursum conditionum, quas jam retulimus; quando agunt de Privilegio, ad illud inquiunt] sufficere, ut adsit quævis rationabilis caussa, ob quam licite potest, & solet Pontifex dispensare.

§. II. *Sine Caussa, illegitima est dispensatio, & subreptitia, si ea supprimantur, quæ exprimi debent, super quocumque Impedimento ipsa dispensatio petatur.*

VI. Optat Ecclesia, ut numquam dispensetur in 2. gradu, nisi inter Magnos Principes, & ob publicam caussam. *In secundo gradu*, inquiunt Tridentini PP. in mox cit. Sess. & capite 5. *numquam dispensetur, nisi inter Magnos*

gnos Principes, & ob publicam caussam. Jure merito igitur inter caussas enumerandas, quæ Dispensationi prosunt hæ recensentur. Prærogativa Dignitatis Regiæ, vel supremi Imperantis. Urget eadem caussa dum agitur de conservatione clarissimæ alicujus Familiæ, ne scilicet defectu hæredis pereat, & ut bona eidem conserventur; ita tamen, ut in his salva semper Auctoritas Sedis Apostolicæ, & sit, & esse intelligatur; ut in cap. 21. Sess. xxv. eadem Sancta Synodus declaravit, & data opportunitate Summi Pontifices præstiterunt, qui in secundo etiam gradu dispensarunt inter Personas inferiores Principibus, imo inter Plebejos, & privatas ob caussas, & fuere rata Matrimonia contracta cum illis Dispensationibus. Excellentia meritorum in Ecclesiam additur a Barbosa in Collectaneis DD. ad Concil. Trident. & loco supra citato, sive ut dicitur in cap. *tali* 1. q. 7. Meritorum prærogativa ob insignes susceptos labores, vel pericula, puta in bello contra hostes Ecclesiæ. Præter has caussas plures aliæ recensentur in jure; vel petuntur a praxi Dispensationum, quas recensere juvat propter Casuum frequentiam, & earum usum in supplicationibus, quæ diriguntur ad Apostolicam Sedem. Harum itaque I. est extinctio gravis litis vertentis inter Oratores, qui volunt contrahere, vel eorum Parentes, Consanguineos, vel Affines super hæreditate, dote, & aliis bonis, adeo ut non ita facile alia via tolli possint, & extingui. II. suppressio gravis inimicitiæ nedum inter Personas Publicas, verum & privatas cap. 2. de Desponsatione Impuberum, ubi bonum pacis pro urgentissima caussa dispensandi habetur. III. Confirmatio, vel Conservatio Pacis, quia Pax Civium plurimum confert communi bono. Clementina *dudum* de Sepulturis. IV. Evitatio scandali, cujus nomine venit occasio, caussa, vel periculum peccati, puta Inimicitiæ, Odii, Incontinentiæ, vel cujusvis alterius gravis peccati, quia regulariter loquendo ad vitanda scandala a communi jure disceditur argumento cap. 2. de Novi Operis, enunciat. V. Angustia loci, cujus nomine venit Locus, in quo Puella non potest ducere, & habere virum sibi æqualem, vel parem, nisi Consanguineum, vel Affinem, adeo ut si negaretur dispensatio, Puella vel deberet innupta manere, quod est grave damnum; vel onus, aut ad alium locum migrare, quod nimis durum est, vel in suo Loco nubere inferiori, quod bono communi non expedit, cum hujusmodi Matrimonia infelices soleant habere exitus; & pax, mutuusque amor abesse. Hinc censetur adesse loci angustia, etiamsi Puella in loco vicino posset habere Maritum sibi parem, non Consanguineum, ut sub die 18. Novembris 1570. declaratum fuit a S. C. Cardinalium ad instantiam Episcopi Mediolanensis. Angustia vero loci decernitur in Clausula solita apponi in Rescripto Dispensationis: *Dummodo præfata Civitas* 300. *Focolariorum numerum non excedat*. VI. Defectus Dotis congruæ, ut si Fœmina, vel nullam, vel incompetentem Dotem habeat ad nubendum æquali extraneo. Porro censetur adesse defectus Dotis, primo si careat dote competente ad nubendum pari in loco propriæ Originis, quamvis Dos alias esset sufficiens ad nubendum in alio loco, quia durissimum est Fœminis nubere extra suum proprium locum, ubi Parentum, & Consanguineorum, & Amicorum consortio destitutæ acerbam vitam transigere soleant. Secundo si Fœmina Dotem quidem habeat, sed litibus involutam, & nullum haberet hæredem, qui ad litem vellet studiose attendere, ac negotium Fœminæ tamquam proprium assumere, unde periculum subesset ne caussa caderet, Consanguineus autem, vel Affinis eam ducere cupiens, litem in se susci-

sciperet cum spe utiliter gerendi negotium Dotis ratione suæ Peritiæ, vel alterius qualitatis, & hanc ob caussam non semel Pontifex dispensavit, & nunc dispensat, quando de præsenti dotem non habet, licet speret in futurum habere ex Donatione, Hæreditate, Legato, sive ex Testamento, sive ab intestato, quia Dos debetur Marito ad sustinenda onera Matrimonii, quæ statim incipiunt a die contracti Matrimonii, quo die requiritur Dos in actu, nec sufficit futura solum in spe. VII. Ætas Fœminæ, quæ videlicet annum 24. excedens, virum sibi æqualem hactenus invenire non potuit, quod procedit de Puellis, non de Viduis ex Stylo Curiæ Romanæ teste Corrado in Praxi Dispensat. lib. 7. cap. 28. VII. Copula cum Consanguinea, aut alio impedimento irretita, jam nota, & propalata ex Prole jam suscepta, aut prægnante, & hoc ex Stylo ejusdem Curiæ, quæ in hoc casu dispensat, ut consulatur famæ, & honori Mulieris, quippe quæ alias, vel deberet innupta manere, vel certe viro æquali nubere non posset, & etiam ut eviteutur scandala, alias facile suboritura. Notandum tamen, quod si copula fuisset inter Personas Impedimento affectas sub fiducia, & spe facilius obtinendæ Dispensationis, id deberet in supplicatione exprimi juxta infra dicenda. IX. Infamia Mulieris orta ex eo, quod nimis familiariter, ac modo suspecto versata fuit cum suo Consanguineo, vel Affine, unde currit gravis suspicio, licet falsa se invicem turpiter cognovisse, quod satis fuit Leoni X. ut ob hanc caussam dispensationem largiretur, ut scribit Engel ubi agit de Matrimonio contra Interdictum Ecclesiæ. X. Si Locus est ad littus maris, ubi ob continuas Piratarum, ac fidei Orthodoxæ hostium erruptiones, non facile haberi possunt Personæ extraneæ ad nubendum cum existentibus in tali loco. XI. Matrimonium cum ignorantia Impedimenti bona fide contractum in facie Ecclesiæ cum præmissis Denunciationibus, nisi ab his fuerit ab Ordinario legitime dispensatum, maxime, si jam est consummatum, & proles subsecuta, quod si secus factum sit, vel Matrimonium contractum sit mala fide, & petatur dispensatio, hoc in supplicatione exprimi debet ex infra dicendis.

VII. Videtur modo notandum esse legitimam dispensandi caussam aliquando posse consurgere ex pluribus simul sumptis, quando singulæ seorsim non sufficiunt juxta illud: *quæ non possunt singulæ, juncta juvant* L. *rationes*. L. *Instrumenta* Cod. de Probationibus, unde si quæ sufficerent caussæ, deficerent, sufficeret aliquando allegare Fœminam esse Parentibus, vel saltem Patre destitutam, quod sufficit ut Orphana vere dicatur, & præterea filios, si ipsa Fœmina, vel vir habeat filios ex alio Conjugio susceptos. Solet etiam aliquando Pontifex dispensare absque ullius caussæ allegatione, nec tamen dicitur tunc Summus Pontifex sine caussa dispensare; cum sufficiens reputetur illa pecuniaria Compositio, quæ exigitur impertienda in bonum commune, & pios usus, in Redemptionem Captivorum, in Expeditione contra Turchas vel Infideles, in Auxilium pro Missionariis Apostolicis, in Reparationem Ecclesiarum, aliorumque Piorum Locorum Manutentionem.

VIII. Notandum ulterius est, non semper ob quamlibet ex dictis caussis posse cum quolibet, & supra quolibet Impedimento dispensari, quare quo majus in suo Ordine est Impedimentum, eo major exigitur caussa, & quia majus Impedimentum est Consanguinitas, quam Affinitas, major requiritur caussa ad dispensandum super illa, quam super ista. Ita pariter major requiritur caussa pro Cognatione spirituali, quam Legali, & pro gradu propinquiore,

quia

quia quo proximior est gradus, eo minus decens est maritalis Conjunctio. Sicque major requiritur caussa pro dispensatione in secundo, quam in tertio gradu. Tandem ceteris paribus facilius dispensatio conceditur Regibus, Ducibus, Principibus, quam Nobilibus, facilius cum Nobilibus, quam cum divitibus, facilius cum divitibus alias honestæ conditionis, quam cum Plebeis, quod satis exposuerunt Tridentini PP. quando dixerunt: *in secundo gradu* (a fortiori in primo) *numquam dispensatur, nisi inter magnos Principes, vel ob publicam caussam*. Ubi primo *per secundum gradum* intelligitur secundum omnes gradus Consanguinitatis, & ex declaratione S. Pii V. etiam Affinitatis ex copula licita, seu Conjugali, non vero illicita. Alias cum Affinitas ex copula illicita se extendat solum ad secundum gradum, numquam posset dispensari in ipsa, quod tamen est contra Communem usum Sac. Pœnitentieriæ, quæ dispensat super hujusmodi Affinitate ex copula illicita etiam in primo gradu, præsertim post contractum Matrimonium, quando copula fuit cum Sorore Uxoris, aut cum fratre Mariti. Secundo *per Magnos Principes* intelliguntur nedum Reges, Principes, Duces supremam jurisdictionem habentes, sed etiam Principes Titulares, qui merito magni Domini vocari possunt. Item Marchiones, Comites Barones habentes Marchionatum, Comitatum, Baroniam. Item valde Nobiles, hoc est ex principalioribus Nobilibus Loci, potentes, & divitiis insignes. Quod si Pontificis indulgentia, ut supra diximus aliquando extendatur etiam ad inferiores Personas, & ob solum bonum privatum, ad hoc movetur gravibus caussis, quarum prima est, si contraxerint Matrimonium cum ignorantia prohibitionis Tridentini. Secunda est, si jam prolem susceperint. Tertia si longo ab hinc tempore Matrimonium fuerit male contractum. Quarta est scandalum ex separatione proventurum. Quinta, & ultima caussa est Clementia Principis, ut si Puella nubilis sit pauper, & Patruellus suus velit ipsam ducere, & honeste dotare.

IX. Præmissa cognitione caussarum alteram aggredimur expositionem rerum illarum, quæ necessario narrari debent in supplicatione, ne subreptitia obtineatur. Proderit sane plurimum Romanæ Curiæ usum cognoscere, a quo docemur id' quod generaliter notare oportet quodcumque sit Impedimentum illud, cujus relaxationem quærimus, & illud quod tamquam proprium attribuitur Impedimento illi, super quo dispensatio postulatur. Primo Impedimentum exponi debet, quod caussam præbet petitioni, illudque rite, & in sua specie proponi debet, ut omnis confusio, & æquivocatio tollatur. Secundo ubi plura adsunt, vel diversæ, vel ejusdem speciei, omnia debent simul exponi; ut si duo sint simul Consanguinei, & Affines, vel in duplici vinculo Consanguinitatis, & Affinitatis conjuncti. Tertio Impedimenta omnia in eadem supplicatione debent exponi, quia dum Pontifex dispensat, censetur semper dispensare sub tacita conditione, *si aliud non obstet* cap. 1. de ætat. & qual. Ordinan. in 6. Quod si ex duobus Impedimentis, unum sit Publicum, aliud occultum, Publicum debet proponi in Dataria ad obtinendam dispensationem pro foro externo, utrumque autem in Pœnitentieria pro foro interno, non quia hæc dispenset pro Impedimento publico, sed quia si duplex obstet Impedimentum, difficilius dispensat, etiam solum super occulto, & hoc est faciendum, sive prius pro foro interno petatur dispensatio, sive prius pro foro externo juxta Cardinalium Declarationem. Quarto si copula adducatur pro caussa dispensationis, narrari debet utrum hæc contigerit in alte-

rutro sub spe facilius obtinendæ dispensationis. Quinto si Matrimonium fuerit jam contractum, sed invalide, bonæ, vel maleæ fidei ratio reddetur, & si hæc fuerit in utroque, quod præstabitur etiam in casu, quo dispensatio a Pœnitentieria petatur. Ulterius debet exprimi si Matrimonium contractum fuerit sub spe dispensationis facilius obtinendæ, idemque fuerit consummatum hac mala fide, etiamsi mala fides fuerit tantum in uno, quando petitur dispensatio in Curia Rom. licet ad hoc, ut Episcopus pro foro conscientiæ dispenset, bona fides unius sufficiat. Quod si Matrimonium fuit contractum cum bona fide, cum ignorantia scilicet Impedimenti in utroque, sed clandestine, vel omissis denunciationibus, hoc quoque exprimi debet, cum hoc reddat difficiliorem dispensationem, Et hæc exprimi debere, nedum quando contrahentes Impedimento Consanguinitatis, vel Affinitatis obstricti sunt, sed etiam cum quovis alio Impedimento dirimente afficiuntur exposuit Clemens V. in sua Bulla.

X. Ut igitur ad singularia Impedimenta descendamus, hæc dicimus exprimi debere si petatur dispensatio super Impedimento Consanguinitatis. Primo gradus, quibus inter se Oratores devinciuntur, & in qua linea. Unde si tantum in quarto gradu se esse Consanguineos dicerent Oratores, irrita erit dispensatio; non erit tamen e contra irrita, si exprimant gradum proximiorem pro remotiore, tertium scilicet pro quarto, quia gradus propinquus includit etiam gradum remotiorem ejusdem, non tamen diversæ speciei, & propterea Pontifex, qui dispensat expresse in propinquo sibi exposito, censetur tacite dispensare in remotiore, si sint ejusdem speciei. Sed pone casum in pluribus Impedimentis, nimirum, quod Oratores sint duplici vinculo Consanguinitatis conjuncti, & multo magis si plura habeant Impedimenta diversæ rationis, hoc est si sint conjuncti vinculo Consanguinitatis, & Affinitatis simul, vel Cognationis Spiritualis, id debet exprimi in eadem supplicatione. Secundo narrare oportet non solum, si Oratores inæqualiter distent a Communi Stipite, remotiorem gradum, verum etiam propinquiorem dicendo, quod sint Conjuncti in secundo, & tertio gradu, & hoc exprimendum est, non quia revera super propinquiori gradu sit necessaria dispensatio, sed ut per speciale Breve declaretur proximiorem gradum non obstare, & hoc decrevit Pius V. in Constitut. quæ incipit *Sanctissimus* edita die 26. Augusti 1566. ibi: *obtentis tamen postea super propinquiore litteris declaratoriis*; ex quo colligitur, quod si reticeretur hic gradus propinquior, invalida haberetur dispensatio, præsertim si contingeret, quod gradus proximior esset primus, puta si duo essent Consanguinei in primo gradu, & tertio, quia ad valorem dispensationis omnino est necessaria expositio 1. grad. ex Constit. Pii IV., quam S. Pius V. circa hoc non correxit, sed potius confirmavit illis verbis: *dummodo primum nullo modo attingat, cum in eo S. S. numquam dispensare intendat*, (intellige nisi exprimatur) Et hoc confirmatur, quia non dantur litteræ declaratoriæ super hujusmodi primo gradu, sed necessaria est vera dispensatio super eo. Facta igitur hypothesi, quod gradus propinquior non esset primus, quæritur an reticentia hujus gradus invalidam redderet dispensationem? Et responderi debet affirmative, quia hoc declaravit Urbanus VIII. in suo Breve emanato die 1. Novembris 1624. in quo Pontifex declarat Officialem tolleratum, cui commissa fuerat executio Brevis, & potestas dispensandi auctoritate Pontificis, invalide dispensasse eum, qui cum quibusdam Con-

Consanguineis in 1., & 3. gradu Matrimonium contraxerant, eo quod nulla facta mentione propinquioris gradus solum in supplicatione expresserant se esse Consanguineos in tertio, nec habuerant litteras declaratorias secundum gradum non obstare. Accedit alius recentius Breve Innocentii X., quod refert Anacletus in lib. 4. Juris Canonici in Appendice de Dispensatione Matrimonii n. 179. §. 4. ubi Pontifex declarat Vicarium Generalem Asculanæ Diœces. cui commiserat dispensare super quarto Affinitatis gradu, nulliter dispensasse, eo quod cum essent conjuncti in tertio, & quarto, super tertio Oratores litteras declaratorias non obtinuerant.

XI. Vix intelligitur inquies, quomodo concurrente hoc casu verificari possit dispensationem impetratam super remotiori gradu non esse subreptitiam, si postea nulliter dispensatur cum illo, qui litteras declaratorias super primo non impetravit. Tamen si res attentius perpendatur potest id optime intelligi fuisse a Summo Pontifice imperatum ad vitandum scandalum, quod aliqui sumerent videntes non esse dispensatum in gradu propinquiori si hujusmodi Impedimentum esset publicum, & nihilominus celebrari Matrimonium. quod ipsi crederent irritum; quare voluit hujusmodi litteras declaratorias peti debere, quæ tamen non peterentur si dispensatio pertineret ad forum internum, quia Impedimentum esset occultum, & abesset periculum scandali. Additur, quod hujusmodi litteræ declaratoriæ solum necessariæ sunt pro Impedimento Consanguinitatis, & Affinitatis, quia solum de his Impedimentis agitur in Brevibus Pontificiis.

Ut oculis ipsis judicibus Graduum differentiæ observentur, de quibus in superioribus Regulis actum est, tamquam necessario exprimendis in Litteris ad Sanctissimum pro obtinenda Dispensatione super Impedimento Cognationis, varios Casus selegimus, juxta variam Personarum habitudinem, sive ex uno tantum Stipite, sive a pluribus provenientium, quorum ordinem exhibent infrascriptæ figuræ

Arbor quarti gradus Consanguin.




Arbor II. & IV. Gradus Consanguin.



In Arbore A. ut apparet, Matthæus & Joanna Sponsi sunt in quarto Consanguinitatis gradu, quia æqualiter distant a Stipite. In Arbore vero B. quia inæqualiter distant, Matthæus & Catharina, sunt inter se in tertio, & quarto gradu Consanguinitatis.

Arbor


Arbor quæ sequitur ostendit Sponsum, & Sponsam conjunctos duplici quarto Consanguinitatis gradu ex duobus Stipitibus




Demonstratio evidens est, quia Sponsi conjunguntur ex duobus Stipitibus, nam sub utroque Stipite alteruter Pater alterutrius Sponsi collocatur *Aloysius*, & *Alexius*, Caussam vero hujus duplicis Impedimenti exhibent *Antonius*, & *Eleonora* ipsi, qui sub diverso Stipite reperiuntur.

Casus idem contingit, si duo Fratres acceperint in Uxores duas Sorores, aut si ipsi Sponsi descendant ex tribus Fratribus a communi Stipite, ut constat in sequentibus Arboribus.

Arbor duplicis IV. Consanguinitatis Gradus ex eo quod duo Fratres acceperint in Uxores duas Sorores.



Arbor duplicis IV. Consanguinitatis Gradus ex tribus Fratribus provenientibus a Communi Stipite.



Iu computatione Graduum, qui notantur in hac Arbore observandum est quod repeti debet Descendentia *Alberti* fratris *Raphaelis*, & *Johannis*.

In sequenti Arbore ostenditur quommodo Sponsi quadruplici quarto Consanguinitatis Gradu sint conjuncti.

Arbor quadruplicis quarti Gradus Consanguinitatis



Demonstratio hujus assertionis ita procedit, Genitores Francisci *Petrus*, & *Rutilia* in tertio Consanguinitatis gradu conjuncti, præmissa dispensatione Matrimonium inierunt, & similiter Genitores Magdalenæ *Joseph*, & *Laura*, & hoc sufficit animadvertere ut intelligatur IV. Gradus ex Stipite utroque; tum *Jacobi*, tum *Thomæ*, & consequenter duplex IV: Gradus, qui quærebatur. Quomodo vero hi Sponsi descendant manifestum fit, si demantur

Sti-

Stipites nam *Laurentius* est Vir *Lauræ*, *Raphael* est Vir *Geltrudis*, & *Aloysius* est Vir *Teresiæ*. In hypothesi vero, quod variarentur Casus illi, pro quibus ad Rom. Sedem recursus requireretur, ut dispensaret super aliquo Impedimento, superiora exempla normam suppeditabunt ad dignoscendam etiam in his Casibus circumstantiam illorum graduum, qui Nuptiis contrahendis obstarent, præmissa semper Stipitum cognitione, & modum Descendentium ab illis.

XII. Tertium quod exprimi debet ab Oratoribus in petitione Dispensationis, de qua loquimur respicit Copulam jam secutam, Scandala ex ipsa secutura, Infamationem Fœminæ &c. quae res allegantur pro Caussa dispensandi; & in hoc casu exponere debent Oratores, utrum hanc Copulam habuerint sub spe, & fiducia facilius obtinendæ Dispensationis, etiamsi una tantum pars, hoc est, sive solus Vir, sive sola Fœmina sub tali spe Copulam habuerit, alias subreptitia, & nulla erit Dispensatio. Quod patet ex praxi Curiæ, quæ in concedendis Rescriptis Dispensationis hanc apponit clausulam: *dummodo Copula habita non sit eo fine Dispensationis facilius obtinendæ*: quod si non ex hoc fine, sed ex fragilitate intra Consanguineos, vel Affines contigerit, adhuc juxta probabiliorem sententiam exponi debere colligitur ex Declarationibus S. C. quæ apud Corradum leguntur in lib. 8. cap. 7. Imo non solum Copula illa exponenda est, quæ præcessit Supplicationem Pontifici porrigendam, verum etiam si eam sequatur; imo etiam quando habetur postquam Pontifex concessit litteras Dispensationis, sed nondum Delegatus eas fuit executus, & hoc bis declaratum fuisse ab eadem S. C. legitur apud laudatum Scriptorem loc. cit. n. 42. *Qui Romam miserunt*, inquit, *pro Dispensatione, & habito nuncio quod Litteræ fuerunt expeditæ contraxerunt, vel se cognoverunt, & ita verum est fuisse expeditas, & habere Datam ante Contractum, vel Commixtionem, nullas Dispensationes esse Congregatio Cardinalium censuit*. Et rursum: *Congregatio Cardinalium censuit Dispensationem reddi nullam ex Copula praecedente Dispensationem ab Ordinario factam, & impedire Matrimonii validitatem*. Verum tamen est, quod si Copula pluries fuerit habita, non est necesse numerum declarare, sed sufficit Copulam exprimere, quia pluralitas non reddit difficiliorem Dispensationem.

XIII. Illa modo subjcimus, quæ sunt necessario in Supplicatione exprimenda dum petitur Dispensatio super Impedimento Affinitatis. Præter omnia illa, quæ hactenus exposuimus, ulterius exprimi debet num Affinitas proveniat ex Copula licita, vel illicita, si petatur Dispensatio super primo, vel secundo gradu Affinitatis; tum quia difficilior conceditur Dispensatio super Affinitate orta ex Copula licita, quam illicita, tum etiam ut dignoscatur an cum Impedimento Affinitatis concurrat Impedimentum Publicæ honestatis, quod semper concurrit cum Affinitate ex Copula licita, qua Affinitate expressa, censetur quoque tacite expressa Publica honestas, & super ea tacite dispensatur, si exprimatur Affinitatem esse ortam ex Copula licita. Dixi: *si petatur Dispensatio super primo, vel secundo gradu Affinitatis*, nam si petatur super tertio, vel quarto, non est necesse exprimere ex qua Copula orta sit Affinitas, cumcertum sit quod illicita non extenditur ultra gradum secundum. Oportet etiam notare Lineam Affinitatis, quia major injuria est ducere Affinem in Linea recta, videlicet Nepotem Uxoris defunctæ, quam in Linea transversali, puta ex Sorore Nepotem Uxoris defunctæ, hæc tamen

conditio non attenditur si Affinitas fuerit contracta ex Copula illicita, eo quod ex illa Copula non oriatur notabiliter specialius vinculum, aut major reverentiæ obligatio Affinibus ex Linea recta, quam transversali.

Parum refert hic Affinitatum Arbores recensere, nam cum Affinitas ex Consanguinitate per carnalem Copulam contrahatur, juxta illius gradus computatur omnino, duplicatur, & multiplicatur. Satis igitur est Affinitatis Arborem hic subnectere pro quibuscumque gradibus, inter quos Nuptiæ irritantur, nisi fuerit Pontificia Indulgentia impetrata.

Arbor Affinitatis:


Uxor Fratris olim relicta	*Frater*	*Gradus* I.	*Soror*	*Vir Sororis olim relicta*
Uxor Filii Fratris	*Fratris Filius*	*Gradus* II.	*Sororis Filia*	*Vir filiæ Sororis*
Uxor Nepotis Fratris	*Fratris Nepos*	*Gradus* III.	*Sororis Neptis*	*Vir Neptis Sororis*
Uxor Pronepotis Fratris	*Fratris Pronepos*	*Gradus* IV.	*Sororis Proneptis*	*Vir Proneptis Sororis*

XIV. Quod si petatur Dispensatio super Impedimento Publicæ honestatis, satis est exprimere an sit ex Sponsalibus, an ex Matrimonio, & si super primo gradu petatur, quia fortius vinculum Publicæ honestatis inducit Matrimonium Ratum, quam Sponsalia. Dixi *si super primo gradu petatur*; nam si petatur super gradu remotiore, id exprimi non debet, cum eo ipso quod petitur super remotiore, tacite innuitur oriri solum ex Matrimonio, non ex Sponsalibus, quippequæ Sponsalia ex Tridentino Sess. xxiv. cap. 3. de Matrimonio inducunt Impedimentum Publicæ honestatis solum dirimens Matrimonium cum Consanguineis alicujus Sponsi in primo gradu.

XV. Jam vero si petatur Dispensatio super Impedimento Cognationis Spiritualis, quæritur merito quænam sint in Supplicatione exponenda, & dicimus debere exprimi an sit *Filiatio*, an sit *Paternitas*, seu *Maternitas*; V. g. an alter alterum levaverit de Sacro Fonte, an vero sit solum *Compaternitas*, seu *Commaternitas*. Quia indecentius est Matrimonium contrahi inter Patrem, & Filiam Spiritualem, quam inter Compatrem, & Matrem hujus Filiæ, seu Commatrem, & Patrem ejusdem. Accedit quod Pontifex numquam, aut vix dispensare solet in Paternitate Spirituali, quia Cognatio Spiritualis assimilatur aliquo modo Cognationi carnali. Sicuti ergo indecentissimum est Matrimonium inter Patrem, & Filiam carnalem, sic etiam inter Patrem, & Filiam Spiritualem. Non, ego tamen Pontificem posse etiam in Paternitate dispensare concurrente urgentissima caussa, v. g. evidens periculum vitæ Oratoribus imminens, quia inter se carnalem Copulam habuerunt; & quamvis Sanchez affirmet numquam legi Pontificem dispensasse ad contrahendum cum Impedimento Filiationis Spiritualis, cum tamen sæpe in Compater-

ternitate dispensasse legatur, nihilominus Vincentius de Justis affert aliquod exemplum lib. 2. cap. 5. n. 274 Debet quoque ulterius exprimi si Cognatio Spiritualis sit duplex, puta si alicujus Prolem e Sacro Fonte levavit, & tenuit eamdem in Confirmatione, vel ejusdem Prolem unam levavit, alteram tenuit, vel unus alterius prolem vicissim levavit, aut tenuit, sicuti sæpe diximus debere exponi multiplex vinculum Cognationis Carnalis; cujus Cognatio Spiritualis similitudinem gerit. Non erit tamen necessarium exprimere, si quis plures ejusdem Filios e Sacro Fonte levavit; aut in Confirmatione tenuit. ex Declaratione Clementis VIII. apud Garziam p. 8. cap. 3. n. 78. Sicuti neque erit necessarium exprimere an Cognatio Spiritualis ortum habuerit ex Baptismo vel Confirmatione, quia, hoc parum mutat, vel auget.

Cognationis Spiritualis Descriptio.



XVI. Quod si agatur de petenda dispensatione super Impedimento criminis, etiam super hoc ne subreptitia exeat dispensatio, requiritur quod Orator exponat, an crimen ortum habuerit ex machinatione in mortem conjugis, aut ex solo adulterio sine machinatione, an ex utroque simul, quia super Impedimento Criminis numquam dispensat Pontifex pro foro externo, si mortem Conjugis Defuncti alteruter est machinatus ex cap. *si quis vivente* 31. q. 1. *sine ulla spe Conjugii* (ibi dicitur) *perpetuo manere jubentur, si machinatio probata fuerit:* & jure merito, ne detur ansa occidendi Conjugem ad finem contrahendi cum alia, obtenta dispensatione. Si vero Impedimentum Criminis machinatione alterius perpetratum sit occultum, dispensat quidem super eo pro foro interno S. Pœnitentieria, sed nonnisi difficilime, & ex urgentissima caussa, & graviorem Pœnitentiam imponit sic dispensatis; Quemadmodum etiam si criminis Impedimentum sine ulla machinatione contigisset, dispensatur super eo, tam pro foro externo, quam pro foro interno, quando adsit rationabilis caussa, qualis esset si Oratrix diffamata, & innupta manere deberet, & scandala verosimiliter sequerentur, non secuto inter eos Matrimonio: & demum dispensatur, si Matrimonium jam sit contractum, utcumque invalide, ut si adfuerit Crimen adulterii cum Matrimonio.

§. III.

§. III. *Explicatur Clausula* si preces veritati nitantur, *& tempus statuitur, quo caussæ veritas Dispensationi suffragatur.*

XVII. Præmitto falsitatem in Supplicatione præcipue posse contingere, vel circa Caussam principalem motivam, vel finalem, vel circa caussam solum impulsivam Dispensationis. Item error potissimum contingere potest in Nomine, vel Cognomine Oratorum, in loco Oratorum præsertim Diœcesis, in ipso Impedimento, vel gradu illius. His præmissis, certum est per omnes falsitatem circa caussam motivam, seu finalem, seu principalem, etiamsi falsitas processerit non ex malitia, sed ex simplicitate, vel ignorantia vitiare, ac irritum reddere Dispensationis Rescriptum cap. *super litteris* de Rescriptis. Limitatur tamen hæc Doctrina, si in Supplicatione expressæ fuerint plures caussæ finales, quarum quælibet seorsim, etiam tacitis aliis, vere movisset ad dispensandum. In hoc enim casu valida est dispensatio, si una vera sit, licet aliæ caussæ in supplicatione expressæ sint falsæ, quia *utile per inutile non debet vitiari*.

XVIII. Certum insuper est falsitatem circa caussam impulsivam non vitiare, neque irritum reddere Dispensationis Rescriptum. Quoties igitur in litteris Dispensationis exprimitur unica solum caussa, ea semper finalis censenda est, adeoque ea existente falsa, vitiari, & irritari debet Dispensatio, quia Pontifex non solet absque omni caussa dispensare, & tunc locum habet illud vulgatum Axioma: *ratio legis est anima legis* cap. *consuetudo* dist. 1. E contra vero si plures allegantur, desumendum est ex Stylo Curiæ quænam ex ipsis sit finalis, & quæ impulsiva solum, & quando non constet de Stylo, standum est judicio Prudentis Judicis, aut standum est Consuetudini, quæ solet in his similibus casibus observari, aut videndum si ex aliis circumstantiis conjectura aliqua luceat, ex qua verisimilius possit de veritate concedentis judicari. Accidere & illud potest, quod diversa concurrunt hinc inde motiva, & perpensis omnibus, adhuc supersit dubium an caussa falso allegata sit motiva, vel potius impulsiva, & in hoc casu juxta Glossam finalem in lib. 2. D. de Donationibus, & alios DD. præsumendum est, quod sit solum impulsiva, sicque valere Dispensationis Rescriptum, quia quantum possumus, stare debemus pro valore actus, ut patet ex pluribus Textibus, præcipue vero ex L. *quoties in Actionibus* D. de reb. dub. Si vero perpensis omnibus circumstantiis, adhuc remanet dubium, affirmant aliqui judicandum esse pro caussa impulsiva, ut Rescriptum sustineatur. Alii vero apud Anacletum in 1. lib. Jur. Can. tit. 3. §. 9. n. 196. arbitrantur oppositum, quod *in dubiis tutior pars sit eligenda*, ubi agitur de favore Matrimonii, quod est elevatum ad rationem Sacramenti.

XIX. Nunc additur Casus erroris in nomine, & cognomine, ut quæratur an vitiet dispensationem? Si dirimendum esset hoc dubium ex praxi Curiæ, affirmativa sententia audiretur, & juxta Forensium Consilium iterum quærenda esset dispensatio. Verum non desunt alii, qui hac distinctione procedunt. Vel error inquiunt est talis, ut dispensans credat se dispensare alium ab eo, cui revera impetratur dispensatio, eo quia Persona tali nomine indicata nota sit dispensanti: vel error est talis, ut non propterea dispensans cognoscat dispensandum, sive hoc, sive alio nomine appelletur. Si res hoc secundo modo se habeat, inquiunt non vitiari dispensationem, quamvis in no-

nomine Personæ dispensandæ erratum sit., quia dispensans in hoc casu intendit concedere dispensationem petenti, qui sive sit Petrus, sive Paulus, numquam variat conceptum, & intentionem concedentis; proinde talis error est omnino per accidens, ut constat ex L. *si in nomine* C. de Testamentis ibi: *si in nomine, vel Pronomine, seu Cognomine, seu Agnomine Testator erraverit, nec tamen de quo senserit incertum sit, Error hujusmodi nihil officit. Si vero res primo modo se habeat, probabilius videtur irritam esse dispensationem*, quia dispensans intendit dispensare cum eo, cujus nomen audivit in precibus, non cum alio, licet enim Procurator intenderit proponere indigentem dispensatione, tamen revera hunc non proposuit, sed alium, & revera ex relaxatione dispensans credit esse alium, quem dispensat ab eo, cui impetratur dispensatio: ergo qua ratione error variat cognitionem, variat etiam intentionem in dispensante. Ergo sicuti ex relaxatione dispensans cognoscit dispensandam esse Personam sibi notam, intendit etiam eamdem dispensare. Quo posito concludunt hujus Secundæ Sententiæ Assertores, talem Dispensationem, utpote factam non indigenti, nec petenti, nullam esse. Hoc tamen videtur ab omnibus admittendum, scilicet, quod si non erretur in Nomine, sed in Dispensationis Rescripto reperiretur solum error in mutatione alicujus Syllabæ, vel litteræ, ut si loco Bernardi diceretur Bernardini, tunc dispensatio tenet; sicut etiam teneret, si quis haberet duo nomina v. g. Jo. Antonium, & unum tantum exprimeretur.

XX. Alter error irrepere potest, vel in nomine Diæcesis, vel in Nomine Patriæ Oratorum, & inquiri quid sit sentiendum de impetrato Rescripto. Nullum esse hoc rescriptum si error cadat in nomine Diæcesis clarum sit ex Verbis Tridentini Sess. XXII. cap. 1. *Committantur Ordinariis illorum, qui eas impetrarunt*. In supposito autem casu nullus Episcopus esset Ordinarius, qui posset exequi hujusmodi Dispensationem. Non Ordinarius Oratorum, quia ut supponitur non committitur illi executio Rescripti. Non Ordinarius Diæcesis alienæ, quia est contra intentionem concedentis Rescriptum, qui Nonnisi Ordinario Oratorum delegare intendit. Si vero error cadat in nomen Patriæ (excepto casu quo dispensatio Matrimonialis Impedimenti petatur ob angustiam loci, vel ob locum ad littus Maris) talis error non adversaretur Rescripto, quia expressio Patriæ omnino non est necessaria. Limitationis vero ratio hæc est, quia tunc locus esset caussa motiva, seu finalis Dispensationis; consequenter error circa illum, Rescriptum vitiaret.

XXI. Postremus error potest contingere circa Impedimentum ipsum, aut gradum, & nullus dubitat hunc Errorem reddere irritam Dispensationem. Limitari tamen potest responsio primo, nisi exprimeretur gradus propinquior pro remotiore ejusdem speciei v. g. Oratores esse in tertio Consanguinitatis gradu, cum tamen essent in quarto solum. In hoc enim casu Pontifex expresse dispensans in propinquiore, tacite dispensat in remotiore. Hinc licet argumentum non valeat a majori ad minus, quando majus, & minus sunt diversæ speciei, adeout si in Supplicatione majus exprimatur pro minori v. g. Consanguinitas pro Affinitate dispensatio nulla sit, esto Vinculum Affinitatis sit minus vinculo Consanguinitatis, Valet tamen quando gradus sunt ejusdem speciei v. g. Consanguinitatis. Limitatur 2. si in Brevi Pontificio Dispensationis commissæ Ordinario ex sola incuria Scriptoris irrepserit error cir-

circa Impedimentum, dummodo Oratores sufficientibus Testimoniis probent non fuisse ab ipsis commissum errorem in Supplicatione, quia certum est, quod Pontifex voluit dispensare in Impedimento, quod sibi vere fuit propositum, & error ille est penitus materialis, & intentio dispensantis, potius quam verba sunt attendenda.

XXII. Ut ad reliquam partem Nostræ Inquisitionis accedamus, in qua proponitur tempus, quo Caussæ veritas Dispensationi suffragatur præmittimus, quod quadruplex tempus in præsenti materia considerare possumus, & primo tempus, quo qui Dispensatione indigent mittunt Supplicationem, vel illam præsentant Pontifici. 2. Tempus quo litteræ Romanæ expediuntur. 3. Tempus quo litteras sibi datas Ordinarius, vel alius Delegatus executioni demandat, & actu dispensat. 4. tandem tempus, quo facta jam dispensatione, Personæ dispensatæ contrahunt Matrimonium. Hoc posito primo dicimus Caussam Dispensationis motivam non debere necessario esse veram, & existere eo tempore, quo Supplicatio Romam mittitur, vel Pontifici traditur, quia tempus, quod præcedit Dispensationem non consideratur. Neque potest dici fraudolentus Orator ille, qui caussa modo non subsistente prævidet tamen exituram tempore illo ad quod Supplicatio refertur. Accedit ulterius, quod Clausula apponi solita in Rescripto *si ita est*: *Si preces veritati nitantur*, non refertur ad tempus Supplicationis, ut clarius infra patebit. Et quamquam supra dixerimus falsitatem circa Caussam finalem vitiare, & irritare Dispensationis Rescriptum, hoc tamen asserere intelleximus, si falsitas illa adesset tempore Rescripti, vel executionis ejusdem, non vero tempore Supplicationis. Nec juvat opponere, quod sicuti nulla est Dispensatio, si antequam Pontifex det facultatem Dispensandi cesset caussa adducta pro obtinenda Dispensatione; ita nulla esse debet Dispensatio, seu concessio facultatis dispensandi facta a Pontifice, si non verificatur caussa tempore, quo mittitur, vel traditur Supplicatio Pontifici; siquidem aliud est caussam cessare ante Dispensationis Rescriptum, & non amplius esse, aut fore, aliud est caussam non verificari tempore, quo mittitur, vel traditur Supplicatio, verificanda tamen tempore posteriore. Sicuti aliud est filium jam natum esse mortuum, aliud est nondum esse natum, sed nasciturum. In primo casu nulla est Dispensatio, quia illius caussa exposita non existit, nec est eadem amplius exitura ex capite *quia circa* de Consanguin. & Affin. In secundo casu, cum tempore, quo mittitur Supplicatio, vel traditur Pontifici pro eo signo nondum concedatur Dispensatio, non est cur dicamus pro eo tempore necessariam esse subsistentiam, seu verificationem caussæ, quæ requiritur tunc quando debet poni effectus.

XXIII. Utinam vero convenirent DD. in definiendo an Caussa finalis Dispensationis necessario vera esse debeat eo tempore, quo Romæ expediuntur Litteræ Dispensationis, sed neque in hoc conveniunt. Plures affirmant, & plures negant. Qui affirmant, afferunt textum capitis *si eo tempore* de Rescrip. in 6. in quo Bonifacius VIII. decernit eum, cui provideri de Beneficio Curato mandaverat Episcopo Pictaviensi, non posse illud consequi si tempore Datæ Litterarum Papalium, seu impetrationis Rescripti Pontificii non erat Orator Legitimæ ætatis, idest 25. annorum, quamvis postea tempore Collationis sibi factæ ab Episcopo, eam ætatem nactus sit. Addunt præterea Glossam, ibi, Verbo *cum tempore*, quæ allegans alios textus concordantes, ait

tem-

tempus Datæ Litterarum Papalium esse inspiciendum. Observant adhuc, quod Pontifex, vel summus Pœnitentiarius vere non est ille, qui dispensat, etiam dum alteri Ordinario, vel Delegato executionem committit, præmisso examine veritatis præsentium: Ergo ne dicatur Pontifex, aut Summus Pœnitentiarius potius dissipator, quam dispensator, debet tunc vera esse clausula, quia sensus Clausulæ (*si preces veritati nitantur*) solitæ apponi in Rescriptis Dispensationis, videtur is esse: si caussæ mihi propositæ veræ sunt; sed caussæ propositæ non dicuntur veræ, si tempore quo movetur Pontifex, vel Summus Pœnitentiarius ad dispensandum non sunt veræ. Ergo inquiunt caussa finalis Dispensationum necessario debet esse vera eo tempore, quo Romæ expediuntur litteræ Dispensationis. Qui vero oppositam tuentur sententiam argumentum repetunt ex cap. *quia circa* de Rescriptis; ex quo inferunt, quod gratia Pontificia non habet vim perfectæ, & consummatæ Dispensationis, sed potius est mandatum de Dispensando sub conditione expressa, vel tacita, *si preces veritati nitantur*, vel *si ita est*, & consequenter inquiunt sufficere, si caussa verificetur solum tempore, quo Delegatus ex commissione Officii dispensat: & ad textum pro Contraria sententia allatum, & ad alios similes respondent eos loqui secundum morem antiquum Pontificum, & Rom. Curiæ, quia priscis illis temporibus Pontifex, & Curia Romana nulli alteri mandatum Dispensandi committebat, sed plene, & complete dispensabat, quo tempore utique debebat Caussa subsistere. At secundum praxim Recentiorem satis notam non amplius complete dispensatur a Pontifice, sed Dispensatio committitur Ordinariis, ut ipsi habita sufficienti Informatione, & cognita rerum veritate, quando actu Dispensandum, erit re ipsa, & actu dispensent. Videtur tamen prima Sententia magis conformis J. Canonico in citato cap. *si eo tempore*. Ubi vero Pontifex non providerat Oratorem de Beneficio Curato, sed mandaverat Episcopo Pictaviensi, ut Oratorem provideret, si forte tunc vacaret, vel de proxime vacaturo, & tamen, quia Orator tempore Pontificii Rescripti non habebat legitimam ætatem, licet postea tempore Collationis eam assecutus fuisset, Pontifex dixit irritam Collationem. Ergo licet Pontifex ipse non dispenset, sed committat Dispensationem Ordinario, vel alteri Delegato, si tamen tempore Commissionis Apostolicæ non subsistat caussa, & postea subsistat tempore executionis Litterarum Apostolicarum, nulla erit Dispensatio. Ex quibus patet explicationem, tum citati Capitis, & similium factam ab Auctoribus alterius Sententiæ parum esse consonam textui.

XXIV. Infertur ex his, quod si caussa finalis defierit antequam Ordinarius, vel Delegatus dispenset, & nihilominus hic velit Dispensare, nullam esse hanc Dispensationem, quia cessante caussa finali cessat Mandatum, cap. *si pauper* de Præbendis in 6. Quare Ordinarius, ut Delegatus illicite, & invalide dispensat in sequentibus Casibus 1. Si Puella petivit, & obtinuit Romæ Dispensationem super Matrimonii Impedimento ob Dotis defectum, sed antequam Delegatus ex vi Pontificiæ Commissionis dispensaret, Puella Dotem competentem assecuta est alia via, puta hæreditate, donatione &c. 2. Si Lis super re magni momenti, ex cujus motivo impetratum fuit Romæ Dispensationis Rescriptum plene fuit terminata in favorem Oratoris antequam Ordinarius dispenset. 3. quando obtenta fuit Dispensationis gratia Romæ ob Loci angustiam, sed antequam Ordinarius actu dispenset, Vir æqualis condi-

tionis fœminam in Matrimonium expostulavit. In his inquam, & similibus Casibus non subsistit, & nulla est Dispensatio.

XXV. Novus Casus insurgit quando caussa finalis Dispensationis desinit esse post ipsam Dispensationem, sed ante Matrimonium contractum, unde merito quæritur an subsistat saltem in hoc casu Dispensatio. Certum est Dispensationem subsistere, si solum post contractum Matrimonium cesset Caussa finalis, quia res tunc redacta est ad statum irrevocabilem; cum Matrimonium semel valide contractum posita Dispensatione ex caussa vere subsistente, tum tempore Dispensationis factæ ab Ordinario, tum tempore contracti Matrimonii sit indissolubile. Sicuti a pari si cum aliquo Dispensatum sit, ut ad Ordinem Subdiaconatus promoveatur, suscepto Ordine cesset caussa, non prohibetur ad alios Ordines ascendere, quia res redacta est ad Statum irrevocabilem.

XXVI. Ad difficultatem itaque propositam videtur respondendum, Dispensationem tunc amplius non subsistere, sed suum valorem ammittere. Textus est clarus in cap. *cum cessante* de Appellationibus, ibi: *Cessante caussa cessat effectus* cur ergo, & in Casu nostro cessante Caussa finali Dispensationis, cessare non debet ipsa Dispensatio, quæ Privilegio æquiparatur, quod cessante motivo cessat argumento cap. *suggestum* de Privileg., & cap. finalis de Præbendis, ubi dicitur Actus non operantur ultra intentionem Agentium, qui certe agens in nostro Casu non censetur voluisse dispensare nisi sub hac conditione tacite intellecta dummodo caussa maneat, alias illicite dispensasset, si voluisset, ac intendisset Dispensationem suam valere etiam in casu, quo caussa cessaret. Et hoc asserimus, sive Dispensatio habeat actum successivum, ut Dispensatio vescendi Carnibus in Quadragesima ob specialem infirmitatem. aut Dispensatio super Impedimento Matrimonium dirimente, quæ ante ipsum contractum Matrimonium est successiva quoad illius effectum, & non est redacta ad statum irrevocabilem: sine habeat effectum momentaneum v. g. si quis dispensaret ab edendis Carnibus unico die propter dubiam infirmitatem, quæ independenter a Dispensatione non excusat. & interim mane miraculose convalescat, certe cessat Dispensatio. Præterquamquod Caussa finalis si deficiat, impedit Dispensationem fieri, seu executioni demandari a Delegato Sedis Apostolicæ; cur ergo non impediet quoque cum jam in actum redactam, perseverare, seu ab Oratoribus executioni demandari per celebrationem Matrimonii non possit.

XXVII. Nec juvat reponere, quod vinculum per Dispensationem ablatum non amplius reviviscit cap. *ex tua* de Filiis Presbyterum juncta Glossa ibidem verbo *irritari*, & regula 73. Juris in 6. *Factum legitime retractari non debet, licet Casus veniat, in quo non potuit incohari*. Siquidem hæc ratio valet, quando vinculum, seu Impedimentum semel oblatum, absolute, vel absque ulla etiam tacita conditione ablatum sit, quod non constat in casu, de quo loquimur, nam juxta communem usum hujusmodi Dispensationes conceduntur sub hac conditione saltem tacita: *dummodo caussa permaneat*. Ad Textum in cap. *ex tua* respondetur ibi Sermonem esse de Dispensatione Pontificis cum filiis Sacerdotum, ut possint Ecclesias Paternas post mortem Parentum Sacerdotum immediate tenere, quam Dispensationem ibi decernit Pontifex non debere irritari, si cessaverit caussa solum postquam de facto virtute illius Dispensationis eam obtinuerunt, quia ut pluries habetur in Ju-
re

re Canonico, datur quoddam Spirituale Matrimonium inter Ecclesiam , & suum Pastorem seu Rectorem : sicuti autem cessante caussa motiva Dispensationis in Matrimonio Carnali, non cessat Matrimonium ante caussæ hujusmodi cessationem contractum ; ita neque Spirituale Matrimonium inter Ecclesiam , & suum Pastorem , seu Rectorem, si post illud cesset Dispensationis caussa finalis. Ad Regulam quoque 73. Juris in 6. respondetur ex Glossa ibi Sermonem esse, quando res redacta est ad statum irrevocabilem , & de facto Glossa ibi adducit exemplum de Matrimonio jam contracto semel valide , & dicit non dissolvi etiamsi superveniat caussa , quæ si supervenisset ante contractum Matrimonium, illius valorem implevisset. Imo addit eadem Glossa interdum propter supervenientem caussam impediri effectum illius, quod legitime antea factum fuit, ut legenti patebit : unde non est universaliter vera illa regula , sed patitur suas limitationes , ut in nostro præsenti casu.

§. IV. *Traditur Praxis Supplicationis pro impetranda Dispensatione pro Foro externo in forma Ordinaria super Impedimentis Matrimonium dirimentibus, & agitur de executione Litterarum Apostolicarum .*

XXVIII. Præmitto Dispensationes super Impedimentis Matrimonii non omnes expediri in eodem Tribunali , sed in diverso. Siquidem Dispensatio pro Impedimento occulto petitur, & expeditur in Tribunali secreto S. Pœnitentieriæ, cujus Dispensatio solum valet pro foro Conscientiæ , ut dicemus inferius . Dispensatio vero super Impedimento publico petitur , & expeditur , vel in Dataria in remotioribus gradibus, videlicet in quarto , aut in tertio, & quarto , vel in Cancelleria in minus remotis gradibus, videlicet in tertio, aut in secundo , & tertio . Vel in Præfectura Brevium in proximis gradibus , ut in primo , aut secundo Affinitatis , aut in primo , & tertio , in primo , & quarto Consanguinitatis, vel in primo Affinitatis, & hæc Dispensatio valet pro foro externo, seu potius pro utroque foro externo scilicet, & interno . Quod si contigat Oratores pluribus irretiri Impedimentis, quorum unum sit occultum , aliud publicum, petitur , & expeditur Dispensatio pro occulto in S. Pœnitentieria pro Publico vero in Dataria, vel Cancelleria, vel Præfectura Brevium pro diversitate graduum modo dicto . His præmissis exponitur modus efformandæ Supplicationis pro obtinenda , & dirigenda Dispensatione in foro Externo .

XXIX. Quinque sunt illæ res , quæ in hac formula notari debent. 1. requiritur Scriptura. 2. Latinum idioma. 3. Proprietas verborum, oportet enim quod verba sint usitata in Curia , clara , & simplicia , hoc est sine ambagibus , superfluis cæremoniis , & sine quæsito ornatu. 4. Expositio eorum, quæ exponenda esse superius diximus . Requiritur 5. quod inscribatur Supplicatio S. Pontifici . Ut vero praxis reddatur facilior, ponitur hæc formula Supplicationis pro Dispensatione super tertio , & quarto Consanguinitatis gradu pro foro externo ad contrahendum Matrimonium, allegata caussa Copulæ præcedentis.

BEATISSIME PATER *Exponitur humillime S. V. pro parte diversorum illius Oratorum Petri N. Laici , & Paulæ N. Diœcesis Florentinæ ; quod ipsis alias scientibus se tertio , & quarto Consanguinitatis gradibus a communi stipite provenientibus invicem esse conjunctos, Orator prædictus* (hic exponatur an data Opera ad finem facilius obtinendæ Dispensationis , vel solum

 in-

insana libidine victus) *Oratricem carnaliter cognovit. Cum vero Pater S. nisi Matrimonium inter dictos Oratores contrahatur, dicta mulier difamata, & innupta maneret, graviaque inde scandala possent oriri, Cupiunt præfati Oratores Matrimonialiter copulari, sed quia obstante Impedimento hujusmodi desiderium suum in hac parte adimplere non possunt absque Sedis Apostolicæ Dispensatione: Supplicant igitur humilime S. V. Oratores præfati quatenus, cum ejsdem Oratoribus, quod Impedimento quarti Consanguinitatis gradu hujusmodi non obstante Matrimonium inter se publice servata forma Concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiæ Solemnizare, & in eo postmodum remanere libere, & licite valeant, Dispensare. Distantiam vero tertii gradus non obstare, declarare, prolemque suscipiendam exinde legitimam nunciando dignemini de speciali gratia, non obstantibus præmissis ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque Contrariis, quibuscumque.*

Alia formula Supplicationis pro obtinenda Dispensatione super tertio Consanguinitatis gradu pro foro externo ex caussa Matrimonii jam contracti.

BEATISSIME PATER *Exponitur humiliter S. V. pro parte diversorum illius Oratorum Francisci N. Laici, Annæ N. Diæcesis Florentinæ, quod ipsi, alias scienter* (quod si ignoranter dicatur *alias ignoranter*) *se in tertio Consanguinitatis gradu conjunctos Matrimoninm* (hic ponatur etiam an sub spe facilius obtinendæ Dispensationis) *inter se de præsenti in faciæ Ecclesiæ, & de facto contraxerunt, ac consummarunt. Cum autem Pater S. Oratores præfati in ejusmodi Matrimonio remanere non possint absque Sedis Apost. Dispensatione, & si Divortium inter eos fieret gravia inde scandala possint verosimiliter oriri. Supplicant igitur* ut &c. supra in fine Prædictæ formulæ. Curandum est postea, ut hujusmodi Supplicatio Romam dirigatur, quod fieri potest, vel per Episcopum, aut ejus Vicarium Generalem, vel Episcopi Agentem, quem quivis Episcopus solet, ut plurimum Romæ habere, & pro expeditione earumdem innitendum, eo vel maxime si agatur de Incestu cum Consanguinea in secundo gradu, vel cum Affine in primo, aut secundo, quia si antequam deducatur Incestus apud Judicem obtineatur Dispensatio, & per Delegatum a Pontifice Dispensatio executioni demandetur, absolvendo Incestuosos, tam a Crimine Incestus, & excessibus, quam etiam a pœnis, & deinde cum sic absolutis Dispensando, nullus Judex Sæcularis posset amplius illos punire, vel nullo modo vexare, ut docet Vincentius de Justis lib. 1. cap. 7. n. 203. usque ad n. 207. & Nos infra dicemus.

XXX. Legitimus autem harum litterarum Executor ille est, cui in eisdem litteris demandatur executio. Solet autem demandari Ordinario Oratorum, vel ejus Vicario Generali ex Trident. Sess. XXII. cap. 5. de Refor. Matrim., & ex notorio Stylo. Sæpias autem committi solet Vicario Generali, in quo casu nequit Episcopus exequi dispensationem, sicuti nec Vicarius si committatur Episcopo, Sperell. Decis. 97. n. 107. Ubi notandum quod quicumque deputetur Executor nullam habet Jurisdictionem, nec potest litteras exequi, vel dare facultatem Oratoribus contrahendi antequam eidem præsententur litteræ Apostolicæ in Originali, etiam si aliunde sciat illas fuisse concessas, ut notant communiter DD. Hinc nullum erit Matrimonium quod contrahunt Oratores ex eo quod sciant litteras Dispensationis jam Romæ esse expeditas, vel eas jam habeant in suis manibus, etiam si contraherent de Licen-

centia Executoris, cui nondum sint præsentatæ, & visæ, ut declaravit Sacr. Congr. apud Corradum lib. 8. cap. 1. n. 44. Cujus citatæ Declarationis tenore, qui sic nulliter contraxerunt, ut possint valide contrahere indigent nova Dispensatione Romæ obtinenda, qua pariter indigebunt si obtentis, sed nondum executioni demandatis Apost. litteris Oratores, non quidem contrahent, sed tamen carnalem inter se Copulam habebunt ex speciali Declaratione Cardinalium apud eumdem Corradum.

XXXI. Ad Executorem earumdem litterarum spectabit observare num sint conformes Stylo Curiæ, solitoque Plumbo, & Cordulis munitæ existant, & an solitas clausulas habeant, alias erunt suspectæ de dolo, & fraude, consequenter nec executioni demandandæ. Porro Stylus est, ut primo ponatur nomen Pontificis sic *Clemens XIV Episcopus Servus Servorum Dei*, quod semper observatur, dum expediuntur Litteræ per Datariam, vel Cancellariam super gradibus remotioribus; quando vero expediuntur per modum Brevis in Secreteria Apostolica super gradibus proximioribus, breviter ponitur nomen Pontificis sic: *Clemens Papa.* &c. II. Statim ponitur nomen Delegati sic: *Dilecto Filio Vicario Venerabilis Fratris Nostri Archiepiscopi Florentini in Spiritualibus Generali* III. ponitur salutatio consueta sic: *Salutem & Apostolicam Benedictionem.* IV. ponitur nomen, & Cognomen Oratorum cum expressione Diæcesis sic: *Ex parte dilecti Filii Francisci N. Laici, & dilectæ in Christo Filiæ Claræ N. Mulieris Florentinæ Diœces. Oratorum* &c. V. exponit, & narrat Pontifex preces Oratorum una cum Impedimento, & caussa dispensandi sic: *Petitio continebat, quod ipsis alias scientibus se tertio, & quarto Consanguinitatis gradu attinere* &c. VI. absolvit Oratores a Censuris, & aliis Ecclesiasticis pœnis, quæ absolutio præcise inservit ad consequendum Dispensationis effectum, & ad nullam nullum. Verba esse solent: *Nos igitur eosdem Franciscum, & Claram, & eorum quemlibet a quibusvis Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, & Pœnis, vel a jure, vel ab homine quavis occasione, vel caussa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum dumtaxat præsentium consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes &c.* Ubi notandum, quod licet hæc absolutio sit valde generalis, ut patet ex voce quomodolibet, nihilominus nullo modo suffragatur secundum Regulam 66. Cancellariæ Apostolicæ, non parentibus rei adjudicatæ, Incendiariis, Violatoribus Ecclesiarum, Falsificatoribus, & falsificari procurantibus Litteras, & Supplicationes Apostolicas, & illis utentibus, Receptatoribus, & Fautoribus eorum, ac res venditas ad Infideles deferentibus, Violatoribus Ecclesiasticæ libertatis via facti, ausu temerario, Apostolicis mandatis non obtemperantibus, & Nuncios, vel Executores Apostolicæ Sedis, & ejus Officialium, ejus commissa exequentes impedientibus, qui propter præmissa, vel aliquod eorum excommuncati a jure, vel ab homine per 4. menses scienter Excommunicationis Sententiam hujusmodi sustinuerint, & generaliter quibuscumque aliis, qui Censuris aliquibus etiam alias, quam ut præfertur, quomodolibet ligati in illis per annum continuum insorduerint. VII. Pontifex enuncians se non habere facti notitiam committit discretioni Delegati Negotium, eique demandat ut cum Oratoribus dispenset servatis tamen, & observatis certis clausulis, de quibus paullo post verba esse solent; *ac certam de premissis non habentes notitiam, discretioni uæ de quo in bis sue, de quo in bis specialem in Domino fiduciam obtinemus pro-*

propter Apostolica Scripta mandamus &c. Ubi sciendum nomine Discretionis intelligi Prudentiale judicium consistens in hoc, ut sicut Delegatus juxta præscripta procedat, & simul attendat, an non ex Dispensatione Scandala, & alia gravia mala oriantur, in quo casu dispensare non debet exigente sic discretione. VIII. Subdit Pontifex *quatenus deposita per te omni spe cujuscumque muneris, ac præmii etiam sponte oblati, a quo te omnino abstinere monemus*. Quibus verbis prohibetur sub gravi (solet enim in his Litteris Dispensationis superaddi huic prohibitioni pœna excommunicationis latæ sententiæ) cujusvis muneris receptio, etiam consistentis in Esculentis, & Poculentis, quæ paucis diebus consumi possint, ut docet Sanchez lib. 8. de Matrim. disp. 35. n. 72. adeo ut neque sub prætextu laboris in studendo Processu, in examinandis Testibus, capienda informatione &c. neque pro Sigillo, expeditione &c. possit delegatus quidquam recipere, pro ut declaratum fuit a Sacr. Congr. apud Corradum lib. 7. cap. 6. n. 14., & alias. Quia vero hæc prohibitio afficit solum delegatum, non vero Notarium, hinc Notarius potest aliquod licite recipere pro examinandis Testibus, & aliis informationibus, hoc est quartam aurei, seu ducati, prout declaravit eadem Sacr. Congr. apud laudatum Corradum loc. cit. Sicuti etiam ipse Delegatus non quidem ante Dispensationem, sed solum post poterit aliquid sibi sponte oblatum a partibus recipere, quia tunc cessat ratio prohibitionis, quæ est ne muneribus obcœcatus inique dispenset, prout notavit Sanchez supra n. 14. Prosequitur IX. Pontifex: *Te de præmissis diligenter informes, & si preces veritati niti repereris, tunc etiam dispenses*, quibus verbis indicatur conditio de forma, adeo ut Delegatus invalide dispenset, nisi prius cognoscat, & reperiat preces veritati niti, etiamsi a parte rei preces veritati omnino nitantur prout sæpe decrevit S. Rota. Sufficit tamen hujusmodi cognitionem capi extrajndicialiter ex Trident. Sess. XXII. cap. 5. de Refor. Matrim. ibi: *Summario tantum, & extrajudicialiter*, nisi tamen aliquis obstaret contradictor, in quo deberet citari Pars, & Acta in Scriptis redigi, prout docet Vincentius de Justis lib. 2. cap. 6. n. 267. Porro de eorum veritate se Delegatus informare debet, & ea cognoscere, quorum falsa, vel erronea expressio vitiat, & annullat Rescriptum juxta superius dicta. X. Si intercesserit inter Oratores Copula incestuosa ante Matrimonium, vel jam contractum fuit Matrimonium cum Consanguinea, vel Affine, Pontifex dicit. *Ab incestus reatu, & excessibus hujusmodi absolvas pro utroque foro*. Circa quod notandum ad hanc absolutionem non esse necessarium, ut fiat Sacramentalis Confessio, sed potest dari etiam extra Sacramentalem Confessionem a Judice Delegato; ita ut sic absoluti, deinde etiam pro Foro externo sint immunes a pœnis, verb. gr. ab Excommunicatione, & aliis, quas ob Incestum incurrerunt, dummodo Oratores in Foro aliquo externo, sive Ecclesiastico, sive Sæculari nondum sint delati juxta infra dicenda, vel si sint delati, dummodo Sententiæ contra eos latæ, aut ferendæ prius paruerint, seu satisfecerint juxta dicenda sub n. 12. Super addit XI. Pontifex: *Imposita eisdem* &c. *Salutari Pœnitentia*, quæ Pœnitentia si dispensetur in forma Ordinaria, non est necesse, ut sit publica, etiamsi delictum esset Publicum. Quia vero nullam Pontifex determinatam præscribit Pœnitentiam, relinquitur arbitrio Delegati imponenda pro qualitate delicti, Personarum, Circumstantiarum, & temporum cap. 1. de Pœniten. dist. 5. Sequitur XII. Pontifex: *& quatenus caussa contra ipsos supra præmissis*

fis in judicium, quoquomodo deducta fuerit, pariter judicato. Quæ clausula conditionem continet, & est de forma, adeo ut Dispensatio sit invalida, nisi prius Oratores actu, & in effectu paruerint Sententiæ contra eos latæ, vel ferendæ in casu, in quo ante Dispensationem propter Incestus delictum, vel propter male contractum Matrimonium in aliquo externo Foro fuerint delati, vel accusati. Hinc non sufficit ad valorem Dispensationis, si Oratores præstent interea cautionem de parendo judicato in illo Foro, in quo fuere delati, vel accusati, quia Pontifex necessario requirit, ut dum cum illis dispensatur, jam antea paruerint judicato. Quod si Oratores ob eorum delictum adhuc occultum in nullo Foro fuissent delati, vel accusati, poterit, vel debebit Delegatus Pontificis eos absolvere pro utroque Foro, tam a crimine Incestus, quam ab aliis excessibus, & deinde dispensare, adeo ut hujusmodi facta absolutione, nullus Judex Sæcularis, illos amplius punire, aut vexare valeat propter Incestum, ut supra indicavimus, testimonio Vincentii de Justis. XIII. Addit Pontifex: *& accepto Juramento ab eis, quod sub spe facilius obtinendæ Dispensationis Incestum non commiserint*. Quod juramentum merito exigit Pontifex, quia quæ in solo animo consistunt, nonnisi juramento probari possunt, ut notat Barbosa de Officio, & Potestate Episcopi Alleg. 51. Sed circa hoc Notandum 1. si Oratores, vel unus eorum falso juret negando nimirum se sub spe facilius obtinendæ Dispensationis Incestum commisisse, Dispensationem fore nullam, nullumque fore subsequens Matrimonium, quia deest voluntas dispensandi in Pontifice. Poterit tamen deinde ipsis Oratoribus succurri absque eo quod se ipsos infament publice detegendo juramentum falso emissum, & iterum petendo novam Dispensationem pro Foro externo, si nimirum recurrant ad S. Pœnitentieriam narrando sincere casum, qualiter eum ipsis ad præcedens falsum juramentum fuerit dispensatum, & rogando, ut cum juramenti falsi delictum, & nullitas Matrimonii publice celebrati sint occulta, Summus Pœnitentiarius dignetur dispensare ad evitanda Scandala verosimiliter nascitura ex eorum separatione. Corradus lib. 8. cap. 1. numero 22. Notandum 2. aliud esse Incestum committi sub spe facilius obtinendæ Dispensationis, & aliud esse Incestum committi sub spe. Primum habetur, quando Incestuosi ideo peccant, ut facilius obtineant Dispensationem, seu quia sperant crimine admisso facilius Dispensationem obtenturos; adeo ut spes facilius obtinendi sit caussa, & motivum committendi crimen, & consequenter Scandalum, & ansa Peccati. Secundum habetur quando Incestuosi dum carnaliter peccant, habent quidem spem obtinendæ Dispensationis, sed non ideo peccant, ut facilius impetrent Dispensationem, adeo ut spes facilius obtinendi non sit caussa, & motivum peccandi. Id bene notandum est. XIV. Subdit Pontifex: *Dicta mulier infamata, & innupta maneret, graviaque inde Scandala possent verosimiliter exoriri*. Ad cujus Clausulæ verificationem sufficit probabilis timor verb. gr. inimicitia inter Oratorum Consanguineos, vel incontinentia Oratorum, vel quod mulier difamata non possit amplius competenter nubere. XV. Si super tertio, & quarto gradu petita fuerit Dispensatio subdit Pontifex: *Distantiam vero tertii gradus eis non obstare declares*. Cujus Clausulæ ratio est, quia quoties Oratores inæqualiter distant a communi Stipite debet necessario in Supplicatione exprimi etiam gradus propinquior, non ut super eo dispensetur, nisi esset primus, sed ut declaretur eum non obstare, juxta superius dicta. XVI. Si ex præcedente inter Orato-

tores Copula, Proles ante Matrimonium jam sit concepta, vel si adhuc ante Dispensationem, vel Matrimonium timeatur suscipienda, vel si ex Matrimonio invalide contracto fuit concepta, dicit Pontifex *Prolemque susceptam, si quæ sit, & suscipiendam, exinde legitimam declarando*. Quibus verbis datur facultas Delegato, ut legitimet, vel legitimatam decernat prolem illegitime natam. Ubi notandum, quod hujusmodi legitimatio valet ad legitimandam Prolem quo ad omnes effectus tum Spirituales, tum Civiles respectu subditorum jurisdictioni etiam temporali Pontificis. Verum quid agendum esset si Litterarum executor deprehenderet aliquod in precibus omissum fuisse de necessario exprimendis?

XXXII. Profecto oporteret Oratores consulere, ut novas Apostolicas Litteras procurarent, *perinde valere* dictas, ac si ab initio ritæ, ac valide impetratæ fuissent. In nova tamen Supplicatione enarrari deberet qualiter prius per errorem, vel falsitatem, aut omissionem alicujus necessario exprimendi impetratæ fuerunt litteræ Dispensationis, fideliter etiam exprimendo pluralitatem errorum, defectuum, vel falsitatum si plures in prioribus litteris incidissent, alias novum Rescriptum fuisset Subreptitium, Corradus in lib. 8. cap. 5. n. 29.

XXXIII. Rescripti formam huc usque explicatam, quam *Ordinariam* appellant DD., quia Pontifex imponit Oratoribus summam aliquam solvendam, & errogandam in usus pios modo supradicto, sequitur altera, quæ vocatur in *forma Pauperum*, de qua in præsenti. Dupliciter autem in Supplicatione potest allegari Oratorum Paupertas pro obtinenda Matrimoniali Dispensatione. Primo veluti *caussa finalis*, & motiva Dispensationis, quod evenit, quando allegatur defectus Dotis competentis, de quo in Superioribus, vel ut *caussa per accidens*, & ad id solum allegata, ut Dispensatio concedatur gratis, hoc est nulla imposita taxa, quam dispensati in forma Ordinaria tenentur solvere. Hunc dispensandi modum in forma Pauperum introduxit Pia, & provida Mater Ecclesia, ne Pauperes solvere impotentes consuetam Dispensationis taxam, destituti manerent necessario Dispensationis auxilio in Casibus etiam inter miserabiles Personas nimium occurrentibus, & hunc morem ipsi quoque Episcopi servant, dum illis dispensare contingit in Casibus sibi concessis, aut aliis ex Privilegio, etiamsi Divites illi fuerint, qui Dispensationem assequuntur, quia in Diplomatibus Pontificiis, quæ dari solent Episcopis ab Urbe distantibus hæc verba habentur: *Præfatæ facultates gratis, & sine ulla mercede exerceantur, quæcumque fuerit caussa Dispensationis*. Hac autem forma utitur tantum Rom. Curia in casu Dispensationis ob Copulam, vel ob suspicionem Copulæ inter detentos Impedimento, vel potius ob Mulieris difamationem, vel Scandala verosimiliter secutura, nisi inter Oratores Matrimonium sequatur. Illi autem censeri solent vere pauperes, & miserabiles, adeo ut cum iisdem gratis dispensetur, qui proprio labore, & industria tantum vivunt, idque constat ex verbis Rescripti Pontificii: *dummodo ipsi sint pauperes, & miserabiles, & ex sui labore, & industria tantum vivant*.

XXXIV. Infertur itaque 1. incapacem esse Dispensationis hujus virum nobilem, qui habet bona sufficientia ad se alendum absque labore, & industria, quamvis non habeat bona sufficientia ad honestam sui status sustentationem. quia deficit conditio, quod ex labore, & industria vivat.

XXXV. Infertur 2. non omnes illos, qui ex proprio labore, & industria vi-

vivunt, cujusmodi sunt Agricolæ, Artifices, Operarii Mercenarii, esse capaces Dispensationis in forma Pauperum, ut decisum habemus in Rota p. 4. Recent. Decis. 552. n. 4. quia copulative requirit, ut Personæ dispensandæ sint Pauperes & miserabiles, & simul vivant labore proprio, & industria, ut patet ex verbis supra relatis copulative, & conjunctive appositis: ubi autem dictio est copulativa, non sufficit unum probare L. finali §. *Fructus* D. Quæ in fraudem. Licet autem prædictæ Personæ vivant proprio labore, & industria, experientia constat divites, aut satis habentes esse, aut certe non ita esse pauperes, aut miserabiles, ut non sint solvendæ consuetam taxam. Ut vero in Casibus particularibus hoc dignoscatur attendendum est an, & quanti valoris bona in præsenti possideant, & vivant proprio labore, & industria. Sane ad rem præsentem sunt Pauperes, & miserabiles, quamvis habeant certam spem, vel jus in futurum habendi bona ex Legato verb. gr. hæreditate Consanguineorom, vel Fidecommisso, quia in hoc attendi debet status præsens, potentia solvendi taxam non futura, ut textus loquitur in cap. *significantibus* de Officio Delegati n. 4. Animadvertendum præterea est si Oratores, vel eorum Parentes possideant, quantus sit eorum valor deducto ære alieno, & aliis Oneribus ordinariis, quia non dicuntur bona alicujus nisi ea, quæ supersunt deducto ære alieno, & aliis oneribus L. *Mulier bona* 72. D. de jure Dotium L. *non possunt* D. de jur. Fisci. Quod si Oratores minus 50. aureis in bonis habeant, regulariter censentur Pauperes ob textum clarum in L. *nonnulli* D. de Accusatoribus, ibi: *Nonnulli propter Paupertatem, ut sunt qui minus quam* 50. *aureos habent &c.* Ulterius ad dignoscendum utrum Oratores, vere sint Pauperes, & miserabiles debent attendi principaliter non ipsa bona Oratorum, & Parentum eorum, sed fructus, quos ex eorum bonis percipiunt, vel percipere possent, si ea locarent, paria enim sunt bona habere, & pauperem esse, quando ex bonis fructus non percipiuntur. Rota p. 2. diversar. Dec. 48. n. 8. Hinc si detrahendo æs alienum, expensas, & computando onera nihil, aut parum supersit Oratoribus, unde coacti sint vivere solum proprio labore, & industria, vere dicendi sunt Pauperes, & miserabiles, neque tenentur vendere bona ad solvendam ex eorum pretio taxam, quando ex fructibus perceptis, aut percipiendis, aut aliis, quæ possident solvere non possint. Hoc tamen advertendum, quod si Oratores ex una parte vivant proprio labore, & industria, at ex alia parte possideant bona, ex quorum fructibus annuatim vivere possint per duos, vel tres circiter menses, consequenter si non integram saltem aliquam partem taxæ solvere valeant: tunc Ordinarius non potest absolutum Paupertatis testimonium Romæ requisitum dare, sed debet fructus, seu redditus annuos Oratorum in Attestatione exprimere, ut monet Corradus supra cap. 5. n. 22. Ex his.

XXXVI. Infertur Pauperes, & miserabiles non esse eos, qui quamvis non possideant bona stabilia, & vivant proprio labore, & industria, ex eodem tamen labore, & industria, vel aliunde in promptu habent notabilem summam, saltem 10. Aureorum, quibus si non totam, saltem consuetam taxæ partem solvere possunt, secus si minorem summam habeant. Advertendum insuper est utrum ambo Oratores sint Pauperes, nam Pontifex in plurali dicit Pauperes, & miserabiles, & hunc esse Stylum Curiæ Rom. monet Corradum loc. cit. n. 2. De Justis l. c. cap. 7. n. 2. Quomodo autem notificari

beat Romæ hæc Oratorum Paupertas, habetur in Decreto Urbani VIII. nimirum debere hoc fieri per legitimam attestationem Ordinarii Oratorum, ad quem spectat duos saltem idoneos Testes circa hoc examinare.

XXXVII. Sex autem Clausulas solet Pontifex apponere in Apostolicis Litteris Dispensationis in forma Pauperum. I. est *dummodo ipsi sint Pauperes, & miserabiles, & ex sui labore, & industria tantum vivant*, cujus Clausulæ intelligentia satis constat ex dictis. II. est: *in primis ab invicem separes*. Vi cujus Clausulæ debet Executor Litterarum Apostolicarum separare Oratores, si in eadem Domo cohabitent antequam eos absolvat, vel cum iis dispenset. III. est quando Oratores prævium Incestum commiserunt: *deinde eam illis publicam Pœnitentiam imponas, quæ alios deterreat a similibus committendis*. Vi cujus Clausulæ debet Executor Oratoribus talem imponere Pœnitentiam, ut Communitati palam innotescat, cujusmodi est, quod debeant aliquo Festo die in magno Populi concursu stare genuflexi, ante januam Ecclesiæ Candelas accensas in manibus tenentes, nisi forte Pœnitentia hæc ratione loci, vel Personarum esset valde ignominiosa, tunc præscribenda erit alia a prudenti Executore; ita tamen ut juxta Pontificis præscriptum in ea servetur Publicitas. IV. Clausula est *ut Lucius Operam suam conferat Fabricæ, aut in aliud servitium alicujus Ecclesiæ, vel loci Pii, saltem tribus mensibus*. Vi cujus Clausulæ debet Executor per decretum addicere Oratorem dicto servitio per dictum tempus antequam dispenset, adeo ut neque in die dispensare valeat, quia Pontifex prærequirit dictum servitium, tamquam formam, seu tamquam conditionem, ante cujus completam purificationem non vult dispensari. De Justis lib. 1. cap. 1. n. 154. Quod si urgeat necessitas Matrimonium accelerandi ob legitimationem Prolis, &, quod Oratrix sit jamjam ex prævio Incestu paritura, tunc debet Executor scribere Summo Datario Papæ, qui in tali casu permittet Matrimonium contrahi præstita tamen ab Oratore cautione quamprimum contracto Matrimonio impendendi Operam suam in servitium Fabricæ Ecclesiæ, vel Loci Pii. V. Clausula est: *Ne scandalum ex ea* (intellige Dispensatione) *sit oriturum*, quibus verbis injungit Pontifex Executori, ut non dispenset, si pro eo quod impediantur, potius secutura sint Scandala ex Dispensatione, verb. gr. graves inimicitiæ inter familias &c. VI. Demum Clausula, quam postquam prohibuit sub pœna Excommunicationis latæ Sententiæ Executoribus aliquid muneris, vel præmii pro executione exigere, vel oblatum recipere, subdit Pontifex est: *Absolutio, & Dispensatio per te facienda nullius sint roboris, vel momenti*, quibus verbis clare declarat irritam, & nullam Dispensationem in forma Pauperum, nullumque Matrimonium subsequens, si Executor pro Executione Dispensationis in forma Pauperum aliquid accipiat.

§. V. *Praxis exponitur Dispensationis inquirendæ solum pro Foro interno a Sac. Pœnitentieria, & ad Examen revocantur Rescriptum Summi Pœnitentiarii, & Clausulæ in eo appositæ.*

XXXVIII. Certum est quoad Matrimonium contrahendum in nullo gradu Consanguinitatis Sacram Pœnitentiariam dispensare, quo vero ad Matrimonia invalide jam contracta ob occultum Consang. Imped. dispensare in tertio, & in quarto Consang. gr., minime vero in primo, vel secundo.

Cer-

Certum quoque est, quod idem Sacrum Tribunal dispensat in Impedimento Affinitatis in primo etiam gradu tam ante, quam post contractum Matrimonium, similiter etiam dispensat in reliquis Imdedimentis de Jure tantum Ecclesiastico Matrimonium dirimentibos, aut impedientibus, occultis tamen. Ita communiter DD. in Constit. S. Pii V., quæ incipit *In omnibus*, & ex Constitut. Innocentii XII. *Romanus Pontifex* data A. 1692. tertio nonas Decembris. Opportunum ergo erit ea cognoscere, quæ in Supplicatione sunt exprimenda, ut Dispensatio hæc pro Foro interno obtineatur. Ut igitur aliquo ordine in hoc examine progrediamur primo monemus nequaquam exprimi debere sequentia. 1. Nomen, & Cognomen Oratoris, sed ejus loco nomen alquod fictitium Cajus, & Berta 2. nomen Diœcesis 3. gradus propinquior, nisi sit primus, sed sufficit exprimere remotiorem, si gradu inæquali videlicet secundo, & tertio distent Oratores a communi Stipite. 4. Copula inter Oratores præhabita, si spem excludat facilius obtinendæ Dispensationis, addit Corradus 5. necessarium non esse novam Dispensationem a Sacr. Pœnitentiaria impetrara casu quo Oratores post obtentas, sed nondum executioqui demandatas Dispensationis litteras Copulam inter se renovaverint, vel Orator de novo Copulam habeat cum Consanguinea, cum qua modo vult Matrimonium inire, si in Pœnitentiaria prius jam exposuit occultam Affinitatem ex præcedente Copula habita prius cum eadem Consanguinea.

XXXIX. Monemus secundo necessario exprimenda esse sequentia. I. Impedimentum in sua propria specie. II. Pluralitatem, & multiplicitatem Impedimentum si hæc pluralitas adsit, & quidem id fieri debet eo modo, quo diximus oportere exprimi in Superioti praxi pro Foro externo, nisi tamen unum Impedimentum esset publicum, aliud occultum, quia tunc pro publico supplicatur Pontifex in Dataria, vel Cancellaria, vel Præfectura Brevium pro diversitate Impedimentorum, pro occulto vero dirigitur Supplicatio ad Sacr. Pœnitentiariam servata forma ibidem tradita. III. Justa dispensandi caussa, quæ debet esse aliqua ex recensitis alibi. Siquidem pro eisdem caussis pro quibus in Foro externo solet Pontifex dispensare, potest etiam, & solet ex ejusdem Pontificis concessione dispensare pro Foro interno Pœnitentiaria, cum hac tamen differentia, quod Pontifex dispensare potest absque allegatione caussæ particularis, ut notavimus supra, non sic vero Pœnitentiaria, quæ dispensat ex aliqua sibi allegata caussa particulari ex recensitis loco cit. Plerumque tamen solent allegari in Supplicatione Scandala, quæ, nisi dispensentur Oratores secutura sunt, verb. gr. ob præcedentem Copulam, vel ob Mattimonium jam contractum juxta dicta loco cit. IV. Exprimi debet si Matrimonium sit jam contractum, etiam in facie Ecclesiæ, & præmissis denunciationibus, item an bona, vel mala Fide. V. Gradus Impedimenti Affinitatis, vel Consanguinitatis. VI. Si petatur Dispensatio super Cognationis Spiritualis Impedimento, debet exprimi num sit Filiatio, & Paternitas, seu Maternitas, an sit multiplex, modo alibi explicato. VII. tandem si petatur Dispensatio super Criminis Impedimento exprimenda sunt, quae diximus eodem loco.

XL. Sequitur ex his falsitatem circa caussam motivam, seu finalem, veluti etiam errorem circa Impedimentum, vel gradum vitiare, & invalidare, Dispensationem pro Foro interno, pro qua obtinenda eodem modo ac Stylo, quo fit Supplicatio pro Foro externo, fieri etiam debet pro Foro interno, excepto quod nomina Oratorum, ut diximus supprimuntur, & non fit inscri-

ſcriptio Papæ, ſed Summo Pœnitentiario juxta Exemplar, quod ſequitur pro impetranda Diſpenſatione ſuper Impedimento Affinitatis, in primo gradu Lineæ tranſverſalis.

EMINENTISSIME, AC REVERENDISSIME DOMINE. *NN. conſcius* (vel ſi ignoranter dicatur *ignarus*) *Impedimenti contraxit in facie Eccleſiæ, & ſucceſſive conſummavit Matrimonium cum Muliere, cujus Sororem prius carnaliter cognovit, cum autem abſque Scandalo ſeparari non poſſint, & Impedimentum ſit occultum humilime ſupplicat pro abſolutione, & Diſpenſationis remedio* (& ſi proles ſit jam concepta addatur) *ac prolis ſuſceptæ legitimationem. Dignetur Eminentia V. reſponſum dirigere Florentiam ad NN.* (hic ponatur nomen) *in jure Canonico* (vel in Theologia, ſi ſit in Theologia Laureatus (*Doctorem*) quod ſi in Loco ubi eſt Orator Perſona his characteribus inſignita non reperiatur, omiſſo verbo *dignetur* addat) *& quia in Oratoris loco nullus reperitur Confeſſarius in Jure Canonico, vel in Theologia Doctor, vel alius ad exequendum privilegiatus, dignetur. E. V. providere, & diſponere, ut etiam alius exequi valeat, & reſponſum dirigere ad me infraſcriptum.*

Exemplar Supplicationis pro Diſpenſatione ſuper eodem Impedimento Affinitatis ante contractum Matrimonium.

EMINENTISSIME, ET REVERENDISSIME DOMINE. *Exponitur humiliter E. V., quod poſtquam Titius NN. cognovit Cajam N. poſtea ignarus Impedimenti, bona Fide* (vel *conſcius Impedimenti*) *tractatum habuit de contrahendo Matrimonio cum Sorore dictæ Cajæ. Cum autem Impedimentum ſit occultum, Tractatus vero publicus, & niſi ad effectum deducatur Scandala exinde veroſimiliter exoritura ſint, cupit Orator ad vitanda Scandala, & pro Conſcientiæ ſuæ quiete de præmiſſis, de quibus ſumme dolet abſolvi, & diſpenſari. Quare E. V. humilime ſupplicat, & ſuper his de opportuno remedio Auctoritate Apoſtolica providere dignetur. Dignetur quoque* &c. ut ſupra. Inſcriptio Litteræ ſic fiat. *Eminentiſſimo, ac Reverendiſſimo D. Cardinali Majori Pœnitentiario Romam*, quo mittitur juxta morem aliarum Litterarum, quæ repetuntur ſi forte priores fuiſſent deperditæ. Et hæc ſufficiant de precibus. Modo quæ ſequuntur, adnotationes reſpiciunt ad ejuſdem Sacræ Pœnitentiariæ Reſcriptum.

XLI. Sciendum igitur eſt Stylum Sac. Pœnitentiariæ in concedendis Diſpenſationis Litteris pro Foro interno non eſſe eumdem, ac antiquum, ut patebit alterutras conſulenti, & conſtabit ex ſequentibus Clauſulis, quarum aliquæ vere ſunt ab antiquis diverſæ, & quarum potiſſimas hic aggredimur explicare. Igitur Summus Pœnitentiarius poſt ſuum Nomen, Cognomen, & titulum ſic habet 1. *Diſcreto Viro Confeſſori, Magiſtro in S. Theologia*, vel *Decretorum Doctori ex approbatis ab Ordinario per latorem præſentium ab infraſcripto ſpecialiter eligendo*, quæ clauſula continet qualitates neceſſario requiſitas ad hoc, ut poſſit aperire, & exequi Litteras Diſpenſationis Summi Pœnitentiarii. Requiritur itaque, ut ſit, vel Doctor in Theologia, idem enim ſonat Magiſter, & Doctor, vel in Jure Canonico re ipſa ſit inſignitus in aliquâ publica Univerſitate, vel Academia. Hinc infertur 1. ſi quis ſit vir doctiſſimus, & ſit Lector, vel Profeſſor, qui publice doceat, vel etiam examinatus, jam etiam approbatus, licentiatus exiſtat, ſed vere non ſit laureatus, hunc invalide exequi præfatas litteras, nullumque fore Matrimonium inde ſecutum etiam in Foro interno. Infertur 2. Lectores, & Profeſſores Regulares,

res, qui juxta sui Ordinis statuta vocantur Magistri in Theologia, vel in Jure Canonico non posse easdem litteras valide exequi: nisi laurea doctorali re ipsa fuerint decorati in publica aliqua Universitate, vel Academia, vel nisi a S. Sede Apostol. concessum sit ipsis speciale Privilegium, prout de facto concessum fuit Lectoribus jubilatis Ordinis Seraphici ab Innocentio XI. die 27. Novembris in Bulla *Exponi nobis*: Item Confessarius Societatis Jesu per suum Præpositum Generalem, vel de illius licentia ad id specialiter Deputatis a Gregorio XIII. die 3. Aprilis 1582. dummodo ejusmodi Confessarii sint a Locorum Ordinariis approbati, quod Jesuitarum Privilegium competere aliis Regularibus mendicantibus, qui communicant in Privilegiis Jesuitarum docent Sanchez, Rodriquez, & alii. Requiritur II. ut Executor Litterarum Sacræ Pœnitentiariæ sit Confessarius approbatus ab Ordinario, ut clare patet ex tenore verborum; non est tamen necesse, ut sit approbatus ab Ordinario illo, in cujus Diœcesi fit executio Litterarum Pœnitentiariæ ob Declarationem Cardinalium apud Vincentium de Justis lib. 1. cap. 8. n. 99. Requiritur III., ut sit simpliciter electus ab Oratore, cui concessæ sunt litteræ Dispensationis ad exequendum, ut clare indicant verba Clausulæ. Verum tamen est, quod si Confessarius specialiter electus, vel renuat exequi, vel ob nimium rigorem rationabiliter displiceat Oratori, istum potest variare, aliumque benigniorem eligere, ut scribit idem Corradus lib. 7. cap. 4. n. 72. asserens Sacr. Pœnitentiariam sæpe de hoc interrogatam ita respondisse: Quando autem in loco Oratoris nullus reperitur talis Confessarius, tunc supradicta Clausula variatur, & ponitur hæc alia: *Discreto viro Confessori ex approbatis ab Ordinario*. Vi cujus Clausulæ poterit quivis approbatus ab Ordinario illas exequi, etiamsi Doctor non sit, vel alius per litteras specialiter Deputatus.

Secunda Clausula est: *Discretioni tuæ committimus, quatenus si ita est &c.* quibus verbis indicatur Executorem debere examinare Pœnitentem solum, & videre num preces veritati conformentur verb. gr. Matrimonium sit jam contractum, an Impedimentum sit vere occultum, an Scandala sint verosimiliter obventura si fieret separatio, vel an alia Caussa finalis adducta subsistat. Quod si preces veritati non conformari deprehendantur, dispensari non valet, bene vero, si veritati niti dignoscantur, in quo debet sequi fidem Pœnitentis, nisi alias Confessarius extra Confessionem certo sciret preces veritati non niti, in quo casu non deberet, nec posset valide dispensare, quamvis oppositum mentiendo, vel opinando Pœnitens asseveret. Hoc Pœnitentis Examen putant aliqui non pertinere ad substantiam, & formam Dispensationis, quando in Litteris hæc Clausula apponatur *si ita est, vel si preces veritati nitantur*. Si vero in Clausula dicatur hoc alio modo: *quatenus ita esse per diligentem Oratoris examinationem inveneris*, irrita erit Dispensatio non præmisso Oratoris Examine, quia sic requiritur tamquam conditio hoc prævium Examen.

Tertia Clausula est, *Audita prius Sacramentali Confessione*. Hæc Clausula est de moderno Stylo Curiæ; unde nil mirum si DD. antiqui docuerunt ad valorem Dispensationis per Confessarium faciendæ in foro interno non prærequiri Confessionem, quæ tamen hodie requiritur etiamsi Pœnitens prius alteri rite Confessus, & ab incestu, aliisque peccatis absolutus nullo sit peccato mortali in Conscientia gravatus: alias si Confessarius ad Dispensandum ele-

electus dispenset extra Sacramentalem Confessionem, nulla erit Dispensatio, ut clare constat ex sequenti Clausula.

Quarta Clausula est: *in foro Conscientiæ, & in ipso actu Sacramentalis Confessionis, & non aliter, nec alio modo.*

Quinta Clausula est: *hac sublata occasione, si qua adhuc existat, amplius cum dicta Sorore peccandi.* Quibus verbis significatur, quod si ex audita Confessione Oratoris dignoscat prudens Confessarius eumdem Oratorem adhuc versari in proxima occasione peccandi cum Sorore illius, cum qua Matrimonium invalide contraxit ob Affinitatem ortam ex prævia Copula cum eadem Sorore, non debet Dispensare, nisi prius occasio sublata sit, alias non servaret conditionem necessario servandam.

Sexta Clausula est: *injuncta ei pro tam enormis libidinis excessu gravi Pœnitentia salutari, ac Sacramentali Confessione Peccatorum singulis scilicet mensibus, ut minimum semel, aut quoties tibi videbitur.* Quibus verbis habetur Confessarium debere necessario imponere Pœnitenti, ut per totum suæ vitæ decursum ad minimum semel in mense confiteatur: quod si Pœnitens non præstiterit, mortaliter peccabit toties, quoties in mense semel Confessionem omiserit. Præter dictam Confessionem alia debebit salutaris Pœnitentiæ Opera (nisi a S. Pœnitentiaria sint determinata) imponere Pœnitenti secundum regulas prudentiæ attenta qualitate delicti, & Personæ, adeout inspectis inspiciendis gravis revera sit, & dici possit, ut constat ex prioribus verbis dictæ 6. Clausulæ. Porro hujusmodi Opera in Pœnitentiam salutarem injungenda possunt esse, vel Opera Religionis, vel Opera Charitatis erga Proximum, vel Opera Mortificationis, ex quibus seliget prudens Confessarius quæ sibi secundum quantitatem, & qualitatem magis opportuna in Domino videbuntur, attenta, ut dixi qualitate delicti, & Personæ; ita tamen, ut semper salvetur, quod Pœnitentia sit gravis.

Septima Clausula est: *a quibus Sententiis, Censuris &c. absolvat in forma Ecclesiæ consueta*, quibus verbis datur facultas absolvendi Pœnitentem a quibusvis sententiis, & Censuris ad hunc tamen solum effectum, & in ea absolutione debet Confessarius uti ea forma, qua uti solet Ecclesia in foro Sacramentali.

Octava Clausula est: *dummodo Impedimentum præfatum sit occultum*, alias non posset dispensare, & si dispensaret, nulla esset Dispensatio, maxime ob defectum Potestatis in Summo Pœnitentiario, & consequenter in Delegato, cum S. Pœnitentiariæ solum a Pontifice concessa sit facultas Dispensandi, quando delictum, seu Impedimentum est occultum.

Nona Clausula est: *& Separatio inter latorem, & Mulierem fieri non possit absque Scandalo: ex cohabitatione vero de Incontinentia probabiliter timendum tibi visum fuerit*, quibus verbis indicatur, quod si putativi Conjuges possint sine Scandalo separari, vel si separari non possint, tamen possint absque ullo incontinentiæ periculo simul cohabitare tamquam Frater, & Soror, debet Confessarius denegata Dispensatione eos ad id inducere. Unde si Confessarius ex præteritis, vel præsentibus, aut consideratis, considerandis Personarum, & rerum circumstantiis, prudenter judicet Conjuges putativos posse absque scandalo separari, aut non posse vivere, & cohabitare simul sine incontinentiæ periculo tamquam Frater, & Soror, potest statim cum illis Dispensare. Si vero sine ullo scandalo separari possint, prout potest accidere, quando

Co-

Conjuges putativi sunt vagi, & in loco Dispensationis sunt penitus ignoti debet eos ad Separationem inducere, nec potest cum ipsis Dispensare, nisi fortasse sint invicem ita affecti, ut nullo modo velint separari, & si denegatur Dispensatio, nihilominus in priori malo statu permansuros prævideritcum ipsorum proprio Scandalo; insuper si probabilis, ac prudens adesset spes, ut sine ullo periculo incontinentiæ possent simul cohabitare tamquam Frater, & Soror (quod tamen nunquam, aut rarissime sperandum est, maxime inter putativos Conjuges juvenes) nonnulli dicunt, quod tunc necesse erit, ut de hoc Confessarius experimentum capiat, & si eventus doceat eos non posse ex una parte separari sine Scandalo, ex alia parte simul cohabitare, sine incontinentiæ periculo, tunc poterit Confessarius Dispensationem exequi.

Decima Clausula est: *aliud non obstet Canonicum Impedimentum*, quibus verbis indicatur, quod si Confessarius præter Impedimentum in Litteris expressum dignoscat Pœnitentem laborare alio Impedimento, non expresso non poterit Dispensare etiamsi bona fide, & invincibili ignorantia illud non expresserit Pœnitens.

Undecima Clausula est: *Dicta muliere de nullitate prioris Consensus certiorata, sed ita caute, ut Latoris delictum numquam detegatur*. Sed de hujus Clausulæ sensu, & adimpletione infra specialiter agemus.

Duodecima Clausula est: *Matrimonium secreto ad vitanda scandala, hoc est sine præsentia Parochi, & testium de novo contrahi possit*.

Decima tertia Clausula est: *Prolemque susceptam, si quæ sit exinde legitimam decernendo in foro Conscientiæ tantum*. Circa quam Clausulam.

Notandum 1. quod si Matrimonium debitis præmissis Denunciationibus jam erat celebratum in facie Ecclesiæ cum bona fide, saltem ex parte unius ex Contrahentibus, quæ bona fides duret etiam tempore Conceptionis. Proles ex hujusmodi Matrimonio, quoad omnia in utroque foro censetur ipso Jure legitima, argumento L. *filiam* 6. D. quæ sunt sui, vel alieni Juris, & in principio Instit. de Patria potest. & capite 2. qui filii sint legitimi.

Notandum 2. quod si Matrimonium fuit contractum mala fide ex parte utriusque, & deinde proles fuit concepta ante Dispensationem, virtute dictæ Clausulæ legitimatur in foro Conscientiæ Proles quoad omnes effectus Spirituales, hoc est, quoad Beneficia, Ordines, honores, & dignitates Ecclesiasticas, non quoad effectus temporales Civiles, & Politicos, successionem videlicet, hæreditates, Feuda &c.

Notandum 3. Quod si Matrimonium prius mala fide utriusque partis contractum, postea post Dispensationem revalidetur, & ex ipso Proles nascatur, hæc erit legitima quoad omnes effectus tum spirituales, tum temporales.

Notandum 4. Effectus supradictos valere in foro Conscientiæ tantum, ut patet ex ultimis verbis Clausulæ: *nullatenus vero in foro externo, casu quo Impedimentum fieret manifestum*.

Notandnm 5. Hujusmodi Prolis legitimationem fieri debere in actu Sacramentalis Confessionis, ut patet ex verbis consuetis Pœnitentiariæ sic dicentis: *ut proles, si qua sit legitima decernatur in ipso actu Sacramentalis Confessionis, & non aliter, nec alio modo*.

De-

Decima quarta Clausula est: *Hujusmodi absolutio, & Dispensatio Latori in foro judiciario nullatenus suffragetur.* Vi cujus Clausulæ habetur, quod si Impedimentum desineret esse occultum, & quocumque modo fieret publicum, non obstante Dispensatione in foro interno obtenta a S. Pœnitentiaria. Ordinarius ad evitanda publica Scandala deberet separare Conjuges, donec pro foro etiam externo obtineretur Dispensatio.

Decima quinta Clausula est: *Nullis super his adhibitis testibus, aut litteris datis*, quæ verba indicant Confessarium in exequenda Dispensatione ex mandato Sacræ Pœnitent. non debere adhibere testes, nec dare litteras Testimoniales de hujusmodi facta Dispensatione, sed debet exequi solum in foro Sacramentali, & in foro externo taliter se gerere oportet, ac si nihil sciret omnimode.

Decima Sexta Clausula est: *præsentibus laniatis, quas sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ laniare tenearis, itaut nullum eorum exemplum extet.* Quibus verbis ostenditur Confessarium sub gravi (pro quo solum imponitur Excommunicatio) teneri dilacerare, vel alio modo comburere, vel in profluentem projicere &c. ut non amplius possint esse usui, aut probationi pro foro externo, quod præcipue intendit S. Pœnitentiaria. Posset nihilominus Confessarius pro sui, & aliorum instructione absque Excommunicationis metu Litterarum Pœnitentiariæ novum exemplar sibi scribere; nam Pœnitentiariæ mens est autenticum documentum in debita juris forma probans prohibere detineri, ut advertit Gobat Tract. 5. capite 34. numero 273.

Decima septima Clausula est; *Neque latori restituas* quibus verbis graviter prohibetur Confessario litteras Pœnitentiariæ executioni demandatas restituere Pœnitenti. Dixi executioni demandatas, quia si Confessarius a Pœnitente electus ad dispensandum, vel nollet, vel tardaret exequi, deberet certe illas restituere Pœnitenti, ut posset alium magis benignum, ac promptum Confessarium eligere.

Decima octava Clausula est: *quod si restitueris, nihil ei præsentes litteræ suffragentur*, hoc est nil suffragentur Pœnitenti pro foro externo: Si enim Confessarius jam executus sit pro foro interno Dispensationem, & postea restituerit litteras Pœnitenti, cum valor, & effectus pro foro interno tolli non possit, nec dispensatio irritabitur.

Tandem a tergo Litterarum Sacr. Pœnitentiariæ solet inscribi *gratis ubique*, quod denotat, nec Officiales Pœnitentiariæ, nec Executorem Litterarum posse aliquid exigere, vel acceptare etiam sponte oblatum, etiam sub prætextu laboris ante Dispensationem, licet post aliquid sponte oblatum accipere tuta conscientia possit.

§. VI. *Obtenta Dispensatione super Impedimento dirimente novus requiritur utriusque Conjugis Consensus in idem Matrimonium.*

XLII. Hujus propositionis veritas expressa habetur in L. *Nuptias* 30. D. de Reg. Juris, in canone *sufficiat* 37. q. 2. & deducitur ex ipsa natura Matrimonialis contractus, qui antea nullus, & invalidus fuerat propter Impedimentum dirimens, quod Personas ad contrahendum reddit inhabiles, sed efficacius eadem propositio probatur ex Litteris Sac. Pœnitentiariæ, in qubus dicitur:

cum

cum eodem Latore, dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata; sed ita caute, ut Latoris delictum numquam detegatur, dispenses, quæ verba cum conditionem in Dispensatione apponant, quæ Dispensationis ejusdem formam inducit, onus scilicet renovandi consensum L. *qui hæredi*, L. *medius* D. eodem, inevitabiliter ad valorem illius hæc renovatio consensus requiritur cap. *cum dilecta* de Rescriptis. L. *diligenter* 5. D. Mandati, & ita respondisse Clementem VIII. auctor est Basilius Pontius in libro 4. sui Tractatus de Matrimonio capite 25. numero 5. Quomodo autem id fieri possit hic labor hic angustia Confessarii.

XLIII. Sanchez libro 2. de Matrimonio disp. 36. quem approbat Cardenas in explicatione primæ Propositionis inter damnatas ab Innocentio XI. Differt. 2. cap. 8. art. 13. quæst. 3. ubi contrariam oppinionem extra casum necessitatis subjicit huic damnationi, hunc modum proponit num. 676. nempe quod conscius Impedimenti dicat alteri Conjugi ignoranti se in actu prioris Matrimonii non habuisse consensum, in quo asserendo nullum intercedit mendacium, nam idem est non consensisse, ac nullum, & irritum consensum præstitisse propter Impedimentum dirimens tunc ignoratum, & deinde roget alium Conjugem, ut ob id de novo consentiat. Addit tamen ipse Sanchez, & merito modum posse esse valde periculosum, maxime si adhibeatur a Fœmina Impedimenti conscia cum viro ignaro nullitatis prioris Matrimonii; Nam in Viro sic interpellato a Fœmina potest oriri gravis suspicio de aliqua fraude uxoris, & inde graves discordiæ, & gravia Scandala, & propterea non esse adhibendum, idcirco in tali casu recurrendum erit ad aliud remedium, quod Sanchez ipse loco citato num. 5. deducit ex inconstantia Amoris, quæ in Conjugibus aliquando excitat Pœnitentiam status eorum; ita ut Conjux non conscia Impedimenti, & quam non latet amari ab altero, respondere teneatur se firmam in Amore esse, nec sui status unquam pœnituisse, nec pœnitere. Verum non videtur hoc remedium sufficere. Primo quia, quando non monetur Conjux ignarus Impedimenti dirimentis, saltem in genere, videtur ignorata Dispensatio Impedimenti, quæ concessa fuit sub expressa conditione, ut manifestaretur Conjugi ignaro. Secundo quia difficile est; imo secundum aliquos Doctores impossibile, quod Conjux ignarus Impedimenti, ac invaliditatis prioris Matrimonii præstet verum, & realem consensum ad renovandum Matrimonium, quod putat invincibiliter fuisse validum. Quare Conjux ignarus consentiet, vel saltem prudenter timeri potest, quod consentiat solum oretenus ad consolationem alterius, non vero animo vere revalidandi Matrimonium, quod invincibiliter credit validum. Non nego tamen, quod possit Conjux ignarus vere consentire, dato quod ejus menti occurrat aliqua suspicio, seu cogitatio de nullitate Matrimonii; secus si non occurrat. Et quia constare non potest, quandonam occurrat, adeoque nec constare potest an serio, vel solum oretenus consentiat, idcirco dictus modus displicet Pontio lib. 4. cap. 25. num. 4. nec videtur satis opportunus.

XLIV. Melius censerem dicendum, quod Conjux Impedimenti conscius nullum ineat periculum, nullumque grave subeat incommodum revelando nullitatem, ac dicendo alteri Conjugi se invalide contraxisse, sed se velle in Matrimonio persistere, & optare consensum alterius, qui si obtineatur etiam inter solos Conjuges (dummodo Impedimentum sit occultum, ita ut nullo mo-

do probari possit, & jam sit per Dispensationem ablatum) Matrimonium revalidatur, & ita juxta præscriptum S. Pœnitentiariæ nullitas primi Matrimonii certioratur, consensus ex utraque parte renovatur, & delictum partis consciæ numquam detegitur, & ita procul dubio est agendum ob dicta superius. Quando vero nullitas prioris Matrimonii clare aperiri non potest sine Scandalo, & sine magno periculo, & incommodo, maxime si pars conscia sit mulier, ex cujus manifestatione possit in Marito suboriri curiositas sciendi caussam nullitatis Matrimonii, cui si non satisfiat ab uxore, inde ipsi gravia sequantur damna: In hoc casu, in quo tota stat difficultas, debet excogitari modus, quo ab utroque contrahente novus præstetur consensus in Matrimonium, qui modus secundum aliquos esse potest, si pars conscia nullitatis alteri dicat se agi scrupulis, quod sibi non clare constet utrum vere ambo consenserinr in Matrimonium, quando coram Parocho convenerunt, ut illud celebrarent, se optare propterea illius consensus renovationem pro quiete conscientiæ suæ, quod si sequatur (inquiunt) Matrimonium convalidari, & quod sufficienter Conjux ignarus certioratur de nullitate Matrimonii, neque mentitur dicendo se non meminisse, quid faceret, quando contraxit, quia vere nesciebat se nulliter contrahere, cum ignoraret Impedimentum postea deprehensum.

XLV. Alius modus inquiunt alii esse potest, si mulier arrepta occasione propitia Maritum rogat, vel e contra Maritus Uxorem, ut ad majus meritum habendum in Matrimonio, aut in honorem alicujus Festivitatis tunc occurrentis per novum consensum inter se ipsos contrahant, vel renovent Matrimonium perinde ac si primum fuisset nullum. Quod si sequatur, Matrimonium covalidatur; conditio enim apposita perinde ac si Matrimonium fuisset nullum æquivalet certiorationi nullitatis, quia de novo præstatur consensus ac si primus esset nullus. Neque dici potest, quod talis consensus sit pure Confirmatorius primi consensus invalidi, non vero renovatorius primi consensus. Supponitur enim, quod Conjux Impedimenti inscius ex motivo comparandi majorem gratiam ex Matrimonio, intendat contrahere quantum potest, & de hac intentione constat Uxori; nam si hujusmodi intentionem vir non haberet, neque renovaret consensum, sed præcise approbaret consensum datum, & non validaretur Matrimonium, ut etiam infra dicemus. Neque etiam dici potest prædictum modum esse contra mentem Pontificis Dispensantis, qui vult, ut pars inscia certioretur de nullitate prioris consensus, qui in casu non videretur fieri, quia per Epichejam interpretamur nolle Pontificem fieri explicitam certiorationem in casu periculi gravis damni, sed solum implicitam, quæ sufficienter habetur adhibendo aliquem ex recensitis modis. Cujus ratio est, quia ut patet ex formula Dispensationis, Pontifex vult, ut certioratio fiat ita caute, ut delictum parti insciæ minime detegatur. Ergo etiam prudenter creditur nolle ad ipsam expressam certiorationem obligare, quando ex hac secuturum sit grave scandalum, & delictum partis detegi possit, secus quando nullum timeatur incommodum.

XLVI. Sed quid dicendum, quando si adhibeantur Cautelæ, aut modi proxime recensiti, adhuc rationabiliter timeatur ne oriatur in viro suspicio nullitatis Matrimonii, unde grave Sandalum ac notabile damnum immineat Uxori? Ad hoc respondet Sanchez loco citato, & Cardenas supra n. 677. posse in tali casu ad praxim deduci opinionem, quæ docet ad renovandum Ma-

Matrimonium non esse opus, ut manifestetur ullo modo Conjugi ignaro Nullitatis Matrimonii, sed sufficere si Conjux conscius Impedimenti absque ulla data notitia nullitatis prioris Matrimonii caute curet, ut alter Conjux ignarus renovet consensum suum petendo ab ipso maritalis societatis indissolubile vinculum renovari, quod si ille annuat, ultro citroque pacta confirment, mutuoque consensu iterum consocientur. Ratio istorum DD. est, tum quia Pontifex non damnat opinionem minus probabilem, & minus tutam vergentem circa valorem Sacramenti in casu, quo propter urgentem necessitatem non possit ad praxim deduci opinio tutior; tum quia extrema necessitas facit, ut quæ in communibus circumstantiis sunt indecentia, in hac circumstantia talia non sint, qua ratione indecens quidem est, & magna irreverentia Sacramento irrogatur si quis baptizetur in lixivio, quando habetur copia aquæ naturalis: Ceterum si lixivium adhibeatur deficiente aqua naturali, & stante extrema necessitate baptizandi nulla fit irreverentia Sacramento Baptismi: tum etiam quia licet hæc opinio seclusis prædictis circumstantiis, Scandalo &c. sit tenuis probabilitatis, illis tamen intervenientibus potest admitti tamquam probabilis, quia non est novum, quod aliqua opinio, licet de se parum probabilis, tamen illius usus cohonestetur.

XLVII. Quod si neque hic consensus extorqueri possit, quia Maritus ver. gr. ignarus nullitatis Matrimonii requisitus de consensu, vel non vult respondere, vel potius aperte disentiat, & ex alia parte putans valere Matrimonium prius contractum vult eo uti, & Uxor sine Scandalo, vel periculo notabilis damni nequit disentire: dicunt laudati DD. quod licite Debitum reddere potest, intendens si possibile est Matrimonium contrahere per Copulam affectu maritali habitam; nam utique vir, cum eam putet vere esse suam uxorem ad ipsam tali affectu accedit, & ratio eadem est ac superior, quia quod extra necessitatem parum probabilitatis habet, accedente necessitate gravissima, præcipue favore Animæ, acquirit sufficientem probabilitatem.

XLVIII. Ceterum mihi cum Anacleto in Jus Canonicum in Appendice de Impedimentis Matrimonii §. 13. & ultimo n. 605. etiam intervenientibus prædictis circumstantiis, in praxi probabilis hæc opinio non apparet, quia licet concederem ob periculum Scandali, vel gravis damni incurrendi, & adhibita conditione in contrahendo, cohonestari posse celebrationem Matrimonii, ut dictum est a simili in Baptismo collato in gravi necessitate sub materia dubia; nullatenus tamen cohonestari potest copula inter hujusmodi Conjuges, qui prius invalide contraxerunt, quod sic ostendo. Opinio, quæ asserit revalidari Matrimonium nullum per hoc, quod Conjux ignarus Impedimenti dirimentis ficte inducatur ad consensum, etiamsi non moneatur de nullitate Matrimonii est parum probabilis, nec potest ad praxim deduci seclusa omni circumstantia damni, & Scandali, ut concedit idem Sanchez. & omnes fateri debent post decretum Innocentii XI. de sequela opinionis probabilioris, & tutioris, ubi agitur de valore Sacramenti; ergo neque potest ad praxim deduci etiam accedente hujusmodi circumstantia: Nam ideo primum quia consensus præstitus a Conjuge ignaro nullitatis, est consensus præstitus ex errore circa substantiam, in quantum, quod putat consentire in Conjugem, quem suam per Matrimonium antecedenter contractum invincibiliter esse putat, sed etiam accedente hujusmodi circumstantia, nullaque certiorati-

tione facta nullitatis Matrimonii Conjugi omnino ignaro intervenit idem error: ergo in utroque casu stat nullitas Matrimonii, qua posita numquam potest cohonestari ejus usus: ergo neque circumstantia Scandali, aut damni quidquam facit, quoad cohonestandum illa, quæ sunt intrinsece mala, cujusmodi est Copula fornicaria, quæ in casu interveniret; quæque ob nullam circumstantiam periculi damni, etiam vitæ, non potest cohonestari.

XLIX. Eodem modo non libenter adprobo Matrimonium in casu validari, per hoc, quod contrahentes affectu maritali se cognoscant, quia qui putat Matrimonium antecedenter celebratum fuisse validum, non videtur per Copulam affectu maritali habitam revalidare Matrimonium, sed solum adprobare Matrimonium invalidum, quod putat validum, & alias eadem Copula a Conjuge conscio nullitatis habita, non sufficit sola ad validandum Matrimonium; sed approbatio Matrimonii invalidi, quod ex errore reputatur validum, non est ipsius revalidatio, vere igitur non revalidatur, neque est licitus illius usus: ergo absolute puto dicendum Conjugem ignarum inducendum esse ad renovandum consensum facta mentione saltem implicita nullitatis, per hoc, quod Conjux conscius dicat v. g. sibi non constare de valore Matrimonii juxta ea, quæ supra diximus, & ideo non posse licite reddere debitum, quandiu alter Conjux per novum consensum nolit illud renovare quatenus opus est, & in hac deliberatione persistat donec alter consentiat, non obstante quocumque suo incommodo.

L. Sed modo dubitatur, quando Matrimonium est nullum ex solo defectu unius Conjugis, an requiratur novus utriusque consensus, ut validum reddatur? Certum est ex cap. 2. & ultimo de Conjugio Servorum requiri notitiam nullitatis, & erroris, novumque utriusque consensum, quando Matrimonium fuit nullum ex defectu consensus proveniente ex errore circa Personam. Difficultas est, quando non adfuit defectus consensus ex dicto Errore, sed unus v. g. ficte, vel ex gravi timore sibi injuste ad id incusso consentit, an sufficiat, quod hic consensus tantum ponatur? Cui difficultati negative respondetur, quia requiritur, quod pars ignara nullitatis, de ea certioretur, & denuo ipsa quoque consentiat, tum propter fundamenta superius allata; tum etiam quia defectus Consensus ex parte unius Contrahentis Jure Divino, & Naturali dirimit, & irritat Matrimonium. Demum quia (ut supra notavimus) Clemens VIII. specialiter super hoc interrogatus, animadvertens primum illum consensum pertinuisse ad materiam, neque legitimam, neque idoneam, respondit pro Matrimonii confirmatione esse necessarium novum consensum utriusque, illius nempe qui Matrimonium per vim contraxit, & simul alterius, qui vim ejusmodi ignorans, ultro, ac libenter eodem se Matrimonio illigavit, adjecta præterea hac conditione, ut prius admoneretur Maritus, qui jam libere consenserat, de Nullitate Matrimonii. Ita DD. communiter. Clementis VIII. responsum legitur apud Comitolum in lib. 1. Responsorum Moralium quæst. 120. & fuse de eodem agit Pontas de Matrim. lib. 4. cap. 24. 25. Maximi tamen faciendum arbitramur id, quod proponit Genettus Theol. Moral. Tract. 9. cap. 7. q. 8. Confessariis, & Parochis quibus casus iste contigerit, debere eosdem consulere Episcopum, qui rebus omnibus perpensis id declarabit, quod opportunius judicabit, ut ignaro conjugi irritum Matrimonium declaretur.

Hoc unum notare volumus, non deesse casus, in quibus Dispensationes

nes conceduntur, per quas renovandi consensus necessitas tollitur, quæ Dispensationes dicuntur *in radice Matrimonii*, ut constat ex Clementis XI. Litteris, quæ incipiunt *Apostolicæ dignitatis*, & ex aliis Clementis XII. incipientibus *cum dudum*; sed hæ conceduntur gravissimis urgentibus caussis, & cum Impedimentum irritat Matrimonium dumtaxat per legem Ecclesiasticam, & uni tantum parti innotescit, illi scilicet, quæ super eodem petit dispensari, & per hanc Dispensationem effectus illi de medio tolluntur, qui ob hujusmodi Matrimonii nullitatem ante indultam Dispensationem, ac etiam in ipso contrahendi Matrimonii actu producti fuerant, ut juxta Clementinam *Quoniam* de immunitate Ecclesiarum notat Benedictus XIV. in sua Synodo Diœcesana lib. 13. cap. 21. num. 7.

CAPUT VIII.

DE RITIBUS, QUIBUS SACRAMENTI MATRIMONIUM IN CATHOLICA ECCLESIA SOLET ADMINISTRARI.

I. Non secus ac Reliqua Sacramenta, etiam Sacramentum Matrimonii quibusdam Ritibus initiatur, perficiturque. Huic Mori Gentes singulas institisse adeo certum est, ut Tractatus integri occurrant, qui de hoc Argumento disserunt cumulatissime. Inter hos ritus recensentur Virides Rami, Accensi Funales cerei, Epithalamia, & alia plura, quæ colligit J. B. Casalius in suo Opere de Ritibus Nuptiarum. Plures ennumerat Thomas Goodovinus in Volum. III. Antiquitatum Sacrarum, & Jo. Seldenus in Opere, quod inscribitur *Uxor Hebraica*, ubi agit de Ritibus, quibus Hebræi in suis Nuptiis utuntur. Huc etiam pertinent Circuli ad avvertenda Maleficia, hordei auspicium ex confarratione, idest farreo libo Gentilium derivatum, & ab Indis Orientalibus superstitioso ritu servatum, inhibitumque ab Alexio de Manezes Actione VII. Decreto XIV. Synodi Diampositanæ ex interpretatione Jo. Facundi Raulin, Funiculi etiam, quos *Taly* appellant, Numerus superstitiosus ferculorum, Lutea vasa, Arbor Aresciomara, aliique Sinensium Ritus pluries ab Apostolica Sede damnati, & postremo a Benedicto XIV. in sua Constitutione, quæ incipit: *Omnium sollicitudinum*, ut de reliquis omnibus sileamus, de illis modo acturi, quos Catholica Mater Ecclesia observavit, & nunc observat, & quos maligno dente mordere præsumunt Hæretici. Quia vero mutata antiqua Latinæ Ecclesiæ Disciplina, ipsos quoqua Ritus immutari contigit, colligemus ex Antiquis Monumentis veteres Ritus, & ex hodiernis Ritualibus recentiores. Sit igitur.

§. I. *Describuntur Antiqui Nuptiarum Ritus Occidentalis, & Orientalis Ecclesiæ.*

II. Horum rituum explicationem suppeditat Vir Cl. Edmundus Martene in sua egregia Collectione T. 2. lib. 1. cap. 9. a. 3. ubi post narratam compendiosam Nicolai I. descriptionem in Responsis ad Consulta Bulgarorum cap. 3. ita prosequitur n. 2. & seq. In primis ergo præcedebant Sponsalia, seu

seu futurarum Nuptiarum promissa fœdera, quæ ex Concilio Remensi A. 1583. ex Coloniensi 1280. cap. 10. ex Statutis Synodalibus Guillelmi Gubernatoris Macloviensis Episcopi coram Parocho, vel ejus Vicario, idque in Ecclesia, & non alibi, nisi de Ordinarii licentia gratis concedenda quatuor, vel tribus saltem Testibus præsentibus, atque sine aliqua Iuvenum petulantia fieri debebant (Addidit Synodus Wirgomiensis anni 1240. cap. 14. *& jejuna saliva*) Deinde conficiebantur Tabulæ Matrimoniales, pacta, seu conditiones futuri Matrimonii continentes, quæ Tabulæ signatoriis eorum, qui interfuerant anulis obsignabantur. Inter alios vero subscribebat Episcopus, ut testatur S. Augustinus Sermone 332., qui harum Tabularum persæpe meminit, validaque inde deducit Argumenta ad probandum, non explendæ libidinis, sed sola liberorum procreandorum caussa Matrimonium esse ineundum. Postea futuræ Sponsæ Arrhas porrigebat Sponsus scilicet Anulum, quem propterea Anulum pronubum nuncupat Tertullianus libro de cultu fœminarum. Hujus ritus meminit Gregorius Turonensis in lib. de Vitis PP. cap. 20., & S. Isidorus libro 20. Etymol. duorum Anulorum meminit, quos aureos fuisse ait. Leo Allatius lib. 3. de perpetua consensione Occidentalis, & Orientalis Ecclesiæ cap. 16. n. 15. alterum dicit argenteum (Hebræi quoque argenteum adhibebant, aut ex lapide Onychino, cujus materiei est Anulus S. Annæ, & Anulus Deiparæ, quorum primus Romæ, alter Perusiæ asservatur, ut vulgaris opinio est.) & alterum aureum; quem non in Sponsalibus, sed post contractum consensu mutuo Matrimonium benedicendum, dandumve Sponsæ docent Ecclesiæ Galliarum libri Rituales, & in tertio digito relinquendum (quamvis in quarto olim gestaretur, ut patet ex S. Isidoro lib. 2. de Divinis Officiis cap. 19.) Antiqui Galli per solidum, & denarium, secundum Legem Salicam Sponsalia celebrabant, ut patet ex formula 5. ex vulgatis a Hieronymo Bignonio, & in formula 75. Lindembrogii, & apud Fridegarium cap. 18.

III. Constituto ad celebrandas Nuptias die Sponsus, & Sponsa benedicendi, a Parentibus, aut Paranympho, qui ut docet S. Augustinus Sermone 193. erat Amicus interior conscius secreti cubicularis, sistebatur Sacerdoti ad Portas Ecclesiæ, qui secundum quosdam eos interrogare debebat de Fide, quam profitebantur. Deinde datis sibi mutuo dextris exigebat ab utrisque consensum, in quo totam Sacramenti Matrimonii essentiam reponebant antiqui. Hic antiquus est Ritus ab Exemplo Tobiæ petitus, cujus meminit Tertullianus in lib. de Velandis Virginibus cap. 11., & S. Gregor. Nazian. ad Anysium scribens epist. 57. Porro in primis Nuptiis nudæ, in secundis velatæ jungebantur manus, ut videre est in Codice Victorino. Contracto per consensum Matrimonio, benedictoque, ac manui sinistræ Sponsæ imposito anulo, fusisque nonnullis, quibus novis Conjugibus bene precabatur Sacerdos, Orationibus, in Ecclesiam introducebantur, ubi Missa celebrata ante Communionem Nuptias solemniter benedicebat. Hac benedictione carebant Viduarum Matrimonia ex S. Cæsario Sermone 289. in Appendice novæ editionis S. Augustini, ex lib. 6. Capitular. cap. 130., & ex Durando in Rationali lib. 1. cap. 9. Dum cantaretur benedictio Velum purpureum in signum pudoris super Sponsum, & Sponsam expandebatur, ut innuit S. Ambrosius pluribus in locis maxime vero in lib. de Virginit. cap. 15. in exhortat. ad Virg. cap. 6., & Epist. 19. Similiter, & Syricius Papa in Epist. ad Mediolanen. Ecclesiam Bigami, qui Benedictione Nuptiali carebant non velabantur.

IV.

IV. Denique ut notat Nicolaus Papa, post hæc de Ecclesia egressi Coronas in capitibus gestabant, quæ in Ecclesia ipsa solebant reservari, cujus Ritus Praxim videre est apud Palladium in Lausiaca cap. 8. Evagrium lib. 6. histor. cap. 1. Gregor. Turon. lib. 1. cap. 42., quæ Coronæ formam Turris præseferebant, ut constat ex Actis S. Amatoris apud Bollandum 1. Maii, ubi de Sponsa Amatoris. Eas autem Coronas propriis Sacerdotum manibus impositas fuisse, colligere licet ex Actis MS. S. Alexii. Primitus Bigami, & Trigami non coronabantur, & ex D. Hieronymo in Epist. ad Geruntium etiam Ecclesiæ Eleemosinis privabanrur, publice subjciebantur Pœnitentiæ, & ab Ecclesiastica Communione aliquando arcebantur, ut constat ex Concilio Ancyrano can. 19. Neocæsariensi, Laodiceno &c.

V. Ex Missali Gelasiano, & MS. Codicibus Remensi, & Gellonensi discimus Sacram Communionem olim apud Latinos Sponsis impertitam fuisse. Idem Græcis quoque usitatum fuisse ex Theodori Studitæ Epistola ad Naucratium constat, & aliud Rituale ad usum Remensis Provinciæ editum A. 1585., addit quod Sacerdos Anulum Benedicturus 13. postulabat denarios, quorum tres una cum Anulo Sponsus accipiebat, & reliquos 10. sibi Sacerdos reservabat. Neque hic prætereundum est Theodori Cantuariensis Episcopi Statutum in suo Capitulari n. 14. Spicileg. Tom. 9. In primo Conjugio debebat Presbyter Missam agere, & benedicere ambos, qui postea abstinebant se ab Ecclesia 30. diebus, quibus peractis pœnitebant 40. diebus, & vacabant Orationi, & postea communicabant cum oblatione. Huc quoque, & illud referri potest, quod advertimus in Missali Gelasiano, & Remensi, & Gellonensi MS. ante annos 900. exaratis, in quibus in Missa Nuptiarum habetur Infra actio ad trentesimum, & annualem Nuptiarum diem, quo die eis Ecclesiam intrare liceret. Egbertus vero ex Gregorio in Excerptis cap. 110. scribit: *Si quis Conjugem suam, si fieri potest non Cupidine voluntatis, sed solummodo creandorum liberorum gratia utitur iste profecto, sive de ingressu Ecclesiæ, seu de sumendo Dominici Corporis, Sanguinisque Mysterio, suo est relinquendus judicio, quia a nobis probiberi non debet, cum ei juxta præfinitam Sententiam etiam licuerit Ecclesiam intrare. Veruntamen quia ipsa admixtio Conjugis sine voluntate Carnis fieri non potest, ideo aliquando Sacri Loci ingressu abstinendum est, quia voluntas ipsa esse sine culpa nullatenus potest*. Ubi vox *voluntas* toto hoc in testimonio pro *voluptas* sumi videtur.

VI. Ad Ritum etiam Nuptiarum pertinebant tempora, quibuscum Carnale Commercium, gaudiaque varia, quæ Nuptias comitari solent compati nequibant. Quæ autem fuerint hæc tempora in superiori capite notavimus. Oservabatur quoque hora Matrimonii celebrandi. Ne Nuptiæ post prandium fierent vetuit Concilium Rotomagense anni 1072. cap. 13. Mane, & non a Prandio, nec vero unquam noctu celebrari, Mediolanensis Ecclesiæ Acta Parte 2. decreverunt, quibus concinunt Canones Medolunenses A. 1579. Non ante solis ortum Concilium Turonense A. 1583. Nec ante quartam matutinam Concilium Remense ejusdem anni, neque diebus Dominicis ante Missam Dominicalem, quod vetabant Statuta Jo. Episcopi Nannetensis n. 5. Neque in occulto. Locus itaque etiam observabatur ubi contrahi Matrimonia possent. Ecclesiam, & ante illius Altare Majus debuisse celebrari Matrimonia Acta laudatæ Ecclesiæ Mediolanensis P. 2. testantur. Idem habent Statuta Synodalia Guillelmi Gubernatoris Episcopi Maclovien{s}is ad valvas Ecle-

cle-

clesiæ consuevisse contrahi, videre est in variis Ritualibus, & ad Sponsæ Ecclesiam si Sponsus, & Sponsa diversæ fuissent Diœcesis, & Parochiæ. Guillelmus Major Andegavensis Episcopus Spicilegii Tom. II., & Concilium Senonense sub Tristando a. 4. c. 5. Sub Anathematis interminatione iniri Matrimonia in privatis Oratoriis prohibebant, aliquando tamen celebrata fuisse leguntur in domo nubentium thalamo adstantium, cujus Ritus exemplum præbent Acta S. Amatoris Episcopi Antisiodorensis apud Bollandum 1. Maii, & Theophilact. lib. 1. historiæ Mauricianæ, & Matthæus Paris in descriptione Nuptiarum inter Fridericum Imperatorem, & Elisabetham Angliæ Regis Sororem, atque ita celebrari etiam num posse, modo adsit Parochus, & servetur Tridentini Concilii forma, scribit Sanchez lib. 3. disp. 15. n. 20.

§. II. *Exponitur Ritus Matrimonii juxta Ecclesiæ Romanæ Consuetudinem.*

VII. Parochus admonitus de aliquo Matrimonio in sua Parochia contrahendo, primum cognoscit ex his, ad quos spectat, qui, & quales sint, qui Matrimonium contrahere volunt: An inter eos sit aliquod Canonicum Impedimentum: Utrum sponte, & libere, & secundum honestatem Sacramenti velint contrahere: Utrum sint ætate legitima, & vir saltem 14. Mulier vero 12. annos expleverit, & uterque sciat rudimenta Fidei, cum ea deinde filios suos docere debeant. Fiunt deinde Denunciationes tribus continuis diebus Festis intra Missarum Solemnia juxta præscriptum Concilii Tridentini eorum inter quos Matrimonium est contrahendum; & hæ denunciationes, si Vir & Mulier sint Parochiæ diversæ in utraque fiunt, quibus peractis, si nullum legitimum opponatu Impedimentum, ad celebrationem Matrimonii procedatur.

VIII. Parochus itaque Matrimonium celebraturus in Ecclesia Superpelliceo, & alba Stola indutus, adhibito uno saltem Clerico Superpelliceo pariter induto, qui librum, & Vas Aquæ Benedictæ cum Adspersorio deferat coram tribus, aut duobus Testibus Virum, & Mulierem, quos Parentum, vel Propinquorum suorum præsentia cohonestari decet, de consensu in Matrimonium interrogat, utrumque singillatim. Mutuo Contrahentium consensu intellecto jubet eos invicem jungere dexteras dicens: *Ego conjungo* &c. vel aliis utitur verbis juxta receptum unius cujusque Provinciæ ritum. Postea eos aspergit Aqua Benedicta: Benedicit deinde Anulum, & Sponsus acceptum Anulum de manu Sacerdotis imponit in digito Anulari Sinistræ manus Sponsæ, Sacerdote dicente: *In Nomine Patris* &c. suamque Actionem perficit dicendo: *Confirma* &c.

IX. His peractis progreditur ad Benedictionem Nuptiarum juxta Ritum Missalis Romani incipiens Missam pro Sponso, & Sponsa, quam prosequitur usque ad *Pater Noster*, & antequam dicat *Libera nos quæsumus Domine* stans in Cornu Epistolæ versus Sponsum, & Sponsam ante Altare genibus flexis dicit super eos Benedictionis Orationem; tunc reversus ad medium Altaris frangit hostiam more solito, & postquam sumpserit Sacramentum eos communicat. Post *Ite Missa est*, antequam det Benedictionem conversus ad Sponsum, & Sponsam novam addit super eos Benedictionem, qua persoluta eosdem monet Oratione gravi, ut sibi metipsis servent Fidem, & casti maneant Orationis tempore, & præsertim Jejuniorum, ac Solemnitatum, & vir uxorem atque uxor virum diligat, & in timore Dei permaneant, postea eos asper-

aſpergit, & dicto *placeat tibi Domine* dat Benedictionem, & dicit, ut ſolitum eſt, Evangelium S. Ioannis.

X. Continentiæ Conjugatorum prima Nuptiarum nocte fuit a primis Seculis ab exemplo Tobiæ inſtituta diſciplina, licet hujuſce Inſtitutionis legatur primum Decretum in cap. 13. Concilii Carthaginen. IV. cujus verba citavit Egbertus in Excerptis cap. 88., & quaſi ex Concilio Valentino cap. 101. retulit Burchardus lib. 9. cap. 5. *Sponſo, & Sponſa* (verba ſunt laudati Concilii Carthaginen.) *cum benedicendi ſunt a Sacerdote, a Parentibus ſuis, vel Paranymphis offerantur, qui cum Benedictionem acceperint, eadem nocte pro reverentia ipſius Benedictionis in Virginitate permaneant*. Eamdem diſciplinam ſubſequentibus temporibus plures aliæ Eccleſiæ tenuerunt, ut conſtat ex lib. 7. Capitularium Regum Francorum, & ex Pontificalibus Eccleſiæ Lugdunenſis, Tarentaſienſis, Leodienſis, Mediolanenſis &c. Imo apud Græcos idem uſus obtinuit teſte Balſamone in Supplemento Canonum, & conſtat ex lib. 5. Juris Orientalis pag. 367. De continentia ſervata a Conjugibus aliis anni temporibus nos docent Decreta plurima PP., & Conciliorum, quæ in Jure Canonico recenſentur. Atque utinam laudabilem hunc morem imitarentur hujus noſtri Seculi mores, quod optaret Eccleſia, quæ cum doleat introductas, & per longa Secula approbatas Cæremonias impoſſibiles judicaverit, illas quodammodo retineri laudavit, optavitque dummodo ſint vere laudabiles, & meræ conſuetudines, non autem Ritus Sacramentales Sacramentum Matrimonii deformantes. De his Cæremoniis præter ea, quæ ſcripſerunt Tiraquellus, Nevizzanus, Briſſonius, Suckius, Tertullianus, Madius, Rhodiginus, Lanzonus, & alii, exſtat præcipuus liber Italico idiomate inſcriptus *Ceremonie Nuziali di tutte le Nazioni del Mondo*. Venetiis editus anno 1685. ubi quidquid deſiderari poteſt circa Nuptias, & eorum Ritus habetur.

XI. Ab his ritibus non multum diſcrepat Orientalis Eccleſia, in qua Conjugio copulandi præ Sacri Templi Foribus conſiſtunt, Vir quidem a dextris, Mulier a ſiniſtris. Anuli interim duo Aureus, & Argenteus in dextra Sanctæ Menſæ parte reponuntur ſiniſtrorſum alter, & alter dextrorſum reſpiciens, & alteruter ex Sponſis a Sacerdote tertio ſignatur in capite, accenſoſque Cereos in manu tenens in templum adducitur. Cruciformiter thus adolet, & ſubſequuntur variæ preces. Acceptis deinde Anulis Sacerdos donat primum viro aureum, tum argenteum mulieri, & dicit viro *Subarrbatur Servus Dei N. propter Anulum Dei, in Nomine Patris* &c. deinde dicit Mulieri *Subarratur Ancilla Dei N.* &c. cumque ter ad unumquemque hoc dixerit Crucem ſuper eorum Capita facit Anulis, & utrumque dextris eorum digitis immittit. Deinde recens Nuptorum Anulos commutat aſſiſtens Paranymphus, Sacerdos vero Orationem proſequitur, & fit dimiſſio, niſi voluerint Nupti eodem tempore coronari.

XII. Ordo Coronationis hic ſervatur. Ingrediuntur in templum Sponſi cum Cereis accenſis præcedente Sacerdote cum Thuribulo, & canente Pſalmum: *Beati omnes qui timent Dominum*. Populus autem in unoquoque verſu dicit *Gloria Tibi Deus Noſter. Gloria Tibi*; deinde alternatim Diaconus, & Chorus Collectam recitant, quam concludit Sacerdos elata voce. Reſpondente Choro: *Amen*, & Diacono: *Dominum precamur*. Tum Sacerdos elata voce tertio orat ſimiliter reſpondentibus Choro, & Diacono; & poſt tertiam

Orationem Sacerdos Coronas accipit, & primo coronat Sponsum dicens: *Coronatur Servus Dei N. propter Ancillam Dei N. in Nomine Patris* &c. deinde coronat Sponsam dicens: *Coronatur Ancilla Dei N.* &c. tum benedicit eis ter, tribus nempe vicibus dicens: *Domine Deus noster Gloria, & honore corona illos*: deinde sequuntur aliæ variæ preces, quibus expletis in medium, profertur commune poculum, & benedicit illud Sacerdos. Deinde accepto in manibus communi poculo distribuit ipsis usque tertio, Viro primum, & deinde Uxori: Et confestim deducens eos Sacerdos, pronubo retro sustinente Coronas, vertitur in Circuli, sive Choreæ formam, & cantat Sacerdos, & Populus varios modulos, post quos tolluntur Coronæ, & adduntur novæ preces. Ingreditur deinde Sacerdos, & bene ipsis precantur Astantes, & postquam osculis se mutuo exceperint, fit a Sacerdote perfecta dimissio. Octava vero die Coronæ solvuntur. Hæc singula videri possunt apud Jacobum Goarium in Rituali, sive Euchologio Græcorum.

XII. Ex his omnibus breviter repetitis a Ritualibus Ecclesiarum, videntur profecto ineptissime Hæretici Cæremonias has superstitionis accusare; nam ignorare se ostendunt superstitionis Naturam, quæ *vana est*, *nimiaque Religio*. Vana si falso Numini exhibeatur, nimia si modus exceditur, & bene non colitur Numen bonum, quo vitio profecto carent memoratæ Cæremoniæ, utpote quæ ab Ecclesia approbatæ, a Sanctis PP. usurpatæ, & Oraculo Tridentinæ Synodi confirmatæ in canone XI. Sessionis XXIV. a qua Anathemati subjiciuntur ii, qui Benedictiones, & alias Cæremonias, quibus Ecclesia in Nuptiis utitur, audent damnare. Unde nam enim esse potuit, quod utraque Ecclesia Orientalis, & Occidentalis, & Ecclesiarum omnium Pastores in his ritibus convenerunt; & ab omni retro memoria easdem Cæremonias observarunt, nisi quia in Apostolica Traditione, paucis exceptis, illas originem habuisse compererunt? Cum igitur hos Ritus tota per orbem frequentet Ecclesia, qui ita faciendum sit disputare, insolentissimæ insaniæ est, eosdemque Ritus contemnere est hæretico abripi Spiritu, & cum Novatoribus delirare; quod nos maxime detestamur, quibus mens fuit Christianam, & Catholicam de Sacramentis Ecclesiæ Doctrinam exponere, hæreticorum Cavillationes infringere, a Peregrinis Doctrinis abstinere, & conatus hosce nostros ad finem illum dirigere, quem Dogmaticorum Academia suum esse cognovit, Incorruptæ Fidei, veræ Pietatis, & Religionis Incrementum.

TOMI SECUNDI FINIS.

MO-

MONITUM
STUDIOSO LECTORI

Matrimonii Tractatum juxta propositam Methodum brevitati inservientes explevimus; neque tamen præcipuas Controversias omisimus, & suprema illa rerum Capita, quæ ad Sacramenti hujus dignitatem extollendam necessaria credidimus, & ad dirigendam illius Praxim maximopere utiliora. Possent profecto huic Argumento accomodari Quæstiones illæ, quæ a Ludovico Bohemero, & Gerardo Feltman examinantur, ubi disserunt de Matrimoniis imparibus, & Jure Liberorum ex iis natorum; *tum illæ, quæ dilucidantur ab Henrico Linch, ab Henrico de Cocceji, a Marcello* Riccio, *a Jo. Nevio* de Matrimonio ad Morganaticam; *tum illæ quæ a Theodoro Paulo, Georgio Christophoro Breintebach proponuntur* de Matrimonio Personarum diversæ Religionis; *tum illæ, quæ a Stephano Waga, & Jo. Nicolao Hertio examinantur, ubi agunt* de Matrimonio in Articulo Mortis contracto, & de Matrimonio putativo; *tum illæ, quas Samuel Fridericus Willember* in suis Scelectis Juris Matrimonialis *expendit, de* Matrimonio Virgineo, de Matrimonio Amazonico, de secundis Nuptiis quinquegenariorum Conjugum, & de Matrimonio simulato; *tum demum illæ, quæ moventur, & dirimuntur a V. Cl. Francisco Mazzei in Rom. Curia Advocato Primario in suo egregio Opere iterum Romæ edito* de Matrimonio Conscientiæ. *At quis non videt, quam immane excresceret labor, & quanto tempore opus esset, ut hæc singula, licet summarie, nihilo tamen minus accurate tractarentur? Satis itaque me fecisse sum arbitratus, ea hic* Appendicis *loco addere, quæ Normam tradunt Matrimoniis Conscientiæ, & Morganaticis (nam ceteræ Matrimoniorum species altiorem quærunt indaginem) non certæ illis, quæ Acatholici a Concubinatu haud differre, non obscure innuunt, ut Bohemerus notavit ad Tit. Decretal. de Clandest. Despons. 55. 56. sed reliquis, quibus Ecclesia (si ita expedire contingat) assensum præbet, cum nihil in illis deprehendat, quod fidem obumbret, & disciplinam invertat; siquidem Matrimonia hæc coram Parocho, & duobus Testibus contrahuntur, aliquibus prætermissis, quæ ad illorum Substantiam non pertinent, aliisque additis conditionibus, quibus unum differt ab alio; etsi singula in hoc conveniant, quod in illis inferioris plerumque conditionis Conjux assumitur, quod clam contrahuntur, Successione regulariter concessa Filiis ex Matrimonio Conscientiæ natis, in hæreditate, & dignitate Parentum, quæ Morgonaticis denegatur, qui a Patris titulis, & insignibus totis abstinent, nec in aliis ejusdem bonis, & thesauris succedunt, arcibus, prædiis, aliisque rebus pacto sibi destinatis contenti, donec hoc pactum a Patris voluntate contraria, seu revocatione tollatur. Illa igitur, quæ hic addere decrevimus sunt Encyclicæ Literæ Benedicti XIV. Pontificis Maximi Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis ad hæc Matrimonia pertinentes, deinde alias nonnullas ex illius Bullario desumptas, sive Litteras, sive Constitutiones, quas pro varietate Casuum Matrimonialium edidit, quarum argumenta in sequenti pagina indicamus.*

INDEX

ARGUMENTORUM SCELECTARUM CONSTITUTIONUM EX BULLARIO BENEDICTI XIV. PONTIFICIS MAXIMI, QUÆ IN HAC APPENDICE LEGUNTUR.

MA-

MATRIMONIA OCCULTA

Quibus, & quomodo sint permittenda, quibusque cautelis celebranda, & in Actis describenda, quomodo consulendum educationi, & indemnitati Prolis.

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis

BENEDICTUS PP. XIV.

Ecclesiæ semper curæ fuit ut Matrimonia palam, & publice contrahentur.

SAtis vobis compertum esse non dubitamus V. F. eam semper fuisse piæ Matris Ecclesiæ vigilem curam, ut Sacramentum Matrimonii, Magnum ab Apostolo nuncupatum, publice, & palam a Fidelibus celebretur. Quod quidem, ut diligentius, quam ante factum fuerat, in posterum ab omnibus observaretur, S. Trident. Synodus Lateranensi Concilii sub Innocentio III. celebrati vestigiis inhærendo præcepit, ut in posterum antequam Matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum Solemnia publicetur, deindeque, nullo legitimo concurrente Impedimento, ad illius celebrationem in facie Ecclesiæ coram Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus Testibus præsentibus rite procedatur. Voluit etiam eadem S. Synodus apud Parochum diligenter librum custodiri, in quo Conjugum, & testium nomina, diesque, & locus Matrimonii describantur.

Quid autem hac de re disposuerit Concilium Tridentinum?

Deploratur contrarius usus.

§. 2. Providæ tamen hujusmodi leges tanta authoritate saluberrime institutæ prava horum temporum conditione sensim prolabi visæ sunt, & enerves propemodum reddi, ob Matrimonia usu nimis recepta, quæ occulte adeo celebrantur, ut illorum notitia, quantum fieri potest, obliteretur, & in tenebris ignorantiæ perpetuo jaceat consepulta. In more etenim positum est, illa celebrari nullis præviis factis denunciationibus, coram solo Parocho, vel alio Sacerdote de ejus licentia, adhibita præsentia tantum duorum testium apposite a contrahentibus advocatorum, quorum fides nemini illorum est suspecta, eademque peragi sæpe extra Ecclesiam, quandoque etiam intra illam, januis tamen occlusis, vel eo temporis momento, quo semota alterius cujusvis præsentia, scientia initi Matrimonii, præter Parochi, contrahentium, testiumque personas, alios penitus effugiat.

Exitiosi effectus recensentur, cum etiam deplorantur, qui ab occultis Matrimoniis proveniunt.

§. 3. Quantum a Sacramenti dignitate, & Ecclesiasticarum legum præscripto occulta hæc Matrimonia, Conscientiæ vulgo nuncupata, ut plurimum abhorreant, satis superque conjicere quis poterit, qui mentis aciem ad exitiosos illorum effectus convertat. Hinc enim gravia ortum habent peccata, præsertim vero eorum, qui Divini Judicii intermінatione posthabita, priore uxore, cum qua contraxerunt, relicta, cum alia spe futuri Matrimonii decepta, & in turpem secum vivendi licentiam abducta palam contrahere promittunt. Quorumdam vero mentem ita pravæ cupiditates excœcant, ut novum contrahere secretum Matrimonium audeant post alterum secreto itidem contractum, & nondum prioris Conjugis morte solutum, sæseque magno scelere polygamos reddant. Alii etiam eo impudentiæ devenere, ut in hujus ma-

magni Sacramenti contemptum post primas secreto initas, alteras, aut publice, aut privatim nuptias contrahendo sese audacius polygamia pariter innodare non perhorrescant. Age vero quam gravia, quam nullo pacto ferenda ex his Matrimoniis mala oriuntur. Si enim ad quamcumque Matrimoniis suspicionem submovendam, virum seorsum a muliere vivere contingat, sublata est illico individua vitæ consuetudo, & contemptum est verbum Domini. *Adhærebit homo uxori suæ, & erunt duo in carne una*. Sin hæc vitæ consuetudo servetur, nemo est, qui illum criminis non arguat, & utpote detestabilem in scandali materiam non traducat. Neque illata per Scandalum dispendia rependit subsecuta celebratio occulti Matrimonii, quod in tenebris delitescit, & ab omnibus ignoratur.

§. 4. Leviora quoque damna non sunt, quæ susceptæ proli irrogantur. Sæpe enim contingit illam a parentibus, & a matre præsertim amotam, nec pie, nec liberaliter institui: sed incertis fortunæ casibus objectam relinqui, nisi etiam parentes ipsi contra naturæ leges ausu nefario illius vitæ insidientur. Ubi vero tam immane facinus parentes deterreat, illosque ad sobolem alendam, instituendamque humanitas ipsa compellat, alia imminet liberis susceptis ex occulto Matrimonio lugenda avitarum facultatum, & bonorum jactura pro quorum possessione assequenda quamvis clament jura Sanguinis, illis tamen careant necesse est propter occulta parentum Matrimonia, & ademptam legitimationis, & filiationis probationem.

§. 5. Huic etiam malorum origini sunt referenda ipsa quoque secreta Matrimonia contracta a *Filiis Fam. contra Patris* juste dissentientis voluntatem, ex quibus quam gravia incommoda exoriri soleant neminem latet. Quid plura? Adeo invaluit malitia, ut quandoque in minoribus Ordinibus constituti, Pensiones, & Beneficia ad Divinum cultum, & Ecclesiastica omnia instituta, etiam post initum clam Matrimonium retinuerint, sibique de mammona iniquitatis loculos miserrime comparaverint.

Monentur Episcopi ne facile a proclamationibus dispensent.

§. 6. Detestanda hæc igitur potius uberibus lachrymis, quam latiore calamo explicanda malorum congeries, cum ex hac Apostolicæ Sedis Specula omnes sibi vindicet nostræ vigilantiæ curas: temperare non possumus, quin Vos ipsos V. F. in partem nostræ sollicitudinis evocantes, vestram pietatem, & Zelum excitemus ad custodiendas vigilias noctis super Grege vobis credito, quem luctuosa horum temporum conditio in discrimen adducit. Primum itaque periculi non infrequens occasio Vos reddat difficiliores ad remittendum publicationes, a quibus contracturi Matrimonium sæpe per malitiosam suggestionem petunt dispensari. Quam caute, solerterque oporteat ea in re Episcopus versari, non obscura vobis a Concilio Trid. exhibentur argumenta. Si enim (ait eadem S. Synodus (probabilis fuerit suspicio Matrimonium malitiose impediri posse, si præcesserint denunciationes, tunc vel una tantum denunciatio fiat, vel saltem Parocho, & duobus Testibus præsentibus Matrimonium celebretur, & deinde ante illius consummationem denunciationes in Ecclesia fiant, ut si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur. Præterea licet Episcopo relictum sit omnino de super denunciationibus dispensare, hæc tamen facultas, non a sola dispensantis voluntate pendet, sed a Tridentino coercetur arctis prudentiæ, discretique arbitrii legibus, quod idem est ac legitimam caussam dispensationis requirere.

§. 7.

§. 7. Parem, quoque imo fortasse majorem vigilantiam necesse est a vobis adhiberi ne post remissas denunciationes celebretur Matrimonium coram Parocho, vel alio Sacerdote ab ipso Parocho, vel a Vobis deputato præsentibus duobus, vel tribus Testibus confidentibus ne ulla celebrationis notitia, vel rumor oriatur. Id enim, ut ad præscriptum Sacrorum Canonum licite fieri possit, non satis est obvia quævis, & vulgaris caussa, sed gravis, urgens, & urgentissima requiritur. A Sacro Nostræ Pœnitentiariæ Tribunali eo potissimum casu fit potestas ita celebrandi Matrimonium, quo vir, & fœmina in figura Matrimonii publice degentes, de quibus nulla viget criminis suspicio, in occulto tamen concubinatu perseverent. Facile enim quisque conjiciet, quam absonum esset eos a statu damnationis per gratiam Sacramenti revocandos ad publice contrahendum Matrimonium præviis denunciationibus compelli. Hanc vero praxim vobis duximus proponendam, non quia dispensatio præmisso casui solum congruat, cum alii similes, & fortasse urgentiores esse possint, in quibus dispensari expediat, sed quia Vestri Pastoralis Officii partes versari debent in sedulo investiganda legitima, & urgenti caussa dispensationis, ne Matrimonia occulte celebrata luctuosos habeant exitus, quos intimo cordis mærore recensuimus.

Monentur itidem Episcopi ne Matrimonium occultum, seu Conscientiæ sine caussa gravi urgenti, urgentissima permittant. Ex. gr. affertur causa una.

§. 8. Hunc porro in Scopum vos hortamur, & impense admonemus, ut personarum Matrimonium secreto contrahere petentium diligens fiat a vobis inquisitio. An scilicet ejus qualitatis, gradus, & conditionis sint, quæ id probe exposcant: an sint sui, vel alieni Juris: an *Filii Fam.* quorum Nuptiæ Patri juste dissentienti sint invisæ, ab Episcopali etenim, quod geritis, munere, nimium esset alienum, facilem præberi filio inobedientiæ occasionem. An res sit de personis Ecclesiasticis, licet in minoribus Ordinibus constitutis, Pensiones, & Beneficia Ecclesiastica obtinentibus, ut detestabilis illorum retentio in statu uxorato congruis remediis postea compescatur. Potissimum vero curet vestra sollicitudo antequam secreti Matrimonii licentia concedatur, quod contrahentes clara, & a quavis fraude immunia exhibeant documenta status liberi ad evertendum ab iis, qui improbi sunt ingenii, polygamiæ periculum.

Quæ ab Episcopo cognitio præmittenda antequam Matrimonium conscientiæ permittat.

§. 9. Quod attinet ad Ministrum secreti Matrimonii, volumus ad id munus deputari Parochum alterius ex contrahentibus, quem notitia personarum, experientia, & diuturnus rerum usus quovis Sacerdote extraneo peritiorem effecisse præsumuntur. Si quæ tamen vobis occurrant circumstantiæ, quæ alium Sacerdotem loco Parochi exposcere videantur, gravi impellente caussa, is Sacerdos a vobis eligatur, qui probitate, doctrina, & obeundi muneris peritia commendetur.

Minister Matrimonii Consc debet ab Episcopo destinari Parochus alterutrius contrahentis & non nisi ex gravi caussa alter Sacerdos.

§. 10. Uni tamen, aut alteri Sacramenti Ministro a vobis deputando districte præcipiatur ne Matrimonio intersit nisi prius paterna charitate conjuges in Domino monuerit sobolem procreandam regenerari quamprimum oportere Sacro Baptismatis lavacro, ac Christo Judici districtam reddituros esse rationem, nisi filios, ut legitimos agnoverint, eosque pietate, bonis moribus imbuerint, & frui patiantur bonis temporalibus a Majoribus in supremis tabulis relictis, vel provida legum auctoritate delatis.

De quibus Minister Matrimonii Consc. monere contrahentes debeat

§. 11. Celebrato autem Matrimonio, indilate a Parocho, vel alio Sacerdote, coram quo initum est, exhibeatur Episcopo illius Scriptum documentum cum nota loci, & temporis, testiumque, qui celebrationi interfuerunt. Vestrum erit postea dili-

Documentum Matrim. Consc.

ab ejus Ministro statim Episcopo est exhibendum. Describendum postea est hoc Matrimonium in libro distincto, & cautissime custodiendo.

diligenter incumbere, quod ad perennem gestæ rei memoriam præfatum documentum fideliter transcribatur in libro prorsus distincto ab altero, in quo Matrimonia publice contracta de more adnotantur. Hujusmodi liber pro Matrimoniis secretis apposite compactus clausus, & sigillis obsignatus in vestra Episcopali Cancellaria caute erit custodiendus; & eo tantum casu resignari, & aperiri vestra accedente licentia patiemini, quo alia id genus Matrimonia describi oporteat, vel id sibi vindicet justitiæ administandæ necessitas, vel demum aliquod documentum ab eo exposcant verum interesse habentes, quibus probationum aliunde petendarum non suppetit copia. Sedulo tamen animadvertentes, quod re absoluta denuo claudatur, & Sigillis, ut antea, obsignetur. Fides, seu attestationes clam celebrati Matrimonii a Parocho, vel Sacerdote, qui vices Parochi gessit exarandæ, Vobisque exhibendæ, transcribantur in dicto libro pro ut jacent de verbo ad verbum a persona vobis deputanda, quæ apud omnes Integritatis, probatique nominis luculentum habeat testimonium. Fides vero, & attestationes ipsæ in secretiori loco sartæ tectæque a vobis serventur.

Proles ex Matrim. Consc. nata debet tempestive baptizari Episcopo a Parentibus denunciari, & describi in libro quoque cautissime custodiendo.

§. 12. Quod si ex occulto hujusmodi Matrimonio prolem nasci contingat eadem mundetur salutari aqua Baptismi in Ecclesia, in qua aliis infantibus hoc Sacramentum indistincte confertur. Et quia ad operiendum clam initum Matrimonium facile est in Libro Baptizatorum nullam fieri mentionem parentum, & eorum nomina consulto reticeri: volumus, ac expresse mandamus, quod a Patre Baptizati, eoque Defuncto, ab illius Matre suscepta proles vobis denuncietur dictaque denunciatio fiat, vel immediate per Parentes ipsos, vel per literas eorum charactere exaratas, vel per fide dignam Personam ab ipsis parentibus designatam, ut certo, & clare vobis constet, quod proles tali loco, ac tempore vel reticitis, vel falso expressis nominibus parentum Baptizata, est legitima, licet occulti Matrimonii fœdere procreata. Quæ sane omnia cum vobis innotuerint, ne illorum excidat memoria in libro fideliter describentur ab eo, cui facta a vobis est potestas adnotaudi Matrimonia occulte celebrata. Liber in quem Baptizatorum, ac utriusque parentis nomina referentur, quamvis distingui debeat ab altero Matrimoniorum; eadem tamen diligentia iisdem cautelis in Cancellaria Episcopali clausus, & sigillis obsignatus, erit custodiendus, prout librum Matrimoniorum caute custodiri supra mandavimus.

Evulgandum est Matrim. Consc. si proles nata Baptizata sit suppressis Parentum nominibus, & Episcopo non sit denunciata.

§. 13. Quia vero nonnulli deesse non possunt, qui propriæ Conscientiæ vocibus obsurdescant, & nostris hisce mandatis parere negligant: debita pœnarum districtione pro modo culpæ a Vobis puniantur. Quin imo cum satis Nobis experientia compertum sit in hujusmodi negociis homines, in terram oculos declinantes ob humanos respectus tardiores effici, & a recta agendi semita revocari: mandamus idcirco, Matrimonia occulta a Vobis evulgari & nota fieri, si certo Vobis constiterit ex aliquo Matrimonio occulto procreatam fuisse sobolem, & baptizatam suppressis Parentum nominibus, nulla præstita Vobis notitia, ut par erat ab illius parentibus infra triginta dies a nativitate numerandos.

A Ministro Matrim. Consc. me-

§. 14. Ne autem contumaces, & inobedientes violatæ fidei, proditique secreti Pastores suos insimulent; sedulo a Vobis curandum est, ut Parocho, vel alio Sacerdote pro secreta celebratione Matrimonii a Vobis deputando, Conjuges clare, & aperte moneantur ea lege, & pacto illis permitti secreti

Ma-

Matrimonii celebrationem, ut soboles inde procreanda, non solum regeneretur Sacro Baptismate, sed post Baptisma denuncietur Episcopo cum nota loci, & temporis administrati Sacramenti, ac sincera indicatione parentum, a quibus ortum habuit, quemadmodum supra permissum est. Alioquin Matrimonium licet contractum data per Episcopum secreti fide, in lucem proferetur in gratiam filiorum, & ad propulsandum ab illis gravem, nulloque pacto ferendam jacturam.

neri debent Conjuges de hac obligatione denunciandi post Baptismum prolem natam Episcopo.

§. 15. Volumus denique, ac mandamus, fides, seu attestationes Matrimonii clam initi, & sobolis ex eo procreatæ excerptas ex dictis libris, modo, quo dictum est, apud Vos caute custodiendis tantam promereri fidem, quantam sibi alii libri Parochiales Baptismatis, & Matrimonii vindicare consueverunt.

§. 16. Hæc a Vobis V. F. in hac temporum calamitate observari enixe præcipimus ad communem animarum salutem, & ad præsidium Ecclesiasticæ disciplinæ, propter invalescentem hominum malitiam nova semper detrimenta vel patientis, vel reformidantis. Ceterum nostris hisce Literis sublata nolumus ea validiora remedia, quæ huic malo in diem ingruenti consona dignoscet prudentia vestra ad Pastorale Officium cumulate obeundum. Vobis interea paternæ Charitatis, & benevolentiæ testem A. B. impertimur.

Datum Romæ apud S. M. M. die 17. Nov. 1741. P. N. A. 2.

QUAESTIONI PROPOSITÆ

An Filii ex Adulterio procreati legitimentur per subsequens Matrimonium differendo rescribitur.

Venerabili Fratri, Archiepiscopo S. Dominici in Insula Hispaniola.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Redditæ nobis altero ab hinc mense fuerunt Litteræ tuæ 27. Maii proxime elapsi ad nos Scriptæ, ac Typis impressæ, quibus occurrentem histic cujusdam facti speciem enarras, & nostram super eo Sententiam requiris. Non te latere arbitramur nullum nos diem vacuum habere, quum gravissimis assidue curis, atque negotiis non tam occupemur, quam pene jam obruamur; in hisce præsertim asperitatibus rerum, quibus undique conflictamur, & quarum famam ad vestras quoque oras pervasisse non dubitamus. Sed tamen ut compertum sit omnibus, quanti te facimus, Venerabilis Frater, & quanto dignitatem Episcopalis characteris, quo præfulges, in honore habemus, aliqua temporis spatia reperire, & colligere studuimus, eaque in evolvendis privatæ Bibliothecæ nostræ libris insumpsimus, quo possemus propositæ abs te quæstioni respondere. Quod quidem præsentibus nostris Litteris facimus, non tamen ex auctoritate Apostolicæ Sedis, quam, meritis licet imparibus, obtinemus, sed meram sustinentes personam doctoris privati, cujus vitæ ætas fere omnis in Sacrorum Canonum studiis,

quamvis non magno fortasse fructu, exacta est. Neque enim visa nobis est ea quæstio Pontificiæ decisionis Oraculo indigere, quemadmodum ex inferius dicendis Fraternitas tua probe poterit intelligere.

Facti species, & dubium.

§. 1. Itaque casus est. Vir nobilis uxoratus rem habuit, stante Matrimonio, cum libera Muliere, pari cum ipso natalium nobilitate, duosque filios ex ea procreavit. Defuncta vero uxore Matrimonium contraxit cum prædicta Muliere, quæ duos, ut præfertur, filios ei pepererat. Horum alter jam mortem obierat, atque ille procul dubio natus erat priore uxore in vivis agente. Alter superstes est, sed nondum satis est exploratum, an eadem prima uxore vivente conceptus, aut natus fuerit. Dubitatur de utroque an legitimi sive Spurii sint habendi, seu potius, an per subsequens Matrimonium cum ipsorum Matre contractum, ambo censendi sint legitimati.

Regula juris quoad legitimationem prolis ante Matrimonium procreatæ.

§. 2. Porro, admissa Canonici Juris regula, quam nos verissimam judicamus, quamque, ut paulo infra patebit, a nemine in dubium revocari posse arbitramur: quod nempe, licet proles ante Matrimonium nata, legitima fiat per subsequens Matrimonium inter parentes rite contractum; attamen id dumtaxat locum habeat, quum Copula intercesserit inter liberum, & liberam, non autem ubi alter ex parentibus Matrimonio ligatus foret; tunc enim Proles ante secundas Nuptias nata nequaquam fit legitima, quamvis Adulter, post mortem prioris uxoris, verum, & legitimum cum ejus matre contrahat Matrimonium; hac inquam regula semel admissa, evidens est filium illum præmortuum, qui natus est prima uxore superstite, legitimum non evasisse per Matrimonium cum ipsius Matre contractum, postquam prima uxor e vivis excesserat.

Filius ex adulterio generatus, & natus constante Matrimonio non legitimatur per subsequens Matrimonium.

§. 3. Quod vero ad alterum filium adhuc viventem attinet; si constaret saltem hunc natum esse post mortem primæ uxoris, quam illius Pater habuerat, quamvis ea superstite conceptus fuisset; in arduam illam controversiam deduceremur, quæ inter Doctores, ut nosti, agitatur, an scilicet pro statuenda prolis legitimatione, ejusdem nativitatis tempus attendi debeat, an præterea habenda sit ratio temporis ejusdem conceptus; in qua controversia, satis, ut prædiximus, ardua, cum inveniantur textus textibus contrarii, cumque Doctores Doctoribus, Tribunalia Tribunalibus adversentur, si a nobis judicium nostrum in casibus particularibus, interponendum foret, non aliter id a nobis fieret, quam secundum Sententiam, in Tribunalibus, & Curia illius regionis receptam, in qua esset pronunciandum.

Dubitari posset ubi natus esset uxore defuncta.

§. 4. Cum vero hactenus, ut scribis, incertum sit, quo tempore filius ille vivens conceptus, quoque in lucem editus fuerit, solumque constet de morte prioris Uxoris, & de secundo cum altera muliere Matrimonio; supervacaneum, extraneumque remanet examen præfatæ controversiæ, an ad effectum legitimationis Prolis, tempus nativitatis dumtaxat, an etiam tempus conceptus attendi debeat. Sed in his facti circumstantiis, quum certum sit Matrimonium inter illius Parentes rite contractum, incertum vero tempus, quo filius idem conceptus, & in lucem editus fuit; si nostrum de eo judicium exquireretur, filium hunc legitimum censeremus, quum judex in dubium debeat in bonum, & commoda Prolis propensus esse.

In dubio favendum proli.

Textus quibus innititur regula.

§. 5. Equidem intelligimus hanc nostram responsionem neque desiderio tuo, neque præconceptæ opinioni satisfacturam. Non desiderio, inquam; propterea quod utrosque præfatos filios, per subsequens inter parentes Ma-

tri-

trimonium, legitimatos fuisse declarari velles: Neque porro opinioni, quam foves; eo quod existimes filios etiam ex Adulterio procreatos legitimari, superveniente Matrimonio inter Adulteram, & Patrem, Conjuge jam defuncta. Verum æquo animo feras volumus, nos ad hæc asseverando reponere quod filii ante Matrimonium nati legitimantur utique per subsequens Matrimonium, si tamen ex soluto, & soluta fuerint procreati, ut, inhærendo Canonicis sanctionibus, definitum fuit a prædecessore nostro Alexandro Papa III. in *Cap. Conquestus*, *qui filii sint legitimi*, secus autem si iidem orti sint ex Patre, qui de eo tempore cum alia Muliere Matrimonio conjunctus erat; licet ea postea ex vivis sublata, aliam illam duxerit, ex qua prolem susceperat; ut idem Alexander III. respondit *in Cap. tanta*, *qui filii sint legitimi*; cujus verba sunt quæ sequuntur. *Tanta est vis Matrimonii, ut qui antea sunt geniti, post contractum Matrimonium legitimi habeantur. Si autem vir, vivente uxore sua, aliam cognoverit, & ex ea Prolem susceperit, licet post mortem uxoris eamdem duxerit, nihilominus spurius erit filius, & ab hæreditate repellendus; præsertim si in mortem uxoris prioris alteruter eorum aliquid fuerit machinatus.*

§. 6. Neque vero postremis hisce verbis commoveri debes, ac si ex illis colligi posset, minime ab Alexandro definitum fuisse quod proles ex Adulterio suscepta per subsequens Matrimonium legitimari nequeat; sed illud dumtaxat, quod nempe Proles legitima non fiat, si contra vitam prioris uxoris alteruter ex Parentibus Adulteris machinatus fuerit. Etenim advertere te oportet verbum illud a Pontifice usurpatum, *præsertim*; quod idem sonat, ac *multo magis*; ita ut vera Decretalis illius Sententia sit, quod cum proles ex Adulterio suscepta pro spuria perpetuo sit habenda, & ab hæreditate repellenda, etiamsi legitimum postea ineatur inter Parentes Matrimonium; multo magis id procedat, ubi alteruter in prioris uxoris mortem fuerit machinatus. Ex quo minime sequitur quod proles ex Adulterio nata, machinatio absit legitimetur per subsequens Matrimonium sed palam fit, ejusmodi prolem ex adulterio susceptam; ideoque per subsequens Matrimonium neutiquam legitimandam, multo majori ratione legitimam numquam fieri, si alter ex parentibus Adulteris contra vitam prioris uxoris sit machinatus. Qua de re optime, opportuneque disserit *Gonzales in cap. 6. num. 6. qui filii sint legitimi*, per hæc verba: *Arguit Alexander III. de minori ad majus: nam si filii spurii non legitimantur per subsequens Matrimonium, multo minus per Matrimonium nullum, quale est quod contrahitur, quum alter ex Conjugibus in necem Conjugis machinatus est.*

Dictio *Præsertim* non est taxativa.

§. 7. Sane a te dissimulata non fuit dispositio relatæ Decretalis Alexandri III. *in cit. cap. Tanta*. *Qui filii sint legitimi*; quinimmo ultro fateris, communem Doctorum opinionem eam esse, quæ nuper a nobis exposita fuit; nimirum prolem ex adulterio progenitam, per subsequens Matrimonium nequaquam legitimari. Verumtamen aperte declaras nullam Sententiam, quantumvis communi Canonistarum calculo comprobatam, apud te valere, nisi eadem in textu Canonico fundata sit, illique innitatur; hanc autem Sententiam, de qua agitur, minime dici posse Canonico textui innixam esse; quoniam inspecta præcitata Decretali Alexandri III., non quidem mutila, atque contracta, prout jacet in nostra Decretalium collectione a Gregorio Papa IX. confecta, sed in sua integritate; manifeste, ut putas, agnoscitur, ideo Pontificem illegitimam declarasse prolem illam ex Adulterio procreatam, quamvis

Rationes Archiepiscopi contra sententiam.

ejus

ejus Pater, defuncta priore uxore, Adulteram sibi Matrimonio junxisset; quia nimirum Alexandri ætate vigebat adhuc ea disciplina, qua interdictum erat Adulteræ, etiam post mortem prioris uxoris, Matrimonium cum adultero valide contrahere; & quia tota Decretali perlecta, perspicuum est, in eo casu præter adulterium, adfuisse etiam machinationem adulteræ contra vitam prioris uxoris. Quibus positis, deinde concludis, quod quum, juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam, adulterium præcedens non habeatur pro impedimento dirimente Matrimonium inter mœchum, & mœcham, nisi conjunctum sit vel cum machinatione, vel cum fide data futuri Matrimonii; cumque in proposita facti specie nullum indicium adsit machinationis in prioris uxoris necem intentatæ; nullum propterea adduci valeat obstaculum adversus prolis legitimationem, sequuto jam inter ipsius parentes legitimo Matrimonio, atque adeo tuum illud systema firmiter, ut putas, stabilitur; nimirum, subsequente Matrimonio, legitimari prolem etiam ex adulterio susceptam, quoties adulterio non accedat aut machinatio adversus prioris conjugis vitam, aut promissio Matrimonii post prioris conjugis mortem inter adulteros contrahendi.

Opiniones communes non spernendæ.

§. 8. Profecto, ut ingenue loquamur, Venerabilis Frater, displicet nobis tua hæc ingeniosa ratiocinatio, in qua nescio quid arrogantius, & audacius, quam par est, introspicere videmur. Nobis etenim persuasum manet, opiniones Doctorum communes non ita facile parvipendendas esse; idque dicimus ex celeberrimo vestrate Melchiore Cano, qui in suo Tractatu de locis Theologicis lib. 8. cap. 7. ita de communibus Canonistarum Sententiis, in his, quæ pertinent ad doctrinam Canonum, loquitur: *In hujusmodi Canonum interpetratione Ecclesiæ Judices, & administri concordem omnium Jureconsultorum Sententiam amplectuntur. Qui enim in actionibus, vel Judiciis Ecclesiasticis, suo sensu, & non communi Jurisperitorum omnium duceretur, sine dubio, suo illorum judicio Ecclesia coerceret.*

De auctoritate textus Decretalium In Decretalibus in Sexto in Clement. multa resecata sunt auctoritate Pontificum.

§. 9. Præterea minus recte nobis videris de compilatione Decretalium Gregorii IX. judicare. Non hic agitur de Gratiani Decreto, quod, utpote privata auctoritate confectum, tantam vim habet, quantam textus in eodem adducti ex se ipsi habere noscuntur. Non agitur de aliqua ex aliis quinque Decretalium Compilationibus, quæ Gregorii IX opus præcesserant, & quarum nonnullæ a privatis auctoribus concinnatæ fuerunt. Res est de sexta illa compilatione, quam Gregorius Pontifex a S. Raymundo de Pennafort adornari jussit, quamque approbatione Pontificia munivit, mandans ut ea sola deinceps in Tribunalibus, & Scholis deberet usurpari. En illius verba in Præfatione Decretalium: *Volentes igitur ut hac tantum compilatione universi utantur in Judiciis, & in Scholis, districtius prohibemus, ut quis præsumat aliam facere, absque auctoritate Sedis Apostolicæ.*

Sicuti etiam in textibus Digestorum, & Codicis.

§. 10. Non latuit Gregorium, multa in Decretalibus resecata fuisse earum compilatione quum idem Pontifex in dicta præfatione hoc ipsum innuat, iis verbis: *resecatis superfluis*: voluit tamen singulis Constitutionibus præfixum manere nomen earum auctoris. Idem quoque deinceps præstitit Bonifacius VIII. in sua Compilatione libri 6. similium Decretalium a Romanis Pontificibus conditarum, quibus, licet multimode, ubi opus fuit, a se immutatis, atque truncatis, nihilominus præfixum reliquit Auctorum nomen: siquidem ipse Bonifacius sic loquitur in Proemio. *Pluribus plane resecatis, reliquis quibusdam ex eis abbreviatis, aliquibus in toto,*

to. vel in parte mutatis, multisque correctionibus, detractionibus, & additionibus prout expedire vidimus, factis in ipsis. Constat etiam Clementem Papam V. pari modo se gessisse, dum suo Clementinarum libro inseruit Concilii Viennensis Constitutiones tanquam a se ipso factas in eodem Concilio, quamvis, Synodo peracti, eas resecasset, atque mutaret, uti testatur Joannes Andræas in Glossa ad præfationem earumdem Clementinarum. *Demum per peritiores fecit illas recenseri, qui aliquas, & paucas in totum reservaverunt; aliquas mutaverunt quoad verba, mente servata; in aliquibus menti, & verbis detraxerunt, & addiderunt; & has, licet non sub his in Concilio publicatæ fuissent, voluit sub nomine Concilii reservari*. Quod pariter testatur Bernardus Guidonus auctor illius ætatis, in suo Codice manuscripto, qui in Bibliotheca nostra Vaticana asservatur; idemque legitur in duabus historiis de vita ejusdem Pontificis a Balutio publicatis.

§. 11. Qua in re prælicti Pontifices, Gregorius, Bonifacius, & Clemens exemplum sequuti sunt Triboniani, aliorumque doctissimorum Jurisconsultorum, qui veteres leges, Responsa prudentum, & præcedentium Imperatorum Codices in Corpus Juris nostri Civilis redigentes, non dubitarunt, quæcumque opus erant, emendare, corrigere, & immutare; & nihilominus Auctorum nomina singulis Responsis, & legibus præfixa relinquerunt; accedente nimirum expressa Justiniani Imperatoris approbatione, cujus hæc verba sunt, in promulgatione Pandectarum, & Codicis, Senatui, Populoque Constantinopolitano perscripta: *tanta autem a nobis antiquitati habita est reverentia, ut nomina Prudentum taciturnitati tradere nullo modo patiamur; sed unusquisque eorum, qui auctor legis fuit, nostris Digestis inscriptus est, ut si quid legibus eorum supervacuum, vel imperfectum, aut minus idoneum visum esset, vel adjectionem, vel diminutionem necessariam accipiat*. Et infra: *Nam nomina quidem veteribus servavimus, legum autem veritatem nostram facimus:* Et alibi: *Nominibus etenim veteribus relictis, quidquid legum veritati decorum, & necessarium fuit, hoc nostris emendationibus servavimus*.

Cap. *Tanta*, concordat cum Cap. *Significasti*.

§. 12 Sic igitur prædecessor noster Gregorius IX. suam confici jussit Decretalium compilationem, qua hodie in Scholis, & in foro utimur, eamque abrogatis aliis prioribus, publica auctoritate, & Pontificia confirmatione munivit. Huic collectioni insertam voluit Decretalem Alexandri III., demptis ex ea verbis illis, quibus, *ut contendis*, indicabatur, Matrimonium, de quo ibi agebatur, duplici ex capite irritum, & nullum fuisse, nimirum & quia cum adultera contractum fuerat, & machinatio in necem prioris uxoris præcesserat. Retulit vero alia verba, ex quibus, *ut jacent*, consideratis, eruitur Sententia superius a nobis exposita, quod nempe proles ex adulterio procreata neutiquam legitimatur per subsequens Matrimonium post mortem prioris uxoris cum Adultera contractum. Non tamen ex ea Decretali nomen Alexandri III. delevit. Omnia hæc pro concessis interim habeto. Verum his positis, quidnam inde pro Sententia tua erui posse putas? Potuit Gregorius ita se gerere, imo non aliter debuit facere, quam fecit. In animo illi erat locum dare in nova Compilatione Decretalis Innocentii III., quæ incipit *Significasti*, quæque legitur sub titulo *De eo, qui duxit in Matrimonium &c.* In hac decretali Innoc. III., quæ posterior est alia ab Alexandro III. condita, manifesto definitur (quod & ipse agnoscis) Matrimonium inter adul-

Quæstio decisa est, hoc jure, quo vivimus.

adulterum, & adulteram consistere posse, nisi machinatio sæpe dicta, aut promissio futuri Matrimonii præcesserit. *Discretioni vestræ*, Innocentius ait, *per Apostolica Scripta mandamus, quatenus, nisi alter eorum in mortem defunctæ uxoris fuerit machinatus, vel, ea vivente sibi fidem dederint de Matrimonio contrahendo, Matrimonium illud legitimum judices*. Quum autem Gregorius collocare vellet in sua collectione tum Decretalem hanc Innocentii III., tum alteram Alexandri III., plane vides, necesse illi fuisse abjicere ab hac Alexandrina Decretali verba illa, quæ, tuo judicio, nullitatem Matrimonii inter adulterum, & adulteram statuebant.

Standum textui Decretalium prout jacent in Corpore juris.

§. 13. Nunc igitur, bona fide differendo, iterum quærimus: quid tandem illud est, quod contendis? Filios ne illos, de quibus agitur, legitimos esse, propterea quod, juxta Decretalem integram Alexandri III. pro legitimis habendi essent? At nihilominus illegitimi sunt, quia tales ab Innocentio III., & Gregorio Nono declarantur, & quia, malo ipsorum fato, nonnullis jam Seculis post horum Pontificum mortem in lucem sunt editi. An manifestum fieri cupis, te scientiam Sacrorum Canonum funditus callere, neque contentum esse his, quæ in Gregoriana compilatione leguntur, sed altius ab ipsis fontibus doctrinam tuam repetere? Nihil tibi controversiæ nobiscum de hoc erit, Venerabilis Frater; diligentiam potius tuam commendamus, studium laudamus; nemo tibi succensere poterit, quod integram Decretalem inspicere velis, ubi in aliquam incurreris, quæ in Gregoriana Compilatione deprehenditur decurtata. Verumtamen memineris, laudandam quidem illius diligentiam esse, qui Decretalem integram consulit, ut eam, quæ integra non est, perfectius intelligat; quemadmodum optime advertit clarissimus Antonius Augustinus in sua præfatione, Gregorio XIII. Pontifici Maximo inscripta, quam præmisit Volumini quatuor priorum Compilationum Literarum Decretalium, quas ipse edidit; quibusque deinceps quintam adjecit Innocentius Cironius: Sed neque probandum scito, neque ferendum quod quis ad integram Decretalem confugiat, ubi perspicua, & dilucida est illa, quæ aliquo modo mutilata fuit, & siquid huic deesse dignoscitur, id eo jubente, ac volente detractum fuit, qui suprema ad hunc effectum pollebat auctoritate, eaque de causa detractum, ut disciplina, quam ipse Legislator servari voluit, in tuto poneretur; neve turbari illam, & nutare contingeret, si tota Decretalis novæ Compilationi inserta fuisset.

Decretalis integra concordat in substantialibus cum minus integra.

§. 14. Hucusque diximus, tuum tibi permittentes assertum, quo pro certo ponis, aliquod interesse discrimen inter Decretalem integram Alexandri III., aliamque contractam, & quidem in integra Decretali nullum declarari Matrimonium ibi relatum ex duplici capite; tum scilicet quia inter adulteros, defuncta uxore legitima, contractum fuerat; tum quia machinatio accesserat in vitam prioris uxoris; & ex utroque præfato Capite simul considerato, prolem illegitimam censeri: Mutilam vero Decretalem validum admittere Matrimonium cum adultera contractum post mortem prioris uxoris, & tunc solum hujusmodi Matrimonium nullum in ea statui, quando machinatio intervenerit; sed prolem nihilominus illegitimam declarari tam in uno, quam in altero casu, etiam seorsim sumptis; tam scilicet ex causa simplicis adulterii, ex quo eadem proles progenita fuerat; quam ex causa præcedentis parentum machinationis in necem legitimæ uxoris. Hæc inquam, tibi hactenus concessa volumus. Nunc vero tandem aggredimur demonstrare, Decre-

cretalem tam integram, quam minus integram, sibi metipsi perfecte constare, eamdemque prorsus esse utriusque Sententiam.

I. in eo quod filii ex sol., & sol. legitimantur per subsequens Matrimonium.

§. 15. Integra Decretalis, quæ refertur Tom. 6. pag. 2. *Conciliorum* collectionis Harduini pag. 1819. ita se habet. *Meminimus nos fraternitati tuæ, super caussa, quæ inter P., & R. de quadam hæreditate vertitur, quod idem P. nomine Sybillæ Uxoris suæ petebat, tali modo scripsisse: ut si constaret, prout literæ tuæ continebant, inter R. Patrem, & Matrem, post ejus nativitatem, Matrimonium fuisse contractum, eum, omni appellatione remota, legitimum esse denunties, & ab hæreditate paterna propter causam prædictam nullatenus debere repelli. Tanta est enim vis Matrimonii, ut qui antea sunt geniti, post contractum Matrimonium habeantur legitimi.*

Hic statuit integra Decretalis quod filii nati extra Matrimonium, ex soluto, & soluta, accedente postea Matrimonio inter ipsorum Parentes, legitimi fiant. Nec aliud porro statuitur in Decretali minus integra, quæ sic incipit: *Tanta est vis Matrimonii, ut qui antea sunt geniti, post contractum Matrimonium legitimi habeantur.*

II. In eo quod ex adulterio suscepti, non legitimantur accedente Matrimonio.

§. 16. Progreditur integra Decretalis, & casum ponit, quo aliquis uxoratus adulterium admittit, & filium ex eo habet, Adultera vero machinatur in vitam legitimæ Conjugis; & hac demum defuncta Matrimonium inter Adulteros contrahitur: *Verum quoniam P., ultra quam in litteris suis continetur, nobis significavit, quod Pater suus, vivente uxore, Matrem R. tenebat, & eum in adulterio procreasset, & quod in mortem ipsius uxoris Mater fuerit machinata.* Hic vero Pontifex declarat, quod in hujusmodi facti circumstantiis, dummodo probationes legitimæ suppetant, filius censendus erit spurius, præsertim si machinatio Matris in vitam prioris uxoris præcesserit: *Fraternitati tuæ &c. quatenus rei veritatem inquiras, & tibi constiterit, quod vivente Uxore, Pater prædicti R. Matre ipsius publice abusus fuisset, eum spurium, & ab hæreditate repellendum, præsertim si Mater ipsius in mortem prioris uxoris fuerit machinata, decernas, quoniam inter se legitimum Matrimonium contrahere non potuerunt.*

Hunc ipsum casum expendit Decretalis minus integra, & eamdem omnino definitionem pronunciat; spuriam scilicet esse prolem ex adulterio progenitam, quamvis Matrimonium, Uxore defuncta, inter Adulterum, & Adulteram contrahatur, præsertim si aut hæc, aut ille machinatus fuerit adversus vitam prioris uxoris: *Si autem vir vivente uxore sua aliam cognoverit, & ex ea prolem susceperit, licet post mortem uxoris eamdem duxerit, nihilominus spurius erit filius, & ab hæreditate repellendus; præsertim si in mortem prioris uxoris alteruter eorum aliquid fuerit machinatus.*

Nec alia intercedit differentia, quæ ad rem pertineat.

§. 17. Integra Decretalis, dum de adulterio loquitur, nihil aliud addit, quam vocem *publice*, quæ ad criminis probationem refertur, nec ullatenus sensum immutat circa id, de quo nunc inquiritur; quod ad machinationem attinet, integra Decretalis hanc ponit ab Adultera fuisse intentatam; at minus integra eamdem machinationem considerat, sive ab Adultera, sive ab Adultero processerit. Sed neque illud ad præsentem quæstionem facit. At vero tam integra, quam minus integra Decretalis in eo conveniunt quod utraque declarat prolem ex adulterio procreatam, spuriam esse, nec legitimari, quamvis accedente Matrimonio inter adulteros post mortem legiti-

gitimæ uxoris. In utraque autem, quum de machinatione agitur, verbum illud, *præsertim*; de quo supra dicebamus. Dumque in adamussim inter se conveniunt, frustra exaggeratur prætensa inter integram, & minus integram Decretalem discordia.

Objicitur quod in Decretali integra adulterium supponitur esse impedimentum dirimens.

§. 18. Verum jam fraternitati tuæ in mentem venisse suspicamur, inconsulto a nobis præterita fuisse verba illa, quæ ad eam, quam agitamus, controversiam plus habent ponderis; & quæ in integra Decretali sunt, sed in altera minus integra desiderantur. Sic enim concluditur integra Decretalis (quemadmodum superius fideliter exposuimus): *Quoniam inter se legitimum Matrimonium contrahere non potuerunt*: Quæ quidem verba in Gregoriana Compilatione non sunt relata. Hæc autem pro argumento tibi facile erunt, ut asseras, Alexandrum III. declarasse, Matrimonium inter Adulterum, & Adulteram suapte natura nullum, & irritum esse, ob idque illegitimam esse prolem ex adulterio susceptam. Atque in hoc manifestissima, te judice, est discrepantia inter Decretalem integram, & mutilatam; dum hæc validum admittit Matrimonium inter Adulteros contractum, at nihilominus eorum prolem spuriam declarat, neque per subsequens Matrimonium ullo modo legitimandam.

Relata verba intelligenda sunt de machinatione.

§. 19 Plane si ita tecum reputares, Ven. Frater, non æquum de nobis judicium ferres. Nos enim præmissa Decretalis verba exacte referre, eaque justa lance pensare nequaquam omisimus. Verum id, quod ex iisdem inferendum esse autumas, nos inde colligi posse non arbitramur.

Etenim verba illa; *quoniam inter se Matrimonium contrahere non potuerunt*: connexa immediate sunt cum aliis: *præsertim si Mater ipsius in mortem prioris uxoris fuerit machinata*. Ac proinde (ex regula jurisperitorum, juxta quam *relatio fit ad proxima*) declaratio nullitatis Matrimonii non quidem in præcedenti adulterio fundatur, sed in machinatione adversus vitam legitimæ uxoris; circa quam nulla inter nos, neque etiam inter alios est controversia.

Quæ in eo casu cum adulterio conjuncta erat.

§. 20. Præterea concedatur etiam verba illa: *Quoniam inter se legitimum Matrimonium contrahere non potuerunt*, non tantum ad machinationem paulo ante enunciatam referri, sed ad totum id, quod in integra Decretali expositum fuit. Porro in integro Decretalis contextu agitur de Matrimonio post prioris uxoris mortem, non solum inter adulteros, sed etiam prævia machinatione in prioris uxoris mortem, contracto: *Nobis significavit quod Pater suus vivente uxore, Matrem R. tenebat & eum in adulterio procreasset, & quod in mortem ipsius uxoris Mater fuerit machinata*. En duas relati Matrimonii circumstantias simul unitas; ex quo sequitur quod quamvis ea verba: *Quoniam inter se Matrimonium contrahere non potuerunt*, referri debeant ad totam facti speciem cum suis circumstantiis in Decretali expressam, nunquam inde inferre poteris quod integra Decretalis pro nullo habeat quodlibet Matrimonium, inter Mœchos contractum post obitum legitime uxoris, sed illud dumtaxat, quod ibi expenditur, nullum judicatum fuisse, quia ei præcesserat machinatio in prioris conjugis necem. Nobis autem integrum erit asserere, quod licet validum ineatur Matrimonium inter Adulteros, deficiente machinatione, aliisque circumstantiis de Jure Canonico illud irritantibus, attamen proles tempore adulterii, habita, illegitima semper erit, ad normam etiam Decretalis non mutilatæ, quæ ita statuit: *Etsi tibi constiterit quod viven-*

vivente uxore, Pater prædicti R. Matre ipsius publice abusus fuisset, eum spurium, & ab hareditate repellendum, præsertim si Mater ipsius in mortem prioris uxoris fuerit machinata, decernas.

§. 21. Sed quamquam destitutum te videas validissimo præsidio, quod, ad Sententiam tuam sustinendam in integra Alexandrina Decretali constitueras; attamen pro ea, qua polles, eruditionis Ecclesiasticæ copia, in aliud te recipies propugnaculum, asseverans Matrimonium inter Adulterum, & Adulteram post mortem prioris uxoris contractum, juxta veterem disciplinam, pro nullo habitum esse; tum adhuc ætate Alexandri III. hujusmodi disciplinam viguisse; ac demum immutatam esse temporibus Innocentii III., cujus Decreto, ad irritandum Matrimonium inter Adulteros, præter adulterii crimen, requiri cœpit, aut machinatio in mortem legitimi Conjugis, aut promissio nuptiarum, post prioris Matrimonii solutionem, inter Adulteros contrahendarum.

Urgetur objectio tamquam innixa veteri Ecclesiæ disciplinæ.

§. 22. Non adeo tempore abundamus, & otio, ut Canonicam dissertationem super hac quæstione contexere valeamus. Nihilominus pauca quædam observare studebimus, quibus satis, superque tua refellatur assertio. Sane ei obstat S. Augustini testimonium relatum *Canone Denique* 31. *quæst.* 1., in quo sic legitur: *Denique mortuo viro, cum quo verum connubium fuit, fieri potest conjugium, cum quo præcessit adulterium*. Profecto non ignoramus Jacobum Cujacium asserere *in Cap.* 1. *de eo, qui duxit in Matrimonium &c.* quod ibi legendum sit: *Marito mortuo, cum quo verum connubium fuit, fieri verum connubium non potest, cum quo prius adulterium fuit*. Sed exploratum quoque habemus in pluribus Vaticanis Codicibus particulam illam *non* in Augustino deesse, sicut deest in prædicto Canone *Denique*; quod etiam ii animadverterunt, qui Gratiani Opus, jussu Gregorii Papæ XIII. recensuerunt, & emendarunt, ut videre est in Gratiani Decreto ipsorum opera edito. Genuinam hujusce loci controversi lectionem procul dubio Fraternitas tua, pro sua eruditione, petendam existimabit ex editione Operum S. Augustini, quæ studio Monachorum S. Mauri in Gallia prodiit. Sancti Doctoris locus in Canone relatus habetur *lib.* 1. *de Nuptiis, & Concupiscentia* c. 10., isque in editione Maurina legitur *Tom.* 10. p. 286. hisce verbis: *Denique mortuo, viro, cum quo verum connubium fuit, fieri verum connubium potest, cum quo prius adulterium fuit*. Ab hac igitur accurata editione abest particula non; quæ quidem in nulla alia appareret, si seriem contextus Editores præ oculis habuissent. Augustinus enim, mox ante verba, de quibus disputatur, probandum sibi proposuerat (uti revera probat) non solvi matrimonium, quod indissolubile est inter viventes, si uxor Maritum deserat, & ad alterius contubernium migret; idque confirmando, subdit, quod contubernium illud pro adulterio haberi non posset, si primum legitimum Matrimonium dissolutum fuisset: *cum aliis quippe adulteri non essent, nisi ad alterutrum Conjuges permanerent*. Hoc posito quisnam bona fide legendum putabit: *fieri verum connubium non potest*? ubi orationis scopus is esse conspicitur, ut demonstrato fine durationis Matrimonii: *Denique mortuo viro, cum quo verum connubium fuit*; finis enim adulterii, & initium novi legitimi Matrimonii statuatur: *fieri verum connubium potest, cum quo prius adulterium fuit*.

Auctoritas S. Augustini pro validitate matrimonii post adulterium.

Asseritur lectio relatæ auctoritatis contra Cujacium.

§. 23. Neque vero a nobis expectes plenam hoc loco proferri historiam di-

Consentientes

disciplina Seculi XII. disciplinæ, quæ super hac re sequentibus Sæculis in Ecclesia obtinuit. Hujusmodi inquisitio nimis profecto excederet Epistolæ modum, verum quia tibi persuasum esse videmus quod ipsa ætate Alexandri III. nulla centerentur matrimonia, quæ inter Adulteros quomodocumque fierent, satis erit intra illius ætatis terminos inquisitionem hanc nostram coarctare.

Testimonium Gratiani. §. 24. Non longe quidem ab Alex. III. ætate, ut optime nosti, distat Gratianus Decreti compilator, qui ante Alexandri Pontificatum paucis omnino annis suum illud opus vulgavit. Is hanc eamdem controversiam tractat *in Causa 31. quæst. 1.*, & pro utraque Sententia, ut solet, textus discordantes, adducit. Cum vero Canonem attulisset cujusdam Conc., quo statuitur ne quis, moriente marito mulieris, quam adulterio polluit, cum ea matrimonio conjungatur; hunc textum cum aliis ibi relatis, atque contrarium statuentibus ita conciliat: ***hic subaudiendum est, nisi prius peracta pænitentia, & , si nihil in mortem viri machinatus fuerit; vel si vivente viro, fidem adulteræ non dedit, se sumpturum eam sibi in Conjugem, si viro ejus supervixeret.*** Verum Gratianus, inquies, non habet auctoritatem, qualem textus canonici habere noscuntur. Neque id negamus. At gravis est auctor, & Canonum valde peritus: neque ipse ea scripsisset, quæ modo retulimus, si ætate illa (quam diximus in tempora Alexandri fere incidisse) locum obtinuisset disciplina, seu lex, vigore cujus ob solum præcedens adulterium, irritum haberetur matrimonium, post mortem legitimi Conjugis inter Adulteros contractum.

Item Innocentii III. in Cap *Significastis*. §. 25. Similiter inter Alexandrum III., & Innocentium III. Pontifices vix quadraginta annorum spatium intercedit; quum Alexander ad Pontificatum evectus sit anno Domini MCLIX. Innocentius vero anno MCXCVIII. Hic autem, ut supra innuimus *in cit. cap. Significastis. De eo, qui duxit in Matrimonium &c.*, pronunciat validum, & legitimum existere matrimonium inter Adulterum, & Adulteram post prioris uxoris mortem: ***nisi alter eorum in mortem defunctæ uxoris fuerit machinatus*** vel, ***ea vivente sibi fidem dederint de matrimonio contrahendo***; quod etiam ipse concedis, dum affirmas Innocentium III. novam hanc disciplinam in Ecclesia invexisse. Sed cum Innocentius nequaquam dicat se novam per hoc disciplinam inducere; quin immo, ad quæstionem sibi propositam ab Episcopo, sive a Capitulo Spoletano, profiteatur se responsurum juxta Canonum præscripta: ***Nos igitur inquisitioni vestræ secundum formam Canonicam respondentes &c.***; evidens est, jam pridem, & etiam ante tempora Alexandri III. validum habitum fuisse Matrimonium, quod inter Moechum, & Moecham, legitimis nuptiis solutis, & prædictis irritantibus circumstantiis non concurrentibus, contrahebatur. Equidem in Compilatione Decretalium Gregorii IX. minime reperies relata verba; ***nos igitur inquisitioni vestræ secundum formam canonicam respondentes;*** sed earum loco hæc alia leges; ***nos igitur inquisitioni vestræ taliter respondentes &c.*** Verum, quoniam res nobis erat cum eo Canonum Doctore, qui vulgata Decretalium compilatione neutiquam contentus, integram Decretalem consistere mavult; eadem ratione nobis agendum esse judicavimus. Itaque etsi prædicta verba: *secundum formam Canonicam*, in Decretali minus integra desiderentur, legantur tamen in integra Decretali; qua nos quidem minime abutimur, dum eam ad Decretalis minus integræ sensum non corrumpendum, sed illustrandum, advocamus.

Qui profitetur se formam Canonicam sequi.

alia objectio §. 26. Esto inquies quod ad Innocentium III. attinet. Sed nonne immedia-

mediatus istius prædecessor Cœlestinus III., *in cap. cum haberet. De eo, qui duxit &c.* nulla declaravit Matrimonia inter Adulteros post prioris Conjugis mortem contracta, etiam non interveniente machinatione, aut sponsione futuri matrimonii? ex Cap. *cum haberet.*

§. 27. At vide ne forte, in hac Decretali pro te alleganda, hallucineris. Quidam Joannes uxorem legitimam habebat, Allitiam nomine, ipsique simul adulterii consuetudo cum famula intercedebat. Quum vero semel Superioris Ecclesiastici præcepto adactus Adulteram dimisisset, postea tamen in idem relabens scelus, vivente adhuc prima uxore, reverti ad famulæ contubernium, in eoque quasi matrimonialiter per decennium perseverare, unde & decem filios ex ea procreavit. Defuncta demum uxore, quum consuleretur Pontifex (quem aliqui non Cœlestinum, sed Clementem III. hujus Decessorem fuisse autumant) quidnam statuendum esset de hujusmodi Adulteris, qui in eadem prava consuetudine adhuc perseverabant; tale dedit responsum; *ut separentur omnino*, & eis competenti pœnitentia injuncta, perpetua continentia indicatur; habita potissimum ratione ipsorum pervicaciæ, gravisque scandali, quo Ecclesiam perturbaverant. Exponitur hujus Decretalis casus.

§. 28. Ex ipsa simplici hac rei narratione facile agnosces non ibi quæstionem fuisse de validitate, aut nullitate Matrimonii post mortem prioris uxoris inter Adulteros contrahendi; sed de pœnitentia Canonica adversus gravissimum crimen irroganda: quæ quidem hujusmodi fuit, ut non modo ipsis Adulteris prohibitum fuerit matrimonio invicem copulari; Sed etiam cum alia qualibet persona matrimonium contrahere: *præsertim cum in dies suos ambo processerint, & jamdiu publice in adulterio, & periurio ex certa scientia perdurantes, Ecclesiam in gravi scandalo perturbaverint*; ut eadem Decretalis prosequitur. Unde patet verus decisionis sensus.

§. 29. De validitate quidem Matrimonii inter Adulterum, & Adulteram ex instituto agit Alexander III. in Epistola sua Decretali, quæ tamen nostris compilationibus inserta non est, sed reperitur in Actis Conciliorum collectionis Harduini præfatæ, Tom. 6. part. 2. pag. 1838., ea vero sic habet: *Ex præsentium latoris confessione percepimus quod cum ipse quamdam alterius uxorem in adulterio polluisset, pœnitentiam inde suscepit. Sed postea in eumdem incidit, Diabolo instigante reatum; ac eamdem mulierem; viro defuncto sibi in matrimonium copulavit, eamque asserit in præsenti pro conjuge retinere.* Alex. III. mens ex alia Decretali eruitur

§. 30. Super his autem quum Alexandri judicium requireretur, respondit, non (quod tu quidem velles) matrimonium ratione adulterii, invalidum fuisse; sed nullitati obnoxium fore, si machinatio, aut promissio nuptiarum intervenisset. *Verum quoniam nos de salute animarum ipsorum, solicite compellimur in Domino cogitare, Fraternitati tuæ &c. quatenus rem ipsam diligenter inquiras, & si tibi constiterit, quod ille, vel illa in mortem prioris viri fuerit machinatus, vel si, eo vivente, fidem ipsi mulieri dederit, se eam in Conjugem recepturum; eos non differas penitus separari.* In qua vim dirimendi machinationi tantum tribuit.

§. 31. Neque hic sistit Alexander, quin etiam dicere non omittit, quid juris esset, si solum adulterium præcessisset; tunc enim nequaquam matrimonium irritum fore declarat; (quod utique non taceret, si hujusmodi disciplina eo tempore viguisset; quemadmodum supra de eo matrimonio pronunciaverat, in quo crimini adulterii accessisset machinatio, aut promissio fu- Hæc semota jubet procedi de more.

futuri conjugii;) sed jubet procedi in causa secundum canonicas regulas: *quod si neutrum istorum constiterit, in causa ipsa juxta Ecclesiasticam consuetudinem, & canonica statuta procedas*. Si autem quæsieris quidnam hac de re consuetudo Ecclesiastica, & canonica statuta decernerent, respondemus satis probabile videri respexisse Alexandrum ad Concilii Toletani VI., anno sexcentesimo trigesimo octavo celebrati, constitutum, quod extat *Can. de his* 33. *quæst.* 2., & in quo præscribitur methodus cum iis servanda, qui post pœnitentiam publicam peractam in idem reciderent crimen, pro quo subjecti fuerant pœnitentiæ. Canonem hunc, quum tibi vacaverit, legere poteris, atque perpendere; sed frustra in illo quæras nullitatem matrimonii inter Adulteros ipso jure statutam; deficientibus aliis irritantibus circumstantiis a nobis pluries memoratis.

Objicitur alter textus Alexandri in Cap. *propositum*.

§. 32. Attamen quod ibi statutum non reperitur, alibi te sine ullo labore invenisse affirmabis, in nostra nempe collectione Gregoriana sub titulo superius allato, *De eo, qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium*. *Cap. propositum*, quod est ipsius Alexandri III., ubi sic legitur: *licet autem in Canonibus habeatur, ut nullus copulet in Matrimonio, quam prius polluerat adulterio, & illam maxime, cui fidem dederat, uxore sua vivente, vel quæ machinata est in mortem uxoris*, & quidem validum tibi argumentum dices suppetere in ea voce *maxime*, qua indicari videtur nullitas matrimonii inter Adulterum, & Adulteram (de quo Pontifex in superioribus locutus erat) etiam non concurrente machinatione, nec data fide futuri matrimonii.

§ 33. Forte putabis, nos, adversus hæc responsionem nostram comparantes, grammaticalem controversiam tecum agitare velle de significatione illius verbi *maxime*; eaque de re a nobis consultum iri libros veterum Canonistarum, præsertim Abbatis, qui in cit. *cap. propositum* audacter sustinet vocem illam *maxime* in relato textu æquipollere adverbio *solum*. Verum si ita de nobis opinatus fueris, haud egre feras nos tibi respondere, non satis tibi notum esse morem, animumque nostrum; nos enim in veritatis inquisitione, nequaquam hujusmodi nugis, levibusque fundamentis innitimur, & quæstiones inutiles prorsus aversamur.

Alexander aliam ibi quæstionem tractavit.

§. 34. Itaque respondemus veram Alexandri Pontificis mentem circa ea, de quibus nunc agimus, minime eruendam esse ex aliquibus verbis, quæ ipsi excidere potuerunt, dum aliam omnino quæstionem definiret. Sed videndum esse potissimum quid ipse scripserit, quum data opera eam pertractaret quæstionem, quam præ manibus habemus. Porro Alexander in cit. *cap. propositum* respondet Abbati S. Albani, qui ab ipso quæsierat quidnam statuendum esset de quodam homine, qui vivente uxore sua, alteram sibi in matrimonio copulaverat, insciam conjugii, quo is adstrictus erat; Uxore vero defuncta renuebat cum prædicta muliere permanere, sub obtentu quod invalidum cum ipsa matrimonium contraxerat, legitima uxore adhuc superstite. Pontifex ergo cum eam circumstantiam magni æstimaret, quod scilicet *præfata mulier erat inscia quod ille aliam uxorem haberet viventem*, nec æquum censeret, prædictum virum, qui scienter contra Canones venerat, lucrum de suo dolo reportare: statuit ut si quidem ipsa mulier id postulaverat, divortium inter eos fieret; non vero si, volente muliere in hujusmodi connubio perseverare, vir peteret ab ea separari.

Controversia tunc ab eodem decisa.

§. 35.

§. 35. Quæstionem hanc definiendam sumsit Alexander in citat. *cap. propositum* atque ita definivit ut præcipuam æquitatis, prudentiæque rationem ab illo habitam esse dignoscatur, eaque definitio unice est attendenda. Si autem, dum Legislator de principali argumento verba facit, quidpiam ab ipso extraneum minus recte dictum esse comperiatur, minime debet enunciatio haud satis accuratæ, aut Legislatori vitio verti, aut in veritatis præjudicium trahi; æque potest pro regula juris id accipi, quod sic ab eodem Legislatore, veluti prætereundo, dictum fuisse apparet; prælertim quum ipse, opportuniore occasione oblata, judicium suum super eadem re aperte declaraverit. Regula pro interpretanda Legislatoris Sententia.

§. 36. Nos autem in hoc præcipue casu versamur. Idem nimirum Alexander, cui in cit. *cap. propositum*, ea verba exciderunt, quibus, ut tibi visum est, negavit validum matrimonium esse posse inter Adulteros, defuncto legitimo Conjuge, etiam absque aliis irritantibus circumstantiis; idem inquam in alia sua Decretali, quam ex collectione Conciliorum Harduini supra retulimus, quum directe ab eo quæreretur an nullum censendum foret hujusmodi matrimonium; nullum illud esse respondit, si machinatio, aut nuptiarum promissio intervenerint. Isque Pontifex hoc ipsum firmat in *Cap. Super eo. De eo, qui duxit in matrimonium &c.*, ubi sic habet: *Super eo vero, quod de latore præsentium tuis literis quæsivisti; an liceat cum ea sibi matrimonium contrahere, quam alia sua uxore vivente sibi de facto matrimonio copulavit; tuæ solicitudini duximus respondendum, quod si adultera est in mortem alterius aliquid machinata, sive iste fidem dederit; quod eadem defuncta, hanc esset ducturus, secundum Canones ab ejus consortio perpetuo probibetur; & hæc probibitio perpetuo est observanda*: Quibus verbis: *perpetuo probibetur. &, probibitio perpetuo est observanda*, pro ea, qua polles, Canonum scientia, plane intelligis, impedimentum designari, quod a Doctoribus dirimens appellatur, illudque per hujus Decretalis contextum, ad casum præcedentis machinationis, aut pacti connubii coarctari. Alexandri mens aliunde tuto eruitur.

§. 37. Superest nunc, ut, licet prolixior jam hæc Epistola evaserit, quam nobis initio propositum fuerat, aliqua tamen addamus, quæ adhuc legere non graveris, quemadmodum præmissis huc usque animum patienter adhibuisti. Nec enim levioribus prætermissis, quidquam a nobis præteriri decet ex his, quæ in literis Fraternitatis tuæ gravioris sunt ponderis, & momenti. De aliis argumentis ab Episcopo allatis.

§. 38. Legitimationem prolis ex soluto, & soluta procreatæ, quæ fit per subsequens matrimonium ex Sacramenti virtute derivandam esse putas, eodem Alexandro III. auctore, qui ait: *Tanta est enim vis Sacramenti, ut qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium habeantur legitimi*. Unde arguis quod si isti ex vi Sacramenti legitimentur, nihil obstat quominus filii pariter ex adulterio suscepti, tanti Sacramenti virtute, legitimi evadant. I. a virtute Sacramenti.

§ 39. Verum ubi a te legitur: *tanta est vis Sacramenti*, nos legimus: *tanta est vis matrimonii*, quemadmodum scriptum est in Decretali Alexandri III. *Cap. tanta. Qui filii sint legitimi*; Quod si ad integram Decretalem quæ apud Harduinum est, de more provoces; rogamus ne te pigeat in marginem quoque oculos conjicere: ibi enim, loco verbi *Sacramenti*, adnotatum reperies aliud *Matrimonii*. Nec aliter profecto res se habere poterat. Vis enim ac dignitas Matrimonii, qua Sacramentum est in eo est posita quod gratiam santificantem confert, quod unionem hypostaticam verbi Divini cum hu- Emendatur lectio textus adducti. Legitimandi vis non a Sacramento, sed a Lege Eccle-

siastica provenit.

humana natura repræsentat, itidemque illam, qua Christus cum Ecclesia per gratiam conjungitur; non autem in eo sita est quod spuriam prolem legitimam efficiat. Neque hanc efficaciam Jesus Christus tribuit matrimonio, quum illud ad dignitatem Sacramenti novæ legis evexit; sed id ab Ecclesia institutum est, cui placuit, pro auctoritate sibi concessa, statuere ut proles extra matrimonium, non tamen ex adulterio procreata, per subsequens matrimonium legitima fieret.

II. ab exemplo legitimationis prolis incestuosæ.

§. 40. Denique addis magis abominatam canonicis legibus esse prolem incestuosam, quam sit proles adulterina; ideoque cum illa interdum legitima fiat, hanc etiam pari, aut majori ratione legitimari posse. Porro legitimatur proles incestuosa ope dispensationis, quæ dicitur *in radice Matrimonii*. Ut autem obtineatur hujusmodi dispensatio, quæ non sine urgentissima causa concedi consuevit, requiritur quod proles nata sit ex copula non manifeste fornicaria, sed putative matrimoniali, quodque impedimentum, quo matrimonii nullitas inducta est, non a Jure Divino, aut Naturali, sed a Jure dumtaxat Ecclesiastico proveniat. Sicque, & non aliter, legitimatur proles incestuosa, vigore dispensationis, quæ dicitur, *in radice matrimonii*. Tuum modo est hujusmodi circumstantias aptare ad legitimationem prolis ex adulterio genitæ; quod sane opus ingenii nostri tenuitatem excedere fatemur.

Ostenditur non aptari ad legitimationem prolis adulterinæ per subsequens Matrimonium.

Admonitio Pontificis.

§. 41. Hactenus Fraternitati tuæ satisfacere studuimus, quoad nobis licuit per angustias temporis, ut plurimum somno detracti; meram gerentes in hac Epistola, ut initio dicebamus, privati Doctoris personam. Nunc demum Epistolæ nostræ finem facientes, Supremi Pastoris partes resumimus, ut Apostolicam tibi benedictionem impertiamur; utque præterea te admoneamus, quod quum ea, quæ ad nos scripsisti, a Justo Henningio Boehemero (quamtumvis nullam de eo mentionem feceris) sis mutuatus, eaque descripseris ex ejus Opere de Jure Ecclesiastico Protestantium *Tom.* 1. *pag.* 287. *& sequentibus* juxta tertiam editionem anno 1730. Typis impressam sicuti laudabilis foret industria tua, si eo Auctore usus esses ad Venerabiles Ecclesiæ Catholicæ doctrinas illustrandas, aut si ipsum in iis, in quibus nobis adversatur, confutare aggressus esses; ita reprehensionis te obnoxium fecisti, dum illius opus perlegere, atque etiam tacitus transcribere ausus es, ut ad impugnandas Canonicæ Jurisprudentiæ Sententias inter Orthodoxos communiter receptas, instructior accederes. At ne forte paterni hujus moniti libertatem in malam partem accipias, tibi persuasum volumus, non minus sincero Charitatis affectu nos te complecti, ac Fraternitati tuæ fausta omnia ex animo deprecari.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 5. Decembris 1744. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

DE

DE MATRIMONII

Validitate inter Virum Judæum, & Mulierem Hæreticam. Expenduntur Leges Hebræorum, & Leges Imperiales, quoad Virum; Canones, & Ecclesiastica Consuetudo ejusque vis, quoad Mulierem.

Dilecto Filio Nostro Henrico S. Mariæ in Porticu S. R. E. Presbytero Cardinali Duci Eboracensi nuncupato.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Commendatur pietas Sereniss. & Eminentiss. Cardinalis Ducis Eboracen.

SIngulari Nobis consolationi, & Universis totius Urbis Ordinibus exemplo est illa tua, quam assiduam cernimus, & audimus exercitatio in pietatis muneribus obeundis, iisque in primis, quæ decent Ordinem Sacerdotalem, quo Tute a nobis fuisti in privato Sacello Nostro initiatus. Judæum autem ad Catholicam Fidem accedere cupientem cum sis propediem Sacro Baptismatis lavacro expiaturus, mirifice hinc ostendis ea verba te semper in mente gerere, quæ juxta Pontificale Rom. in tui Consecratione protulimus: *Sacerdotem enim oportet offerre, benedicere, præesse, prædicare, & baptizare.*

Dubitatur an Judæo baptizato, & muliere ab hæresi ad Catholicam fidem conversa renovari deberet inter eos Matrimonium. Resolvitur affirmative.

§. 1. At exorta uti accepimus hæc controversia est, utrum scilicet cum Hebræus e Secta Potestantium uxorem duxerit, quæ aut hæresim ejuravit, aut ejurandæ parata est, utrum, inquam, initum antea Matrimonium, post susceptum ab Hebræo Baptismum; sit iterandum. Te igitur hac nostra Epistola certiorem facimus, ambos postquam Catholicæ Fidei nomen dederint, per Baptismum alter, altera per Hæresis detestationem, rursus esse Matrimonii vinculo conjungendos. Nam quod ante inierant, irritum omnino fuit propter impedimentum dirimens, quod vocatur *Disparitatis cultus* in qua re declaranda Sermonem primo de Viro, tum de Muliere instituimus, diligenter investigantes, an eorum uterque dum connubium iniit illius esset impedimenti vinculo irretitus.

Leges Canonicæ de Matrimonio virum Judæum directe non afficiunt.

§. 2. Initium igitur a Viro sumimus, ac breviter indicamus quidquid hac in re tum Hebraica lege sancitum, tum Principum decretis constitutum sit; omissis Sacris Ecclesiæ Canonibus, cum nullo modo possint iis accomodari, qui nunquam in ejus sinum admissi sunt. *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt judicare?* Sic S. Paulus Epist. 1. ad Cor. cap. 5. scripsit, cujus verba apte ab Urbano III. Prædecessore nostro ad rem nostram accomodata sunt cap. *Gaudemus*, de Divortiis.

Hebræorum Leges Matrimonia cum alienigenis vetant.

§. 3. Deuteronom. cap. 7. cautum est ne Hebræis liceret cum iis fœminis, quarum Religio non esset eadem, Matrimonio copulari: *Non inibis cum eis fœdus, nec misereberis earum, neque sociabis cum eis conjugia, filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo.* Et in lib. 1. Esdræ cap. 10. habetur Secheniam cum eodem Esdra publice conquestum de Hebræis esse, qui Uxores duxerant infideles, ibidem legitur consilium ab eo captum, quod his verbis exprimitur: *Vos transgressi estis, & duxistis Uxores alienigenas, ut adderetis super delictum Israel; & nunc date confessionem Domino Deo Patrum vestrorum, & facite placitum ejus, & separamini a populis terræ, & ab uxoribus alienigenis.*

§. 4.

Certum vero non est Lege Moysi inductum esse Impedimentum dirimens.

§. 4. Verum non videtur his Sacrarum Literarum testimoniis adniti posse impedimentum *disparitatis cultus* Matrimonia dirimens Hebræorum cum mulieribus alienigenis. Primus quidem supradictus Deuteronomii locus ad cap. 7. explicari commode de interdicto potest, quo illicita quidem sint hujusmodi Matrimonia, non infecta, ac irrita. Hoc magis, magisque confirmat, quod lib. 3. Reg. cap. 11. legitur, jam lata scilicet Deuteronomii lege Salomonem plures uxores duxisse ex iis gentibus, cum quibus connubia habere prohibitum Hebræis a Deo fuerat, quas quidem non Concubinarum loco ab ipso habitas fuisse Sacer Textus indicat, cum septingentas Reginas, & trecentas Concubinas omnino distinguat. Accedit præterea Sampsonis exemplum, qui Dalilam uxorem habuit ex Gigantum progenie ortam, & sexcenta alia prætermittimus, quorum vim ingenue fatetur celeberrimus Theologus Dominicus Sotus in 4. Sent. dist. 39. q. unica a. 1. licet is sentire videatur illa Deuteronomii verba de impedimento agere non impediente, ut inquiunt, sed dirimente.

Saltem respectu omnium Nationum extra Terram Canaan.

§. 5. Deinde vero etsi Soti sententia vera esset tamen impedimentum dirimens non ad universos omnino populos pertineret, sed ad septem Nationes tantum, idest Hethæos, Gergezæos, Amorrhæos, Cananæos, Pherezæos, Hevæos, Jebusæos, quæ scilicet Deuteron. c. 7. exprimuntur, id vero nullo pacto sufficit, ut impedimentum disparitatis cultus in Hebraica lege inter Hebræos, & mulieres alterius cultus, & cujuscumque Nationis, stabiliatur juxta egregiam S. Thomæ doctrinam, qui in 4. Senten. d. 39. q. 1. a. 1. ad 1. sic scripsit: *Dicendum, quod in vetere lege de aliquibus infidelibus erat permissum, ut cum iis possent inire conjugia, & de aliquibus prohibitum, specialiter quidem erat prohibitum de infidelibus in Terra Canaan,* qui memoratas paulo ante gentes comprehendunt. Quod vero prædicta Lege Deuteron. ad cap. 7. dumtaxat tenerentur terræ Canaan habitatores, non autem ceteri, licet addicti diversæ penitus Religioni, id clare perspicitur ex cap. 21. ejusdem Deuteron. ubi victoribus Hebræis conceditur eam captivam uxorem ducere cujus forma ipsis egregia videretur: *Et videris in numero Captivorum mulierem pulchram, & adamaveris eam, volueris que habere uxorem, dormies cum illa, & erit uxor tua*: quod quidem, & S. Thomas animadvertit l. c. in respons. ad 2.

Factum Esdræ intelligi potest de separatione quo ad thorum.

§. 6. Cum autem Esdras filios Israel a mulieribus alienigenis separaverit, non illud hinc sequitur necesse est, quod is nimirum Deuteron. caput 7. interpretatus sit, ut ob disparitatem cultus irrita, infectaque matrimonia esse jusserit; quinimo illud in eam partem accipi potest, ut manente eodem matrimonii vinculo separatio quoad thorum fieret; ita tamen ut jure polygamiæ nubere liceret viris, nefas esset mulieribus de thalamo cogitare, aut viri occumberent, aut ipsæ ad Judaicam accederent Religionem, ut sapienter animadvertit insignis Theologus Gulielmus Estius lib. 4. Sent. d. 39. §. 3. vers. *Quod si dicas Esdram*. Id etiam S. Augustini auctoritate confirmatur, qui in lib. de Adulterin. Conjug. cap. 18. de Matrimoniis ab Esdra separatis, tamquam de veris loquitur, licet non legitimis, utpote contractis Dei præcepto non suffragante.

Leges Imperiales impedimenta quibus matri-

§. 7. Ex dictis liquet incertum esse ex Lege Mosaica Matrimonia Hebræorum inita cum mulieribus exteris, & Religionis alienæ haberi irrita oportere. Neque hinc argui potest eadem Lege cautum fuisse, ut viri hujusmodi

di

di matrimonia incuntes, ob disparitatem cultus, dirimenti teneantur impedimento. Idem quoque sentiendum de Principum legibus arbitramur. Lex enim unica, quæ ad hanc rem pertineat Theodosii est, quæ incipit, *Ne quis* sub titulo Codicis de Judæis, cujus hæc sunt verba: *Ne quis Christianorum mulierem in Matrimonium Judæus accipiat, neque Judææ Christianus Conjugium sortiatur, nam si quis aliquid hujusmodi admiserit, adulterii vice commissi hujusmodi crimen obtinebit*. Verum duæ hic occurrunt difficultates, prima quod hæc lex, utpote a Laico Principe condita nullam habere vim in Matrimoniis debet: Leges illæ quomodocumque intellectæ non possunt præscribere Ecclesiæ, sic Estius citato loco ad §. *Si quis objiciat*. Gravior altera est. Nam Theodosii Lege, Hebræi cum Christiana Matrimonium ob sceleris indignitatem, non quidem ut irritum, sed ut adulterium severissime damnabatur. *Leges autem Imperatoris dicendum est dicta Matrimonia, ut adulteria punire, propter gravitatem peccati, non propter nullitatem Matrimonii*. Idem Estius.

monium dirimatur statuere non valent.

Lex allegata pœnam delicti statuit, at de validir. Matrim non loquitur.

§. 8. Quamobrem si in Matrimonio, de quo nunc agimus Impedimentum disparitatis cultus intercesserit inspiciendum erit, an illi mulier obnoxia fuerit, quod ut cognoscatur diligenter est perscrutandum num Jure Canonico tale impedimentum decretum fuerit, aut communi Ecclesiæ Catholicæ consuetudine stabilitum, præterea an mulier Protestantium hæresi infecta hac consuetudine teneatur. Nam si mulier cum fœdus iniit dirimenti hoc impedimento detinebatur, hoc satis est, ut Matrimonium irritum habeatur, directe quoad mulierem, oblique quoad virum licet hic Superioris auctoritati, qui legem tulit non sit obnoxius, eo ferme pacto, quo si Princeps aliquis subditorum cum exteris commercium sustulisset, atque irrita declarasset, ea, si forte fierent inania haberentur, licet non uterque negotiatorum, sed unus tantum esset subditus Legislatori.

De Muliere quid inquirendum.

§. 9. Nunc ut proposuimus, an impedimentum illud disparitatis cultus Jure Canonico decretum fuerit, investigemus. Verum facilis explicatio: Canones quippe a Gratiano collecti in cap. 28. q. 1. revera fidelium cum infidelibus Matrimonia prohibent, non ita tamen, ut eadem faciant irrita: Et quamquam facerent, tamen cum Canones illi a Conciliis Provincialibus conditi fuerint, tantam vim obtinere minime possunt, ut iis Universalis Ecclesia obligetur: quamvis prædicti Canones in Gratiani Decreto locum habeant, & illud opus jussu Gregorii XIII. emendatum fuerit, ut in quibusdam Nostris Operibus jam in publicam lucem editis satis superque a Nobis probatum est.

In jure communi Canonum impedimentum disparitatis cultus inter dirimentia non refertur.

§. 10. sequitur modo, ut cum impedimentum illud Jure Canonico statutum non fuerit perquiramus, an communi Ecclesiæ Catholicæ consuetudine susceptum, atque firmatum inveniatur. Qua quidem in re omnes sentiunt ob cultus disparitatem matrimonia irrita esse, non quidem jure Sacr. Canonum, sed generali Ecclesiæ more, qui pluribus ab hinc Sæculis viget, ac vim legis obtinet. Consulatur Cardinalis Bellarminus tom. 3. Controver. de Sacram. Matrim. lib. 1. cap. 13. vers. *tertia propositio*. Estius l. c. §. *si quis objiciat*, & Natalis Alexander in Theol. Dogm. & Moral. lib. 2. de Sacram. Matrim. a. 8. §. *certum est*, Recens Herminier Tract. de Sacram. Tom. 3. pag. 477. Item etiam tom. 3. *Conventuum Ecclesiasticorum*, qui Parisiis habebantur, cum ejusdem Ecclesiæ Archiepiscopus esset Cardinalis de Noailles libro 1. Convent. 1. §. 3. ubi hæc scripta sunt: *Omnes ferme Theologi sentiunt*

Illud tamen provenit ex generali Ecclesiæ Catth. consuetudine, quæ vim legis habet

tiunt nunquam Ecclesiam Matrimonia Christianorum cum infidelibus aliquo Canone vetuisse, quo ea declaret irrita; impedimentum vero quod a Religionis diversitate procedit, ab usu, consuetudineque Ecclesiæ vim legis habente statutum fuisse.

Impedimentum disparitatis cultus locum habet inter baptizatum, & non baptizatum quemcumque.

§. 11. Restat denique expendendum, an mulier ex hæresi Protestantium, cum Hebræo nupsit, hac lege universali, ut diximus Ecclesiæ consuetudine inducta obligaretur, quæ Christianorum in Ethnicis, aut Hebræis Matrimonia propter disparitatem cultus irrita esse jubet. Hac vero in quæstione non alio modo responderi posse arbitramur, nisi videlicet eam fuisse id temporis obligatam. Hoc siquidem impedimentum locum non habet in Matrimoniis eorum, qui haud sunt baptismate initiati, licet falsam ambo religionem sectentur: neque vim ullam habet in Matrimoniis eorum, qui Baptisma susceperunt, etsi alter Catholicus, Hæreticus alter fuerit, quum plane constet, illicita illa quidem, sed rata esse. Illud autem vigere compertum est, in eorum Conjugiis, quorum alter Baptismi est particeps, expers omnino alter, quamvis adhuc Catechumenus esset, atque ad Catholicam fidem accedere statuisset. Id confirmatur textu in can. *Cave* 28. q. 1. ubi hæc habentur: *Si Christiana sit, non est satis, nisi ambo initiati sint Sacramento Baptismatis*; & præter S. Thomam loco citato in responsione ad 5. & præter Sotum loco superius laudato §. *hinc fit*, idem decernunt Pontas in casu 7. ad verbum *impedimentum disparitatis cultus* Juvenin de Sacram. Diss. 10. q. 2. §. 2. vers. *Quæres utrum Catechumeni*, Sanchez de Matrim. lib. 9. cap. 12. numero 66. & seq. Clericat. de Matrim. Decis. 26. num. 3. Cum vero hæc communis Ecclesiæ disciplina nunc vigeat, eique ut innuimus, mulier Protestantium erroribus addicta subjiciatur, necesse erit, ut Matrimonii fœdus, quod cum Hebræo iniit, cum hic Baptismate ablutus minime fuerit per impedimentum *disparitatis cultus* irritum, infectumque habeatur.

Baptismus rite collatus ab Hæreticis validus est, & characterem imprimit.

§. 12. At objicere quis forte posset Baptismum, de quo nunc agimus, non quidem a Catholico, sed a Ministro Protestantium collatum fuisse, mulierem vero, utpote hæresi mancipatam post susceptum Baptisma extra sinum Ecclesiæ Catholicæ fuisse, nec ideo ejus legibus obligatam. Sed hæc diluere facile possumus, si primo consideremus, quod apud omnes constat: Hæreticus aliquem baptizando, si formam adhibeat, & materiam legitimam, ut in muliere, de qua sermo est peractum existimamus, is Sacramenti charactere insignitur. Hac enim ratione tanquam fundamento, & S. Augustinus, & veteres PP. innitebantur, ut Donatistas refellerent, qui contendebant ab Hæreticis baptizatos rursus esse Baptismate initiandos.

Baptizatus ab Heretico evenit membrum Ecclesiæ & etiam in infantia habitum Fidei recipit.

§. 13. Deinde id etiam compertum est eum, qui Baptisma ab Hæretico rite suscepit illius vi Ecclesiæ Catholicæ membrum effici; privatus siquidem baptizantis error, hac eum felicitate privare nequit, si Sacramentum conferat in fide veræ Ecclesiæ, atque ejus instituta servet in his, quæ pertinent ad validitatem Baptismi. Egregie hoc confirmat Suarez in sua Fidei Catholicæ defensione contra errores Sectæ Anglicanæ lib. 1. cap. 24. ubi probat Baptizatum Ecclesiæ membrum fieri, hoc etiam addens, quod si Hæreticus, ut sæpius accidit, infantem lustret impotem ad fidei actum eliciendum, hoc impedimento non est, quo minus ille habitum fidei cum Baptismo accipiat.

Si Baptizatus errori deinde adhæreat, caret bene-

§. 14. Postremo exploratum habemus ab Hæreticis baptizatos, si ad eam ætatem venerint, in qua bona a malis dispicere per se possint, atque errori-

ribus baptizantis adhæreant, illos quidem ab Ecclesiæ unitate repelli, iisque bonis orbati omnibus quibus fruuntur in Ecclesia versantes, non tamen ab ejus auctoritate, & legibus liberari, ut sapienter Gonzales differit in cap. *sicut* numero 12. *de hæreticis*.

ficiis communionis Ecclesiæ sed ab Ecclesiæ auctoritate non eximitur.

§. 15. Hoc quidem in transfugis, ac perduellibus observatum videmus, quos leges civiles a fidelium subditorum privilegiis omnino excludunt. Leges quoque Ecclesiasticæ privilegia Clericalia iis Clericis non concedunt, qui Sacr. Canonum jussa negligunt. Nemo autem sentit, aut perduelles, aut Clericos Canonum violatores, suorum Principum, aut Prælatorum auctoritati non subjacere.

Confirmatur exemplis.

§. 16. Hæc exempla ni fallimur pertinent ad quæstionem, ut enim illi, sic Hæretici Ecclesiæ subditi sunt, & legibus Ecclesiasticis tenentur. Cum vero inter Ecclesiæ leges illa quoque recenseatur, quæ Matrimonia illorum, quorum alter rite Baptismum acceperit; secus alter, rata non habet, in nostra etiam quæstione statuendum erit cum hæretica mulier Baptismo initiata Hæretico nupsit Matrimonium illud pro irrito habendum esse. Consulatur Anacletus lib. 4. Decretal. tit. 3. *de Clandestina desponsat*. §. 3. num. 142. & sequ. qui prædictæ sententiæ inhærens, Matrimonia ab Hæreticis inita statuit esse invalida, si impedimentum dirimens ab Ecclesia sancitum, aut universali lege, aut communi Consuetudine, quæ vim legis obtinet, intercedat.

Objectio ex admissa valid. Matrimoniorum in Belgio contractorum non servata forma Conc. Trident.

§. 17. At vero ne silentio aliquid dissimulemus, fatemur allatas rationes sufficere non potuisse, ut Matrimonia, quæ in Belgio, absente Parocho Catholico, aut inter Hæreticos, aut inter Catholicos & Hæreticos contracta fuerant, rescinderentur, cum Nos metipsi Decretum fecerimus die 4 Novem. 1741. quo statuimus prima esse valida, secunda illicita, sed non irrita: quamvis Concilium Trident. impedimentum dirimens pro iis Matrimoniis statuerit, quæ post ejus promulgationem, non coram Parocho Catholico, & duobus testibus contrahuntur. Nam ut ambiguitas omnis tollatur, ignorandum non est in hujus Controversiæ investigatione quam anno 1741. explicavimus; Nos ipsos, & Nostra, & multorum, quos consuluimus sententia existimasse firmas, certasque manere prædictas antea rationes, sed ad rem, de qua agebamus minime aptas esse. Ex verissimis siquidem argumentis, & conjecturis probatum est Concilium Tridentinum quum novum illud dirimens impedimentum constituit, decretum suum ad ea matrimonia non extendisse, quæ disceptationi a Nobis an. 1741. solutæ occasionem dedere, ut commode colligi potest ex Suffragiis Theologorum, & Canonistarum, qui hac de re scripserunt, quæ Romæ in publicam lucem edita sunt in Tomo unico foliorum Congreg. Concilii an. 1741. Quo quidem veritas superioribus fundamentis fulta non infirmatur, ut eo plane modo, quo Episcopus, si nolit aliquando corrigere, aut punire Clericum, qui Canonum sanctionibus non obtemperat, nec privilegiis fruitur, Episcopus, inquam, non dubitatur quin alias si velit eum libere possit, aut arguere, aut punire.

Respondetur ex mente ipsius Concilii judicatum fuisse ea non comprehendi sub ipsius lege.

§. 18. At objici adhuc posse cognoscimus existimandum esse Ecclesiam noluisse impedimento Disparitatis cultus ea matrimonia subjicere, quæ ab Hæreticis Protestantibus cum Hebræis contracta sunt in iis præcipue regionibus, ubi illud, de quo sermo est, initium fuit, cum hoc impedimentum vim ex consuetudine obtineat, nullamque illis Matrimoniis, nec in illis regionibus consuetudinem hujusmodi vigere compertum sit.

Dubitatur an ex mente Ecclesiæ præfata consuetudo comprehendat personas, & Regiones de quibus agitur.

§. 19.

Id jam dubitatum fuit de Sinensibus & Japonensibus recens conversis.

§. 19. Respondemus autem veterem hanc esse quæstionem, atque a Patre Lessio tum excitatam cum primum Japonenses, & Sinenses a falsorum Deorum cultu ad veri Numinis religionem transierunt. Cum enim idem Lessius assereret nullam apud eos hujusmodi esse consuetudinem, idcirco matrimonia ibidem inter baptizatos, & non baptizatos inita esse rata existimabat. Eadem controversia disceptata fuit ab illis, qui in Seminario Missionum Parisiis degunt. Perlegere etiam fas est dubium a P. Lessio excitatum apud Verricellum de Mission. lib. 3. de legibus quæst. 79. num. 1. apud Dianam in editione coordin. tom. 6. tract. 1. resolut. 13. sub §. 2 apud Clericat. Decis. 26. n. 23. Quod vero ab his, qui in Seminario Parisiis degunt discussum est legi potest in citato Conventu 1. de matrim. cum Ecclesiam illam regeret Cardinalis de Noailles §. 4. Verum controversiæ finis cum constitutus deinde fuerit decernendo consuetudinem non susceptam posse id efficere, ut S. Sedes, cum cœperunt Sinenses, Japonensesque Catholicam fidem amplecti Vicariis Apostolicis facultatem daret, qua super impedimento disparitatis cultus cum iis dispensarent, quemadmodum in prædicto §. 4. indicatur & quemadmodum factum legimus in documento, quod est inter Constitut. Apost. ad Missiones Sinarum, & Tunkini spectantes, Parisiis editas A. 1676. pag. 38. & inter epistolas Cardinalis d' Ossat Parisiis typis mandatas A. 1627. ep. 311. ubi refertur amplissima facultas Missionariis a Gregorio XIII. concessa ut novos Christi fideles Provinciarum, Insularumque Japoniæ impedimento illo solverent, & liberarent. Cumque hujusmodi remissio, nisi lex obstet, non concedatur satis superque id est, ut clarissime innotescat, nullius momenti esse, quod de consuetudine impedimenti disparitatis cultus non adhuc suscepta objiciebatur; cum potissimum peculiaris asserta consuetudo universali contrariæ consuetudini cedere debeat.

Peculiaris consuetudo quo ad istas facilius cum iis dispensandum suasit.

Sed non ideo generalis consuetudinis vis enervatur.

Concluditur Judæo Baptizato, & Erroribus a muliere ejuratis renovandum inter eos Matrimonium.

§. 20. Quamobrem ad propositum redeuntes compertum habeas, quod postquam mulier hæresim more solito in idoneo Tribunali ejuraverit; Tu vero Hebræum Sacro Baptismate initiaveris inter illos coram Parocho Matrimonium erit iterandum a Concil. Trident. præscripta forma servata, quum Baptismi Sacramentum sit janua ceterorum. Hic autem Nos finem imponentes Tibi Dilecte Fili noster, Tuæque Regiæ Domui ex animo Apostolicam Benedictionem impertimur.

Datum apud S. M. M. die 9. Febr. 1749. Pontificatus nostri A. IX.

SU-

SUPER ABUSU

Libelli Repudii Converſorum a Judaiſmo ad fidem Catholicam.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

APoſtolici Miniſterii munus nobis licet immerentibus commiſſum aſſiduo nos excitat, atque impellit, ut ſolicito ſtudio, ac vigili cura, abuſus, pravaſque conſuetudines, ſi quas in Eccleſia Dei, vel hominum infirmitate, vel malitia, certo novimus irrepſiſſe, Paſtoralis Providentiæ ſolicitudine compeſcamus, congruiſque adhibitis remediis, quo citius fieri poteſt, aboleamus.

Exordium.

Nuper quidem nobis relatum eſt, certiſque probationibus manifeſto comprobatum, quod aliqui Hebræorum, qui ad Chriſtianam fidem converſi uxorem habent renuentem Chriſtianam veritatem amplecti, minime dubitant, poſteaquam ejurata Judaica perfidia Sacro Lavacro abluti ſunt, & ſolemni profeſſione ſe ad Chriſti fidem adſtrinxerunt, reverti ſacrilego auſu ad Judæorum caſtra, ſeu Vicum, vulgo il Ghetto, ibique Rabbinico ritu, Judaicis ſuperſtitionibus, damnandiſque obſervationibus, libellum repudii uxoribus concedere, vel etiam extra Judæorum domicilium, coram Notario, teſtibuſque Chriſtianis, eumdem libellum repudii uxoribus dare, ut liberam eis nubendi alteri viro poteſtatem faciant. Moyſes quidem in Deuteronomio cap. 24. ita ſcriptum reliquit: *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, ſcribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo ſua.* Utrum vero hæc dumtaxat indulgentia quædam fuerit ad majus malum evitandum, adeo ut qui daret, acciperetque remedium, liber quidem a pœna eſſet, non autem a culpa; an autem diſpenſatio potius eſſet a Deo conceſſa ob cordis Hebræorum duritiam, adeo ut qui libellum repudii mitteret, & quæ miſſum reciperet, & a culpa, & a pœna exemptus foret, eique minime vetitum eſſet ad aliud matrimonium valide, ac licite contrahendum procedere, diſſident inter ſe veteres, recentioreſque Theologi, cum alii primam, alii alteram opinionem ſequantur. Verum quidquid hac de re ſit, illud certum eſt quod Redemptor Noſter Jeſus Chriſtus Dei filius interrogatus quid cenſeret de libello repudii, quem Moyſes permiſerat, reſpondit, ut legitur in Evangelio apud Matth. c. 19. & apud Marcum cap. 10. *Quoniam Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras, ab initio autem non fuit ſic; dico autem vobis quia quicumque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui ipſam duxerit, mœchatur*: ſermonemque ſuum ita concluſit: *quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Ex his autem verbis per legitimam conſequentiam inferunt Theologi, in præſentiarum non amplius licere Hebræis proprias uxores repudiare, neque per libellum repudii, Matrimoni vinculum am-

Iudæi ad fidem converſi ſi habent uxorem in Iudaiſmo, illam quandoque repudiant.

Repudium in veteri Teſtamento permiſſum.

Sed in nova lege gratiæ abſolute vetitum.

amplius dissolvi, eo quod Jesus Christus illud ad suum primævum statum redegit, nempe ad indissolubilitatem, non lege nova condita, sed dumtaxat sublata veteri indulgentia, seu dispensatione super prædicta indissolubilitate concessa. Quæ cum ita se habeant, etiamsi repudium toleretur inter Hebræos Conjuges, qui ambo in eadem judaica perfidia permanent, certe ferri, ac tolerari nullo modo debet, ut Hæbreus ad fidem conversus, & Sacro Baptismate ablutus, libellum repudii uxori, quæ in Hebraica pervicacia permanet, judaico more, ac ritu concedat.

Hinc Pontifex decernit quod Hebræus conversus interpellat uxorem Hebræam.

Quamobrem ut imposterum omnia debito ordine, & laudabili modo, ac ratione fiant; volumus, ac decernimus ut Hebræus ad fidem conversus, si uxorem Hebræam habet, eam more solito interpellet, an etiam ipsa converti, & cohabitare velit sine contumelia Creatoris: renuente autem muliere, liberum ei erit aliud matrimonium contrahere juxta verba Beati Apostoli Pauli *in Epist. 1. ad Corinth. cap. 7. Quod si infidelis discedit, discedat non enim servituti subjectus est frater, aut Soror in hujusmodi, in pace autem vocavit nos Deus.* Ut bene jam ante animadvertit clar. me. Prædecessor noster Innocentius III. in sua Decretali, quæ incipit: *Quanto, de divortiis.*

Eaque renuente possit contrahere cum Christiana.

De Theologorum quæstione, quando dissolvatur matrimonium infidelium ob conversionem unius e Conjugibus.

Quæritur a Theologis, & Canonici Juris Consultis, quando solvatur matrimonium contractum ab Hebræo cum Hebræa, quæ se convertere recusat; & quando conversus novum matrimonium cum muliere Christiana, & quando Hebræos cum Hebræa contrahere possit: quod ad conversum attinet; quidam volunt, præcedens matrimonium dissolvi quoad vinvulum statim ac infidelis tenuit fidem Christianam amplecti, aut intra terminum, seu temporis spatium præfixum in interpellatione, quæ illi facta est, nullum responsum præbet. Alii vero putant matrimonium solvi, quando conversus aliud celebrat cum Christiana: Quæ opinio in præsenti communior est inter Theologos, & Canonici Juris peritos, & in praxi eam sequitur Congregatio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Decretorum Concilii Tridentini Interpretum. De solutione autem vinculi matrimonialis, pro eo quod pertinet ad uxorem, quæ in Hebraica superstitione perseverat, aliqui censent, quod ea in pœnam suæ perfidiæ semper illigata remaneat, neque aliud matrimonium contrahere valeat, donec & quousque maritus Christianus factus vivit: alii vero putant nullo modo eam matrimonium celebrare posse, si maritus conversus non adhuc ad alias nuptias transierit: ubi vero conversus matrimonium iniverit, permitti debere mulieri, ut idem facere possit, quia solutio matrimonii privilegium est concessum favore Christianæ Fidei, quam ad Christum conversus amplectitur, & ideo recte affirmari posse, datum esse directe, & per accidens infideli. Sed quidquid sit de hujusmodi controversiis, quæ inter Theologos, & Juris Canonici professores disceptantur, de quibus nihil nos definire intendimus, singulas illorum Sententias eo loco, quo sunt, relinquentes; cum nostra mens, & voluntas nequaquam sit aliquid nunc definire de matrimonio, quod a muliere Hebræa contrahitur, posteaquam nolle se Christianæ fidei nomen dare declaravit, sed id solum motu proprio, ex certa scientia, & plenitudine potestatis, tenore præsentium volumus, & intendimus, ac jubemus, ut cum aliquis Hebræorum Christianam veritatem amplexus fuerit, non prætermittatur interpellatio mulieri more recepto facienda, an velit, nec ne se

Circa quam nil Pontifex statuere intendit.

Sed solum statuit ut supra.

ad

ad Christum convertere, dummodo tamen ex aliqua gravi causa, vel a nobis, vel a Romanis Pontificibus Successoribus Nostris, non censeatur interpellatio omittenda, ut videre licet in Nostra Constitutione: *In Suprema* data die 16. Januarii anno 1745., quæ est 97. *in Tom.* 1. Nostri Bullarii; imo expresse vetamus, prohibemus, ac interdicimus, ne conversi quovis tempore, & quovis modo, sive in Judæorum Domicilio, nempe *Ghetto*, Rabbinico ritu, sive extra, coram Notario, & testibus Christianis, libellum repudii uxoribus, quæ interpellatæ recusant se convertere, aut, omissa vigore dispensationis ejusmodi interpellatione, quia ex probabili conjectura creditum est, minime se ad Christi fidem conversuras, dare, scribere, aut mittere audeant, & possint.

Pœna contra delinquentes.

Et quoniam ut plurimum contingit ut leges debitam executionem non consequantur, nisi Sanctio pœnalis contra eas transgredientes accedat; hac nostra in perpetuum valitura Constitutione, motu, scientia, ac potestate pari mandamus, ac præcipimus ut omnia Tribunalia, ac Judices competentes, habita notitia, aliquem ex Hebræis conversis, post susceptum Baptismum libellum repudii intra ipsum Judæorum domicilium, Rabbinicis superstitionibus adhibitis, uxori non conversæ dedisse, statim in eum sine ulla cunctatione, tamquam in Judaizantem, solitis pœnis animadvertant, & insuper contra ipsam Judæorum Universitatem in casu procedant manu regia mulctam ab ea exigentes centum scutorum aureorum, cujus tertia pars in præmium accusatori tribuatur, quod vero superest, concessum, & addictum ipso jure per hanc nostram Constitutionem intelligatur Piæ Domui Catechumenorum, in illis Civitatibus, in quibus ea reperitur, ubi autem hujusmodi Catechumenorum Domus non extat, remaneat liberæ dispositioni Episcoporum, & Ordinariorum, ut eam pecuniam pauperibus Christianis pro eorum arbitrio, & conscientia distribuant. Sin autem ad Tribunalium, seu Judicum competentium cognitionem pervenerit quod Conversus libellum repudii extra Judæorum Domicilium, seu *Ghetto*, dederit coram Notario, & Testibus Christianis, pari modo eum tamquam Judaizantem debita pœna afficiant, minori tamen, qua plecti debet, qui intra ipsum *Ghetto* Rabbinicis superstitionibus libellum repudii scripserit. Item procedatur contra Notarium Christianum, & dictam Hebræorum Universitatem, sine cujus scientia, & procuratione hujusmodi damnabilia negotia non transiguntur, & pro rata parte mulctentur centum scutis aureis, exigendis, distribuendis, applicandisque, ut supra dictum est, tum etiam Testes Christiani pœna arbitria, etiam corporis afflictiva, pro prudenti Judicum arbitrio puniantur. Prætera, etsi libellus repudii, juxta Hebraicum morem, ac ritum, solum a Marito uxori mittatur, non autem permissum sit uxori ut illum Marito præbeat, nihilominus quia nobis compertum est esse aliquos, qui existimant etiam a Muliere, Marito dari posse, ut omni in futurum dubitationi, ac quæstioni, quæ exoriri posset, occurramus, hac Nostra præsenti volumus, ac declaramus, ut omnia, & singula, quæ a Nobis superius de Marito ad fidem converso, remanente ejus uxore in Judaica superstitione, disposita, ac statuta sunt, etiam in casu uxoris ad Christum conversæ, remanente marito in infidelitate, locum omnino habeant, atque obtineant, & ab omnibus serventur, & custodiantur.

Declarat quod dictum est de Marito erga uxorem, intelligendum esse etiam de uxore erga maritum.

Non obstantibus &c.

Datum Romæ apud S. M. M. Anno Incarnationis Dominicæ 1747. P. N. A. VIII.

DE-

DECLARATIO

Cum instructione super dubiis respicientibus Matrimonia in Hollandia, & Belgio contracta, & contrahenda.

Dubium super validitate matrim. cum Hæreticis contr. in Dominiis Ordinum Fœderatorum non servata forma Concilii Trid.

Matrimonia, quæ in locis Fœderatorum Ordinum Dominiis in Belgio subjectis iniri solent, sive inter Hæreticos ex utraque parte, sive inter Hæreticum ex una parte virum, & Catholicam fœminam ex alia, aut viceversa, non servata forma a Sacro Trid. Concilio præscripta, utrum valida habenda sint, nec ne, diu multumque disceptatum est, animis hominum, ac Sententiis in diversa distractis; id quod satis uberem anxietatis, ac periculorum sementem per multos annos subministravit, cum præsertim Episcopi, Parochi, atque illarum Regionum Missionarii, nihil certi hac super re haberent, nihil vero inconsulta S. Sede auderent statuere, aut declarare. Cum autem proxime evolutis annis, in tam ancipiti, gravique causa Apostolicæ Sedis judicium vehementius exposceretur, urgeretque id imprimis vigilantissimus Iprensis Episcopus, dum pro debito officii sui, & sua erga Beati Petri Cathedram observantia, de Ecclesiæ sibi concreditæ statu ad Romanum Pontificem referebat, ponendumque omnino esse tam prolixe dubitationi finem, gravissimis verbis, ac rationibus persuaderet. Clemens XII. id temporis Romanus Pontifex, qui rei gravitatem, quantum oportebat affirmaret, Sacræ Congregationis Eminentiss. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum in mandatis dedit, ut de tota controversia diligenter more suo cognosceret. In re itaque tanti momenti volens eadem Sacra Congregatio quam accuratissime procedere, commissæ sibi cognitionis initium ab exquisitis aliorum quoque Belgii Episcoporum relationibus, atque sententiis, quas desuper explorari satregit, petendum duxit, eodemque tempore audire voluit præstantes aliquot hujus almæ Urbis Theologos, quibus injunxit, ut rem totam ea, qua decet, maturitate discuterent, suamque opinionem proferrent.

Quod a Clemente XII. remittitur Congreg. Concilii.

Benedictus XIV. Congregationem coram se convocat.

§. 1. At dum hæc maxime agerentur, supersedendum per aliquot menses fuit ab istiusmodi Causæ expeditione, propter viduitatem, quæ intercidit Romanæ Ecclesiæ, donec ad Pontificatum evectus Sanctissimus D. N. Benedictus XIV. inter primas Regiminis sui curas, causæ hujus cognitionem repeti jussiit a memorata Sacra Congregatione Concilii, quam voluit coram se haberi, ut, auditis Eminentissimorum Patrum sententiis ipse demum, quid hac de re tenendum foret, supremo suo pronunciaret oraculo. Cum igitur Congregatio præfata sub die 13. Maii currentis anni 1741. coram Sanctitate sua fuerit habita, idem SS. D. N. spatio aliquo temporis ad rem secum expendendam accepto, hanc nuper Declarationem, & Instructionem exarari præcepit, qua, veluti certa regula, ac forma, omnes Belgii Antistites, Parochi, earumque Regionum Missionarii, & Vicarii Apostolici deinceps in ejusmodi negotiis uti debeant.

Declaratio. Valida Matrimonia ibidem inter Hæreticos contracta.

§. 2. Primo scilicet, quod attinet ad Matrimonia ab Hæreticis inter se in locis Fœderatorum Ordinum dominio subiectis celebrata, non servata forma per Tridentinum præscripta, licet Sanctitas sua non ignoret, alias in Casibus quibusdam particolaribus, & attentis aunc expositis circumstantiis, Sacram Congregationem Concilii pro eorum invaliditate respondisse; æque tamen

men compertum habens, nihil adhuc generatim, & universe super ejusmodi Matrimoniis fuisse ab Apostolica Sede definitum, & alioquin oportere omnino ad consulendum universis fidelibus in iis locis degentibus, & plura avertenda gravissima incommoda, quid generaliter de hisce Matrimoniis, sentiendum sit, declarare; negotio mature perpenso, omnibusque rationum momentis, hinc inde sedulo libratis, declaravit, statuitque Matrimonia in dictis Fœderatis Belgii Provinciis inter Hæreticos usque modo contracta, quæque imposterum contrahentur, etiamsi forma a Tridentino præscripta non fuerit in iis celebrandis servata, dummodo aliud non obstiterit Canonicum impedimentum, pro validis habenda esse, adeoque si contingat utrumque Conjugem ad Catholicæ Ecclesiæ sinum se recipere, eodem, quo antea, conjugali vinculo ipsos omnino teneri, etiamsi mutuus consensus coram Parocho Catholico ab eis non renovetur; sin autem unus tantum ex Conjugibus, sive Masculus, sive Fœmina convertatur, neutrum posse, quamdiu alter superstes erit, ad alias nuptias transire.

Ideo si ambo Conjuges ad fidem Cathol. redeant, consensum non esse renovandum. Si unus convertatur, eum ad alias nuptias transire non posse.

§. 3. Quod vero spectat ad ea Conjugia, quæ pariter in ejusdem fœderatis Belgii Provinciis, absque forma a Tridentino statuta, contrahuntur a Catholicis cum Hæreticis, sive Catholicus Vir Hæreticam fœminam in Matrimonium ducat, sive Catholica fœmina Hæretico Viro nubat, dolens inprimis quam maxime Sanctitas sua, eos esse inter Catholicos, qui insano amore turpiter dementati, ab hisce detestabilibus Connubiis, quæ S. Mater Ecclesia perpetuo damnavit, atque interdixit, ex animo non abhorrent, & prorsus sibi abstinendum non ducunt, laudansque magnopere zelum illorum Antistitum, qui severioribus propositis Spiritualibus pœnis, catholicos coercere student, ne sacrilego hoc vinculo se se Hæreticis conjungant; Episcopos omnes, Vicarios Apostolicos, Missionarios, & alios quoscumque Dei, & Ecclesiæ fideles Ministros in iis partibus degentes serio, graviterque hortatur, & monet ut Catholicos utriusque sexsus ab hujusmodi nuptiis in propriarum animarum perniciem ineundis, quantum possint absterreant, easdemque nuptias omni meliori modo intervertere, atque efficaciter impedire satagant. At si forte aliquod hujus generis Matrimonium, Tridentini forma non servata, ibidem contractum jam sit, aut imposterum, (quod Deus avertat) contrahi contingat; declarat Sanctitas sua, Matrimonium hujusmodi, alio non concurrente Canonico impedimento, validum habendum esse. & neutrum ex Conjugibus, donec alter eorum supervixerit, ullatenus posse, sub obtentu dictæ formæ non servatæ; novum Matrimonium inire. Id vero debere sibi potissime in animum inducere Conjugem Catholicum, sive virum, sive Fœminam; ut pro gravissimo scelere, quod admisit, pœnitentiam agat, ac veniem a Deo precetur, coneturque pro viribus alterum Conjugem a vera fide deerrantem ad gremium Catholicæ Ecclesiæ pertrahere, ejusque animam lucrari, quod porro ad veniam de patrato crimine impetrandam opportunissimum foret, sciens de cætero, ut mox dictum est, se istius Matrimonii vinculo perpetuo ligatum iri.

Nuptias a Catholicis cum Hæreticis contractas detestatur.

Validas tamen pronunciat, etiam non servata forma &c.

Quid faciendum Conjugi Catholico.

§. 4. Ad hac declarat Sanctitas Sua, ut quidquid hactenus sancitum, dictumque est de Matrimoniis, sive ab Hæreticis inter se, sive inter Catholicos, & Hæreticos initis in locis Fœderatorum Ordinum Dominio in Belgio subjectis, sancitum, dictumque intelligatur etiam de similibus Matrimoniis extra fines Dominii eorumdem Fœderatorum Ordinum contractis ab iis, qui ad-

Idem judicandum edicit quoad personas addictas Præsidiis locorum

di „ Barriera. dicti sunt legionibus, seu militaribus copiis, quæ ab iisdem fœderatis Ordinibus transmitti solent ad custodiendas, muniendasque arces conterminas, vulgo dictas *di Barriera*; ita quidem, ut Matrimonia ibi præter Tridentini formam, sive inter Hæreticos utrinque, sive inter Catholicos, & Hæreticos inita, valorem suum obtineant, dummodo uterque Conjux ad easdem copias, sive Legiones pertineat; & hanc declarationem vult Sanctitas Sua complecti etiam civitatem Mosæ Trajectensis, a Republica Fœderatorum Ordinum, quamvis non jure dominii, sed tantum oppignorationis, ut ajunt, nomine possessam.

Et Incolas Civitatis Mosæ Trajectensis.

Domiciliarii Provinciarum Fœd. nubentes.

In Regionibus Catholicorum, & viceversa, subsint juri communi.

§. 5. Tandem circa conjugia, quæ contrahuntur vel in Regionibus Principum Catholicorum ab iis, qui in Provinciis Fœderatis domicilium habent, vel in Fœderatis Provinciis ab habentibus Domicilium in Regionibus Catholicorum Principum, nihil Sanctias Sua de novo decernendum, aut declarandum esse duxit; volens ut de iis, juxta canonica Juris communis principia, probatasque in similibus casibus alias editas a Sacra Congregatione Concilii resolutiones, ubi disputatio contingat, decidatur. Et ita declaravit, statuitque, ac ab omnibus impostérum servari præcepit. Die 4. Novembris 1741.

SPONSIS CATHOLICIS

Qui in Fœderati Belgii Regionibus coram civili Magistratu, aut Hæretico Ministro dumtaxat mutuum consensum in Matrimonium de præsenti declararunt quælibet Conjugalis consuetudo interdicta decernitur, donec Matrimonium ad formam Concilii Tridentini rite celebraverint

Dilecto Filio Paulo Simoni a S. Joseph Carmelita Excalceato

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Filii salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Redditæ sunt nobis per dilectum Filium, eumdem primarium Administrum nostrum Silvium Cardinalem Valenti vestræ Litteræ, quibus subortam inter vos in re gravis sane momenti controversiam exponitis, eamque judicio nostro subjicitis. Non possumus equidem non magnopere commendare propositum vestrum, quo Sedem Apostolicam consulendam censuistis, ejusque definitionem exposcendam, ut eam unanimi consensu amplectamini, quam si omnes, cum similes emergunt quæstiones pari docilitate exquirerent, & sequerentur, non tanta succresceret in dies inter Evangelicos Operarios, opinionum varietas, non doleremus aliquando ob eorumdem in tradendo morum doctrina diversas sententias, in partes distrahi Christianum populum, eamque scindi mentium, animorumque concordiam, quam Christus Dominus Ecclesiæ suæ commendatam voluit usque adeo, ut ea præsertim, quasi tessera Discipulos suos cognoscendos prædixerit.

Quæstionis propositæ status.

§. 1. Exposuistis itaque nobis non raro instinc contingere, ut Catholici Matrimonium inter se contracturi Civilem adeant Magistratum, aut Hære-

ti-

ticum Ministellum, quibus se sistere legibus Patriæ coguntur, & coram illis mutuum exprimant in Conjugium consensum, quem tamen postea renovare coram legitimo Ministro Catholico, & duobus Testibus, uti Tridentinum præcipit, aut omnino negligunt, aut in longum tempus differunt: interim vero, perinde ac si legitimi Conjuges jam forent, non dubitant omnem Conjugalem consuetudinem inter se habere. Quæsivistis deinde quid de illo consensu sentiendum sit coram Civili Magistratu, aut Hæretico Ministello præstito: Num scilicet satis fuerit ad perficiendum Matrimonium validum, saltem in ratione contractus, quod alter ex vobis affirmat, alter inter inficiatur, etsi ad Sacramenti dignitatem non assurgat, quod nemo vestrum in quæstionem adducit; si enim res ita se haberet uti primus existimat, subsequens inter consentientes copula, etiam ante renovatum coram Parocho Catholico consensum omni flagitio vacaret, & suscepta exinde proles, absque ulla dubitatione esset legitima reputanda.

§. 2. Jam vero, ut postulatis vestris breviter simul, & dilucide respondeamus, unaque controversiam omnem judicio Nostro præcidamus, sic habetæ: Ubicumque promulgatum, & receptum sit Concilii Tridentini decretum cap. 1. Sess. xxiv. de Reform. Matrim. ibi nulla prorsus, atque in omni ratione irrita esse Conjugia, aliter quam coram alterutrius contrahentium legitimo Parocho aliove Sacerdote Parochi vices agente, & duobus testibus celebrata. Scimus profecto esse Theologos, qui in ipso fidelium Matrimonio Contractum a Sacramento ita dividunt, ut illum omnino perfectum quandoque consistere credant, quin Sacramenti excellentiam pertingat, sed quid quid sit de hac opinione, quam nos quidem nunc in medio reliquimus, ea certe quod attinet ad rem præsentem locum nullum sibi vindicare potest aqud eos, qui Tridentina Lege obstringuntur: Etenim qui præter formam a se præscriptam Matrimonium contrahere attentant, eorum Tridentina Synodus non Sacramentum modo, sed contractum ipsum irritum diserte pronunciat, atque ut ejus verbis utamur: *Eos ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos esse decernit*. Quare cum inter Catholicos in istis Provinciis degentes, & promulgatum, & receptum jam fuerit illud Tridentini decretum, quod ambo fatemini; perspicuum est Matrimonium ab ipsis invicem initum coram Civili Magistratu, aut Acatholico Ministello, & non item coram proprio alterutrius contrahentium Parocho, & duobus Testibus, neque in ratione Sacramenti, neque in ratione Contractus sustineri, aut ullo pacto validum reputari posse. Neque vero rationes propter quas valida pronunciavimus Matrimonia, quæ aut ab Hæreticis inter se, aut a Catholicis cum Hæreticis in istis Fœderatis Provinciis contrahuntur non servata forma Tridentini, aptari queant Conjugiis inter se initis a Catholicis, quorum quilibet Tridentini Decreto se obstrictum agnoscit, ejusque se auctoritatem sequi profitetur.

Ubi promulgatum est Trident. Decretum de Reform. Matrim. Conjugia aliter inita nulla sunt.

Publicatio Decreti inter Catholicos Fœderati Belgii in dubium non revocatur.

§. 3. Sciant itaque Catholici vestræ curæ concrediti cum Civili Magistratui, aut Hæretico Ministello Matrimonii celebrandi causa se sistunt, actum se mere civilem exercere quo suum erga Leges, & instituta Principum obsequium ostendunt: Ceterum tunc quidem nullum a se contrahi Matrimonium. Sciant nisi coram Ministro Catholico, & duobus Testibus nuptias celebraverint, numquam se, neque coram Deo, neque coram Ecclesia veros, & legitimos Conjuges fore: nec si interim conjugalem inter se con-

Præmissæ doctrinæ consectaria circa natu-ram præstiti consensus.

sue-

ſuetudinem habuerint, eam gravi culpa carituram. Sciant denique, ſi quæ ex hujuſmodi conjunctione orietur ſoboles, eam, utpote ex non legitima uxore natam, in oculis Dei fore illegitimam, & niſi Conjuges conſenſum ex Eccleſiæ præſcripto renovaverint, illegitimam perpetuo futuram etiam in Eccleſiæ foro.

Quid præcipiendum, quidque ſuadendum earum Regionum Catholicis.

§. 4. Erit porro Officii veſtri hæc omnia, cum commoda ſe obtulerit occaſio, atque ea quam rerum circumſtantiæ vobis adhibendam ſuaſerint circumſpectione, & cautela, ſingulis explicare prolixius, ſimulque omnes commonere, ut ſiquidem Religionis conſuetudini, & terreni Principis Sanctionibus obtemperare coguntur, faciant illi quidem, ſed Religione ſalva, potioreſque ducant SS. Eccleſiæ Leges, quibus fidelium Matrimonia conſtringuntur. Illud præterea vobis curandum eſt, ne, etiam ſi duo Catholici civilem illam, ac vere politicam coram Hæreticis cæremoniam peregerint nimium inter ſe familiariter agant, aut ſub eodem tecto in communi habitent, niſi ſe prius veris, & legitimis Nuptiis ex norma Tridentini alligaverint; quamquam enim ea familiaritas eſſe poſſit ſine flagitio, flagitii certe periculo de ſuſpicione non vacat: utrumque autem probis, & bene moratis Chriſti fidelibus cavendum eſt. Ad ejuſmodi porro evitanda pericula cognoſcimus conſultius utique fore, ut Catholici nonniſi Matrimonio jam antea in faciem Eccleſiæ inter ſe legitime celebrato ad illam explendam Civilem, ſæcularem Magiſtratum, ſeu Hæreticum Miniſtellum adirent; ſed quoniam ex veſtris litteris deprehendimus id non ſine periculo, & perturbationibus poſſe adimpleri, id ſaltem pro viribus ſatagite, ut, poſtquam Reipublicæ morem illi geſſerunt, non diu differant Eccleſiæ Legibus parere, & conjugale fœdus juxta præſcriptam a Tridentino normam rite, & ſancte inire: & ſi quid tum ſuper hac re, tum ſuper aliis, quæ iſtam Miſſionem reſpiciunt Nobis ſuggerendum eſſe putetis, communicato inter Vos Conſilio, operam noſtram implorate; quam ſemper præſentem invenietis.

§. 5. Epiſtola hæc noſtra ſibi dilecte Fili Paule Simon a S. Joſeph inſcripta eſt eam tamen volumus a te communicari etiam dilecto Filio Hadriano Auguſtino Won. Duck Paſtori Leidenſi, cujus ſcriptum ſuper ea, de qua nunc agitur Controverſia a ſupradicto Cardinali de Valentibus Nobis oblatum libenter perlegimus.

§. 6. Poſtremo vos hortamur Majorem in modum, ut iſtam Dominici Gregis non contemnendam portionem ſedulo, ſicuti laudabiliter hactenus feciſtis excolere, atque ad omnem pietatem informare pergatis; Vobiſque interim Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ,... die 17. Septembris 1746. P. N. A. VII.

